58

12858





FRIDERICI HOFFMANNI

CONSILIARII MEDICI

Et Professoris Regii nec non Com. Palat. Cæsar.

MEDICINÆ RATIONALIS SYSTEMATICÆ

TOMUS TERTIUS.

Quo vera therapiæ fundamenta, medendi methodus, & leges tam naturæ quam artis, nec non selectissima remedia cum eorundem physico-mechanico operandi & dextre applicandi modo fideliter traduntur, omnia solidis ratiociniis demonstrantur, & compluribus practicis observationibus illustrantur.

OPUS

Non tam ad praxin vulgarem, quam rationalem tutam & compendiosam adornandam perutile ac necessarium.

VENETIIS, MDCCXLV.

Ex Typographia Balleoniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

DEO TRIUNI

OMNIPOTENTI RERUM SALUBRIUM

CONDITORI

Benignissimo Vitæ ac Salutis nostræ instauratori.

ET

Sapientissimo salutaris scientiæ doctori; omnisque medicationis auspici sacrum

NEC NON

Ingenuæ posteritati medicæ dicatum esto hoc opus.

PRÆFATIO.

QUAMVIS complures eæque nobiliſſimæ ac utiliſſimæ ſcientiæ ad ornandum & perficiendum Medicum ſcitu ſint neceſſariæ; nihil tamen eſt, quod ad ſcopum medicum obtinendum propius pertineat, & cui cætera omnia adeo ſerviant, quam ipſa praxis rationalis clinica. Potiſſimum vero hoc & princeps ſtudii medici caput quam utile & neceſſarium, tam parum ab omni uſque eo tempore excultum & ad perfectionem laudabili conatu perductum conſpicitur. Poſſidemus certe egregios & multis experimentis, ac inventis anatomicis, phyſico-mechanicis, botanicis, chymicis & phyſiologicis refertos plures libros; ſed de ejuſmodi ſcriptis, quæ pluribus praxin rationalem, ſpecialiſſimam, individualem & clinicam ſolide doceant, ac perpetuæ veritatis de hac præcepta tradant, minus, ſi eloqui licet, quod verum eſt, gloriari poſſumus. Nolo equidem merita laude Veterum & Recentiorum *Sennerti*, *Sylvii*, *Riverii*, *Williſii*, *Sydenhamii*, *Plateri*, *Mortonis*, *Craanii*, *Bontekoe*, *Ettmulleri*, *Waldſchmidii*, *Dolæi*, *Wedelii* practicos defraudare egregios labores: verum quam multa adhuc in iiſdem circa adæquatas cauſas, morborum & ſymptomatum genealogiam, remediorum quoque vires & genuinum uſum in variis caſibus deficiant, ii demum, qui in artis exercitio verſantur, & prolata theoremata ad reſolvendas morborum hiſtorias aut conſilia inde capienda applicare volunt, rectius intelligunt. Deinceps neminem in medici argumenti ſcriptis vel mediocriter verſatum latet, quam diſſidentes, inter Medicos haud exigui etiam nominis circa morborum ætiologiam & pathologica fundamenta, quæ tamen baſin veræ therapiæ conſtituunt, regnent opiniones. Quot ſunt & ante aliquot luſtra fuerunt ampliſſimæ famæ Medici, qui applaudentibus multis ex acido & viſcido, acido, bile & pituita morborum duxerunt primordia? Quot porro innotuerunt, qui ex varii generis ſalibus acribus, acidis, ponticis, & humorum multifaria intemperie, materiales omnium fere morborum derivarunt cauſas, & ad eaſdem removendas & remedia & medendi methodum direxerunt? Alii Carteſiana & corpuſculari philoſophia maxime imbuti, diverſum & peregrinum ætherem, ſpecifica & morbifica fermenta, turbatam ſanguinis & humorum craſin atque texturam, & varias materiæ peccantis peregrinas & heterogeneas ratione figuræ & magnitudinis qualitates, ad evolvendas morborum cauſas in partes vocarunt. Nonnulli contra repudiatis exceſſivis ſalinis qualitatibus & potentiis, ex ſola ſanguinis & humorum nimia abundantia, ſpiſſitu-

dine & excretionum defectu pathologicam doctrinam eruere & statuminare sategerunt. Ut discrepantes mirum Medicorum sententias, de causa & principio motuum, & mutationum, quæ in corpore humano subinde contingunt, præteream. Et quum in morbis tum avertendis, tum curandis, præcipuum medentis auxilium a remediorum congruorum usu, quæ quasi ipsius instrumenta sunt, omnium consensu peti debeat; illæ adeo discordes Practicorum de medicamentorum viribus, facultatibus in hoc vel illo morbo opiniones, utique luculenter arguunt, plurimos sanitatis præsidiorum, in primis magnę efficacię, sive sic dictorum heroicorum, genuinas virtutes, usum, atque applicationem latuisse. Quod, ne gravius dictum videatur, liceat in confirmationem adducere exempla. Quot adhuc sunt, & olim fuerunt, qui magnum istud & incomparabile sanguinis missionis auxilium penitus rejicere haud veriti sunt? Quam diversus Medicorum est sensus, & de venę sectionis in febribus sive continuis, sive intermittentibus, necnon exanthematicis, purpura, variolis, morbillis, petechiis, item erysipelaceis, arthriticis & catarrhalibus, puerperarum quoque morbis administratione, aliis eandem prorsus repudiantibus? aliis contra dilaudantibus & necessariam judicantibus. Quæ opium pro basi habent, & olim ab antiquissimis Medicorum, & nostro ęvo a celeberrimis Chymiatris, inter panaceas & incomparabilis in multis morbis & enormi motuum impetu componendo efficacię relata fuerunt; quum jam non desint, qui eadem propter virus, quod recondunt, naturę viribus inimicissimum tantum non infamia censent. Peruvianus ille ex America allatus cortex ad expugnandam intermittentium contumaciam usque eo non modo in Germania nostra, sed & in exteris regionibus ceu specificum veneditatus fuit remedium, qui a nonnullis tanquam intutum & damnosum pharmacum fere ex toto rejicitur. Et marte prępparatis medicamentis olim a *Quercetano*, *Hartmanno*, *Michaelis*, *Ludovici*, *Willisio*, *Sydenhamio* & *VVedelio* in morbis ex mensium vitio; item ad cachexiam & hypochondriacam passionem sanandam laus adscripta est maxima; sed complures iisdem in morbis hęc ipsa plus damni, quam emolumenti afferre, asserere non dubitant. Salia ex animantium regno volatilia, & concinnati ex iis spiritus volatiles oleosi, ante aliquot lustra a Germanis ęque ac Belgis, ceu spectatę virtutis adversus chronicas potissimum afflictiones celebrabantur, quorum usus, quasi nimiam & noxiam sanguini induceret commotionem, jam plane evilescere incipit. Mixtura sic dicta simplex Paracelsi, & confectæ ad hujus exemplar a Chymiatris, potissimum MICHAELIS, tincturę bezoardicæ, in pluribus morbis, acutis ęque ac chronicis, usui quondam erant egregio; ast ab hodiernis quibusdam, cur nescio, nisi forsan camphorę, vel acidorum connubium, spernuntur, & minoris pretii essentię aliæ præferuntur. Purgantibus acrioribus, nec non aloeticis, quæ basin fere omnium pillularum constituunt, usi fuerunt veteres & recentiores; quę tamen ob virulen-

rulentam ; quam ratione , & experientia teste obtinent, indolem merito suspecta sunt . Neque minus mirum profecto discrepantes Practicorum sunt sententiæ , de thermarum , acidularum & soteriorum aliorum fontium elementis , viribus ac usu , ita ut a plerisque propter acidum & vitriolicum elementum, fluidis & solidis infensum , quam maxime insecura censeantur , ab aliis vicissim ob innocentiam & præstabilem virtutem, in omnibus fere morbis commendentur. Nihil jam dicam , quantopere de mercurialium, emeticorum, antimonialium, nec non fonticulorum , vesicatoriorum , seraceorum , & hirudinum usu medico , in diversum abeant sententiæ ; hoc autem , quod omnium maxime mirum adjiciendum, cunctos ad confirmandas suas adeo discordes sententias , ad unam tamen eandemque experientiam confugere & adaucter provocare , cui an fidendum sit, prudentes judicent atque periti ; id minimum pro certo asserendum, nullibi in perveſtigandis effectuum causis tam crebro fallaciam causæ ut causæ committi , quam in medicis rebus. Decumana certe sunt , quæ de pharmacorum virtute in botanicis, chymicis & pharmaceuticis libris vel scripto consignata sunt mendacia , & adeo increvit medicamentorum ex universo naturæ penu simplicium & compositorum , indigenorum & exoticorum, Galenicorum & chymicorum supellex , ut propter immensum fere numerum , nec diligentissimus ad singulorum penitiorem cognitionem pertingere queat, primum vero artis opera tentans non possit non mirum turbari atque confundi . Gravis quoque oppido est illa formularum farcina, quam ex amplissimo materiæ medicæ apparatu confectam , Medici, quasdam illarum in quovis morbo usui commendantes, tam scripto, quam dicto , suis liberaliter obtrudunt : quas tamen omnes , si quis peritior & virtutum in se remediis solide gnarus curatius paullo expendit , ultro perspicit , propter inconcinnam differentis indolis ingredientium congeriem , parum , vel nihil auxilii inde posse exspectari , sed morbum multo magis trahi , neutiquam abigi . Contra ea simplicissima , securissima & spectata adversus morbos arcendos æque ac persanandos præsidia , ut aqua pura simplex , sive calide in infuso , sive frigide assumta , balnea aquæ dulcis , lacticinia & maxime lac asininum , serum lactis rite paratum , minerales aquæ , item ex nitro & salibus neutris parata , plurimis medentum ignota plane sunt, vel minimum pensi ab ipsis habentur . Et quod maximum fere est , quum optima etiam medicamenta nihil valeant , nisi eorundem usus debito ordine , regimine , tempore , mensura & methodo ad morbi curationem peri e dirigatur : plures tamen sunt , qui tumultuarie sine certa ratione medicationem instituunt, ac si unum non statim juvat , alterum promunt, & subinde medicamenta commutant , alii methodo plane contraria incedunt , ut rarissime duos aut tres Medicos , qui eandem ad lectum de methodo porrigendi medicamenta foveant sententiam ,

invenias, plurimos autem in morbis eorumque causis recte cognoscendis & distinguendis, in judicio de morborum eventu, medicaminum effectu, item in signis prognosticis ex urina, pulsu, sanguine, dierum criticorum habitudine aliisque desumendis, mirum discrepare, errare, & hallucinari cum tædio videas. Ex quibus omnibus quisque sagacior haud difficulter perspiciet, non tam firmis & inconcussis, ut communis fert opinio, praxin clinicam insistere fulcimentis, ut potius pluribus adhuc difficultatibus, defectibus & erroribus tanquam morbis prematur, qui utique convenienti medico & medicina opus habent. At vero ad tollenda hæc artis medicæ opprobria & incrementa ipsius ex voto promovenda, neutiquam certe apti sunt, qui tantum agunt sectarios, & magistri sui verbis atque practicis semel haustis principiis tanquam saxo adhærent, nec volunt admittere, quæ nunquam audiverunt, vel didicerunt, qui magnifica arcana & certa specifica in quovis morbo quærunt & jactitant, & exotica pretiosa, ex auro etiam depromta, item varia composita chymica, domesticis, simplicibus & facile parabilibus ac diæteticis remediis præferunt. Neque illi ad perficiendam praxin clinicam quicquam conferre poterunt, qui absolutas quasdam vires & virtutes, in his vel illis morbis, nulla habita ratione individui & conditionis solidarum ac fluidarum partium medicamentis assignant, qui non ex morborum historiis complete & accurate notatis sapiunt, suamque theoriam praxi applicandam hauserunt, & qui non ex his ipsis de remediorum effectu, viribus & operationibus, immo de eventu ipsius morbi, judicare didicerunt, sed una eademque methodo semper morbum unum tractari posse sibi persuadent. Neque etiam illi evehendæ ad altius fastigium arti nostræ erunt idonei, qui observationes & veritates facti, variaque occurrentia phænomena non clare, distincte & ordine explicare, & consectaria quædam in usum practicum inde elicere norunt. Sunt autem hi maxime, qui nec debitis subsidiis, ut philosophia naturali & experimentali, mechanica, chymica & anatomica scientia corporis humani ejusque partium instructi sunt, quique artem solide demonstrandi non callent, nec recte definire, distinguere, & apte res inter se connectere, nec fœtus phantasiæ a claris conceptibus, speciosa nomina a causis & rebus, res morales & metaphysicas a physicis, & quæ necessario fieri debent, veritates ab opinionibus & apparenter veris distinguere unquam didicerunt. Nam profecto ego quidem asseverare plane non dubito, ob ignorantiam, quæ olim regnavit, & adhuc apud plurimos regnat, structuræ corporis humani & principiorum mechanicorum, præsertim doctrinæ illius de motibus, ejus causis, legibus, & effectibus in rerum natura, & ex defectu sufficientium observationum practicarum, artem nostram non meliora potuisse capere incrementa, sed omnium dissensionum, opinionum, atq; errorum causam atq; originem inde merito esse petendam. Quare etiam cum illis nunquam facere possum, vel potero, qui ad explicandas res medicas, novum quasi systema condituri, plane incongrua quædam & inaudita principia,

cipia, vel sola prorsus nomina nihil significantia, ut naturæ rationalis sensus, instinctus, conamina, molimina, pro veris & formalibus morborum causis venditant, omnes præternaturales & morbosos motus in se & sua natura ratione intentionis bonos & salutares censent, & omnium quoque ac singulorum motuum & diversarum mutationum in corpore humano causam efficientem directricem, non tam physicum ex pura necessitate agens, sed morale, intentionale, rationale, pro arbitrio suo cuncta administrans principium, constituunt; eo quod admisso moraliter & intentionaliter, quandoque cum ratione, quandoque erronee, ad certum finem agente motus principio, uno quasi ictu omne, quod certum, quod demonstrative verum in rebus medicis, practicis potissimum, penitus concidit atque exspirat. Quod si enim rebus physico-mechanicis corporeis, quæ necessario, non pro arbitrio aliter atque aliter agunt, quo præcipue elementa, alimenta, medicamenta, immo partes solidæ & fluidæ corporis nostri pertinent, potentiam & efficaciam movendi & mutationes efficiendi in motibus vitalibus & naturalibus denegare, & causis moralibus atque arbitrariis, quæ captui humano non obviæ, nec in potestate medici sunt, eadem tribuere velimus: nihil certi, nihil demonstrativi de rebus, quæ ad vitam faciunt & morbos inferunt, nihil quoque solidi & firmi de remediorum effectu atque operatione, proferre & determinare poterit medicus. Ne dicam suppositas ejusmodi metaphysicas theorias, tironum ignaviam & ignorantiam in rebus physicis, utpote inertibus per se & superiori principio agenti subjectis, mechanicis quoque & anatomicis, mirum fovere ac promovere. Quamvis vero non is sim, qui penitus neget, esse animæ spiritualis potentiam, regimen & influxum, admodum tamen limitatum, quasdam ex solidis partibus præsertim externas, ad motum excitandi, & fluidum, quod immediate movet artus, subtilissimum quodammodo dirigendi, licet etiam probe gnarus sim, principii sensitivi vim imaginativam magnas turbas in motibus naturalibus efficere posse: his tamen minime induci possum, ut a particulari ad universale concludam, & credam, omnes motus vitales, systolen nempe & diastolen solidorum, fluidorum progressum, atque motus secretorios & excretorios ab iisdem causis semper dirigi. Quin potius firmum semper erit manebitque, res corporeas, quæ ab extra intra corpus operantur, regulis & legibus motuum & effectibus necessariis, pro dispositione causarum in corpore humano, non secus ac in macrocosmo, esse subjectas, adeo ut positis certis ad agendum requisitis in corpore nostro causis, certi semper ex necessitate, non absoluta, sed hypothetica, & indeclinabiles proveniant effectus. Nihil enim in corpore humano contingit, quod non certas suas, adæquatas & sufficientes habeat causas. Et licet has veras invenire atque eruere res non adeo facilis sit, neque omnibus expedienda; de felici tamen pervestigatione & progressu scientiæ causarum non dubitandum vel desperandum, modo longiore observatione & profundiore meditatione

tione artem noſtram tractet quiſque pro viribus, & phyſico-mechanica paullo ſubtilioris indaginis principia, diverſas quoque motuum leges, in univerſa rerum natura inquirat, & ad corpus humanum paullo ſolicitius applicare diſcat. Quum vero morborum hiſtoria omnis fere pathologiæ, prognoſeos, therapiæ, & intimioris virium quæ inſunt medicamentis notitiæ ſit baſis ſeu fundamentum; ad provehenda feliciter praxeos clinicæ incrementa nihil utique magis erit neceſſarium ac utile, quam ut Medici diligentes & attenti ſint in conſignandis obſervationibus practicis & morborum hiſtoriis, quæ quo pleniores ſunt, nullis plane omiſſis circumſtantiis, eo majorem uſum atque utilitatem in ratiocinando præbent. Hinc etiam merito inter characteres indocti & infelicis Medici referendum; quando ſtatim audito vix morbo, vel perceptis quibuſdam ipſius tantum ſymptomatibus, ad formulas præſcribendas promtus eſt, antequam de ægrotantis natura & conſtitutione, morbi indole, cauſis, ſtatu, progreſſu & aliis neceſſariis phænomenis plenius certior factus. Neque tamen ſufficit practicarum tantum obſervationum uberi inſtructum eſſe apparatu, ſed accedat etiam neceſſe eſt ſolida in anatomicis, phyſico-mechanicis, chymicis ſcientia ſive vera theoria medica, quæ clavis hiſtoriarum de morbis & cauſis diverſiſſimorum phænomenorum eruendis inſervit; his enim amico junctis connubio, demum fiet, ut ex multis particularibus veritatibus & regulis, univerſales ſive axiomata reſultent, quorum copiam ſi quis ſibi comparabit, is profecto aptiſſimus erit demonſtrative & ſcientifice reſolvendis & explicandis quibuſcunque etiam difficillimis in re medica caſibus, & ad ſuppeditandum accommodatum conſilium. Ad hæc incrementis ſolidæ praxeos clinicæ quam maxime ſervit, ut paucis & ſelectis Medicus, bene tamen longiori uſu cognitis & exploratis remediis, utatur. Nam ſub tanta ut proſtat medicaminum multitudine, medens ad veram ſingulorum notitiam perveniet, & ſolidi quid in praxi præſtare poterit nunquam, ſed potius una cum natura eximie turbabitur. Mihi certe a multis jam annis vix duodecim claſſica quaſi medicamenta a me ipſo ſolicite confecta fuerunt frequentiſſima, quorum virtutem in variis morbis & varia circumſtantiarum conditione exploratam penitus habeo, ut interius vix aliis quam his optimo cum ſucceſſu utar. Quæ quum ita ſint, id ſane uſque eo quam maxime mihi agendum eſſe ratus ſum, ut ſolidis hiſce fundamentis, omnia, quæ dicto, quæ ſcripto traderem, inniterentur, eademque mihi etiam in elucubranda medicina hac rationali ſyſtematica, propoſui normam. In primo & ſecundo tomo quid præſtiterim, qui veritatis & candoris cupidi legerunt, judicent; in hoc autem tertio excutienda mihi quam maxime ſumſi veræ therapiæ, tutæ nempe ac rationalis fundamenta, quæ ad tria potiſſimum genera referenda eſſe arbitror, quorum primum eſt, ut Medicus ſolidas obſervationes & morborum hiſtorias accurate & ſolide conſignare diſcat: alterum, ut ex regulis mechanicis, quæ materiæ & motuum indolem atque effectus tradunt,

theo-

theoriam ſuam formet, & cauſas, phænomena, ac quæcunque fiunt & eveniunt in corpore humano, recte & ordine explicare, eorumque cauſas ac rationes reddere poſſit; ac tertium demum, ut medicamentorum facultates eorumque modum operandi probe noſcat, paucis tamen & ſelectis recte utatur, & quæ inſalubria ſunt, vel minus juvant remedia, a ſalutaribus diſcernere diſcat. Ita autem in perficiendo hoc labore verſatus ſum, ut varias inanes ac dubias in re medica opiniones atque hypotheſes rejecerim, omne auctoritatis præjudicium ſepoſuerim, & nonniſi ea, quæ ad valetudinem cum vita tuendam morboſque ſanandos manifeſtum uſum, utilitatem, & conſpicuam applicationem habere poſſunt, attulerim. Neque etiam quiſque candoris & veritatis amans vitio mihi vertet, quod hac uſus ſim libertate, & a nonnullorum celebrium noſtro tempore virorum, qui cæterum non parum opis ad illuſtrandam artem noſtram attulerunt, placitis diſceſſerim. Quod vero libri hujus editionem licet ab eruditis crebro ſolicitatus eo uſque diſtulerim, hanc maxime factum ob cauſam: quod ego quidem quam optime facere cenſeam Medicos, qui cum perpetuas & tempus ſuſtenturas practicas veritates poſteris tradere propoſitum ceperunt, arduum hoc opus ad maturam ætatem, quin ſenectam differunt, quo longiori & multiplici experientia inſtructi, quæ uſui ſunt ipſi edocti prius ſint, nec errores aut opiniones diſſeminent, ut quidem fieri ſolet ab iis, qui vel juvenes minuſque in artis operibus exercitati practicos conſcribunt & ex auctoribus compilant libros. Neque etiamnum hoc opus therapeuticum pro vulgo medicorum ſcripſi, qui præſidiis ad ſcientiam & veram theoriam medicam pertinentibus deſtituti, nec hiſtorias morborum curant, nec earum cauſas recte inquirere ſciunt, multo minus motuum regulas & leges in genere & œconomiam motuum vitalium in ſpecie, in quonam ea conſiſtat, pernoſcunt, nec ſelectu remediorum probatiſſimorum utuntur, nec de avertendis morbis eorumque cauſſis primario ſolliciti ſunt, ſed tantummodo certa arcana magnifice commendata acquirunt, & variis inhiant formulis ad perſanandos etiam difficiles morbos, in quibus tamen incongrua quam ſervant methodo, plus damni, quam ſalutis afferunt. Neque etiam eorum uſui accommodavi hunc meum laborem, qui recte judicandi, ratiocinandi & philoſophandi facultate deſtituti, præjudiciis magiſtri occœcati quaſi ſunt, tantummodo hauſtis opinionibus firmiter inhæreſcunt, & ad perfectionem jam perductam medicam ſcientiam autumant. Sed dicata eſt opera medicis eruditis, & qui ſolidi quippiam docere vel diſcere cupiunt, qui artis firmitudinem ex certis principiis phyſico-nempe mechanicis, materiæ naturam, affectiones & diſpoſitionem ad motum, item motuum cauſas, regulas, leges & effectus dilucide exponentibus, petunt, adſtruunt & agnoſcunt, horum uſum in ipſa medica praxi, morborum cauſis cognoſcendis, & remediis inveniendis eſſe longe ampliſſimum, & qui etiam paucis & ſelectis remediis vitam & ſanitatem tueri, morbos avertere & perſanare tuto & compendioſe ſtudent.

Hos

Hos certes non pœnitebit repetita lectione hæc quæ scripsimus capita perlustrare, & assidua meditatione in suum convertere usum. Nam licet is non sim, qui mihi tantum arroganter tribuere velim, ut credam, doctrinam medicam a me traditam omnibus numeris esse absolutam, cui nihil adjici vel subtrahi possit: hoc tamen dicere & mihi vindicare licebit, quod viam Medico ingrediendam ad ulteriores in re medica progressus faciendos compendiose & recte præmonstraverim. Et quicunque hunc in finem prolata a me in hoc tomo utilissima præcepta penitus cognita habebit atque perspecta; is etiam mox b. c. D. subsequuturum, qui specialiora de morbis omnibus sigillatim tractabit, longe majori cum fructu suo poterit impendere commodo. Summo autem Numini, cujus gratiæ omne omnino quicquid a me factum in acceptis refero, devotissimas reddo gratias, ac ut clementer efficere velit, quo veritas in physicis etiam & medicis rebus, magis semper eniteat, & falsæ ac detrimentosæ opiniones pessundentur, precor ac voveo.

CONSPECTUS TOTIUS OPERIS.

SECTIO I.

De rationalis therapiæ fundamentis, historia morborum completa, notitia mechanismi corporis sani & ægrotantis, mutua motuum inter se conspiratione, nec non prædictione ex motuum morbosorum natura recte formanda.

CAPUT I. *De veræ therapiæ medicæ natura & fundamentis in genere.* pag. 1

II. *De historiis morborum recte consignandis, seu primo therapiæ medicæ fundamento.* 3

III. *De morbis caute discernendis & recte dignoscendis.* 6

IV. *De genealogia morborum ex turbato solidorum & fluidorum mechanismo, ad explicationem historiæ, morborum & veram ac solidam therapiam.* 30

V. *De consensu partium nervosarum generatim & sigillatim cum ventriculo, præcipua passionum & symptomatum origine.* 46

VI. *De fluidorum vitiis ex vitiosa solidorum dispositione.* 64

VII. *De causis morborum & quidem latentibus recte cognoscendis.* 69.

VIII. *De damnis ex cohibita cuticulari excretione.* 90

IX. *De vitiis ex turbatis sanguineis aliisque evacuationibus.* 102

X. *De generatione morborum ex morbis.* 116

XI. *De commutata morborum, seu potius causarum morbificarum sede, sive metastasi.* 130

XII. *De rationali pulsuum explicatione & judicio in morbis recte ex iisdem formandis.* 144

XIII. *De judicio ex sanguinis inspectione & examine recte eliciendo.* 144

XIV. *De judicio ex urina aliisque excretis morbis rite ferendo.* 149.

XV. *De crisibus & criticis diebus in experientia rationali fundatis.* 170

XVI. *De certis imminentis in morbis periculi ipsiusque mortis indiciis.* 178

XVII. *De causis mortem in morbis gignentibus.* 187

SE-

SECTIO II.

De methodo, ordine & legibus medendi, tam naturæ quam artis, nec non de remediis, eorum quatuor generibus, operandi & recte applicandi modo, una cum cautelis & observationibus utilissimis.

CAPUT I. *De optima naturæ morbis medendi methodo.* 202
II. *De methodo, ordine & legibus artis in medendo.* 216
III. *De medicamentorum viribus & caussis ignorantiæ earum.* 236.
IV. *De medicamentorum quatuor summis generibus & operandi modo, speciatim alterantibus.* 241
V. *De evacuantibus.* 250
VI. *De roborantibus.* 272
VII. *De sedantibus.* 278
VIII. *De specifica quorundam remediorum certis in morbis efficacia.* 282
IX. *De venæ sectione aliisque sanguinem subtrahendi modis.* 290
X. *De balneorum, pediluviorum & clysterum usu medico.* 306
XI. *De aqua frigidæ potu salutari.* 317

SE-

SECTIO I.

DE

RATIONALIS THERAPIÆ MEDICÆ FUNDAMENTIS.

Hiſtoria morborum completa, notitia mechaniſmi corporis ſani & ægrotantis, mutua motuum inter ſe conſpiratione, nec non prædictione ex motuum morboſorum natura recte formanda.

CAPUT I.

De veræ therapiæ medicæ natura & Fundamentis in genere.

QUum ſolidæ, hoc eſt, demonſtrativæ, therapiæ medicæ principia & fundamenta, a quibus certa & tuta medendi methodus potiſſimum pendet, tradere, jam conſtitutum ſit: non incongruum fore duxi, ſi prius pauciſſimis attingerem, quam arcta & quam amica inter ſcientiam phyſiologicam, pathologicam, ipſamque therapiam intercedat connexio; quo tam neceſſarius præcipuarum artis medicæ partium nexus eo clarius innoteſcat. Nimirum phyſiologia motuum vitalium, qui corruptibilem noſtram machinam a præſentaneo interitu vindicant, & motibus, tam progreſſivis, quam inteſtinis, nec non ſecretoriis, & excretoriis, abſolvuntur, ac univerſi partium corporis functiones ſecundum naturam efficiunt & moderantur, indolem, cauſas, atque effectus perquam clare & perſpicue explicat. Pathologia vero ea eſt ſcientia, quæ motus hos vitæ inſervientes præter naturam turbatos, & inde pullulantes actionum læſiones, proponit, earumque indolem, nec non multiplices a quibus dependent cauſas, accurate & ſolide indagat atque ſcrutatur. Et Therapia denique eſt prudentia, corruptos & inverſos vitales motus, functiones ipſius corporis diverſimode lædentes, per congrua remedia, debito tempore & accommodata methodo, in integrum reſtituendi & amiſſam ſanitatem revocandi. Ex quo utique conficitur, nullam ſolidam & veram therapiam medicam doceri, vel addiſci poſſe, niſi veræ & rationalis phyſiologiæ ac pathologiæ præcepta prius cognita fuerint atque perſpecta. Sane, nemo unquam firmis rationibus mortis & morborum cauſas demonſtrare poterit, quam qui vitæ ac ſanitatis naturam & fontem exacte intellexerit. Neque etiam ullus medentum ſolide & rationi congruenter declarabit, quibus auxiliis & qua methodo, morboſi

bosi præternaturales motus, qui sanitatem labefactant & machinæ nostræ perniciem intentant, in ordinem redigendi sint; nisi ante mortis & morborum causas atque effectus intime perspexerit.

Posteaquam igitur in primo Medicinæ rationalis systematicæ tomo philosophiam corporis sani & integri: in secundo philosophiam corporis ægroti, sive pathologiam, plenius pertractavi; succedit jam tertius, qui solida præcepta & fundamenta artis therapeuticæ tradet, quæ luculenter quemvis edocebunt, non perfunctorie, palliative & ambigue, sed cum ratione, certa & explorata convictione, quin etiam indubia successus spe, morborum curationes moliendas esse & suscipiendas.

Asserui vero therapiam esse prudentiam, per quam habitum cum recta ratione effectivum, sive practicum, intelligo: & rectam hanc medendi rationem, in acri & firmo Medici judicio consistere, persuasissimus sum; adeo ut, quo magis is ipse subacta & præsenti judicandi facultate polleat, eo feliciorem illum habendum esse existimem. Nunquam enim properato, temere aut inconsiderate is, qui salutari arte fessos levare nititur, agere, sed diu meditando, solicite inquirendo & studiose deliberando, ex claris & jam cognitis principiis judicare & demonstrare debet, quare in hoc vel illo morbo, quædam remedia, ex fonte chirurgico, pharmaceutico, aut etiam diætetico, deprompta, juvent, adeoque præscribenda: & vicissim, cur alia noceant & a curatione plane excludenda sint. Neque salubria & insalubria in sanandis morbis tantum nosse sufficit, sed medicus perspicaci etiam judicio determinare debet, quo tempore, quo ordine, quo loco, quocum regimine & qua mensura, seu dosi, pro corporis ægrotantis, morbi & symptomatum conditione, medicamina offerenda, nec non, quibus de causis, & quem in finem, hæc vel illa, potissimum in usum vocanda sint. Tandem exigitur etiam a medente, ut de morbi decursu atque eventu, nec non remediorum effectu, certum judicium & verax præsagium interponere possit, quo certe ad famam, existimationem & celebritatem consequendam nihil magis facit.

Quum autem ad rectum in therapeuticis judicium stabiliendum, plura, quæ accurate prius tenenda sunt, pertineant, eo quod judicium hoc actus voluntatis est, & jamjam eorum, de quibus sententia ferenda, exquisitam notitiam supponit: rerum in hoc tomo dicendarum ordo utique exigere videtur, ut de iis, quæ ad judicium therapeuticum exacte formandum scitu & cognitu valde sunt necessaria, ante agamus, quam ad ipsam specialem morborum considerationem eorumque medelam descendamus. Videlicet primum & potissimum therapeuticæ veritatis ipsiusque judicii medici fundamentum est, perfecta & omnibus numeris absoluta ægrotantis & morbi historia, quippe quæ, præterita & præsentia, omniaque quæ affligunt, fideliter, perspicue & ordinatim enumerat, quo ex iisdem futura certo dijudicari possint. Alterum est exquisita notitia mechanismi corporis, tum sani, tum ægrotantis, sive cognitio effectuum, legum & genii motuum in genere, non solum qui vitæ ministrant, sed etiam qui morbos excludunt, secundum quæ iidem jugiter & nunquam non operationes suas edunt. Deinde palmarium quoddam momentum conficit consideratio communicationis motuum in machina nostra præternaturalium, qualis nimirum & quanta cum his, vel illis

parti-

partibus sit ; quo medicus claras & perspicuas symptomatum rationes, quæ vulgo consensui partium tribuuntur, inde desumere ac derivare queat. Tum ordo & series causarum, quæ functiones præter consuetam naturæ normam immutant, & morbificæ dicuntur, quæ multiplicis sunt generis, earumque ratio & modus operandi, studiose rimanda & penitus animo concipienda sunt : quod fusius jam & luculenter satis in secundo hujus operis tomo excussi. Præterea eximium judicii medici argumentum suggerit contemplatio naturæ motuum vitiosorum, certis morbis solennium, quinam videlicet horum ad corporis conservationem, & quinam ad ejus destructionem, sive mortem tendunt, ex qua postea veracem & firmam prædictionem de exitu morbi, tum ratione salutis & mortis, tum longinquitatis & brevitatis, nec non solutionis & discessus, summa cum prudentia depromere medentis est. Porro mechanica remediorum operandi ratio, quæ aut circa materiæ, quæ morbum facit, vel correctionem, vel evacuationem, aut etiam motuum vitia emendanda versatur, tam a priori, elementis nempe & principiis, quibus agunt, quam a posteriori, per identidem confirmatam experientiam, mente comprehendi & explorata esse debet. Non minus etiam illi, qui morbis medelam afferre tentat, summo eo annitendum est studio, ut animo complectatur firmiterque teneat accommodatam componendis & in pristinum ordinem reducendis morbosis motibus methodum, nec non, quod præcipuum est, solidas medendi, tam rationi congruas, quàm crebrioribus experimentis comprobatas, leges. Succedunt tandem observationes & cautiones, in omnis generis remediorum usu provide adhibendæ & applicandæ, quas altius animo infixas, memoria custodire debet is, qui cum ratione & exoptato successu in artis, quæ mortalium saluti præest, exercitio versari gestit.

Hæc sunt solida illa & firma fundamenta, quibus omne therapeuticum judicium superstruendum est : jam unumquodvis eorum seorsim curatius enucleabo & uberius illustrabo.

CAPUT II.

De historiis morborum recte consignandis, ceu primo therapiæ medicæ fundamento.

PRimum itaque judicii therapeutici principium sunt historiæ morborum. Hæ autem, ut insignem, tam in ipsa medicatione, quam vera prædictione, utilitatem ferant, recte utique concinnandæ sunt, ita ut non mancæ, mutilæ, aut necessariis circumstantiis privatæ, sed potius, quoad fieri potest, omni ex parte completæ, integræ atque perfectæ sint. Quemadmodum enim in Jure ad decidendas ex æquo controversias & solidum judicium ferendum, integra facti, ut dicere amant legum periti, species, cum singulis circumstantiis, requiritur : ita idem in Medicina obtinet. Sane medicus parum solidi de indole morbi judicabit, minus quoque aptum & salubre consilium exhibebit, nisi prius omnium phænomenorum circa morbum observandorum exacta notitia fuerit instructus. Et hæc circumspectio eo magis necessaria est, quia eorundem morborum non eædem semper sunt causæ eademque prorsus symptomata, subjecta quoque differunt, quoad ætatem, sexum, temperamenta, vitæ rationes, consuetudines, & plura alia, quæ ad producendos fovendosque morbos concurrunt : adeo ut interdum certam constantemque morbi ejusque symptomatum naturam perturbent, & difficile sit veritatem indagare, nisi complexus horum omnium plene annotetur, & sagaci rationis usu perspiciatur & per-

pendatur . Sæpissime etiam unicum in morbo phœnomenon tanti momenti est, ut longe alia medendi via sit ineunda . Quandoque minima visa circumstantia maximæ est considerationis, ideoque non facile quippiam est prætermittendum . Præclare hanc in rem commentatur *Baglivus lib. 3. Prax.med. cap.3. natura*, inquit, *nihil frustra molitur , minimaque sunt sæpius magnarum rerum initia , & minima quoque ad notitiam grandium nos ducunt* . Eandem quoque sententiam exemplo illustrat, hunc in sensum pergens : *flatus pedendo emissi judicantur motus viles & nullius ad curationem momenti , & tamen , si in dysenteria flatus , qui prius non aderant , per inferiora exire incipiunt , brevi sanitatem promittunt, ut nos aliquoties observavimus*. Proinde quisque qui therapiæ medicæ manum admovere tentat, totus in eo esse debet, ut plenas & perfectas , nec fictitiis circumstantiis corruptas observationes condat & undiquaque colligat . Quia vero rationes eæ deprehenduntur in monumentis tum veterum , tum recentiorum medicorum; vehementer certe optandum foret , ut quivis ad cultiorem in arte salutari eruditionem adspirans , hominumque sanitati fideliter invigilans medicus , casus in artis exercitio occurrentes , præsertim notabiliores , pleniſſime consignare , atque hoc pacto indefesso studio artis medicę incrementum promovere anniteretur .

Ad integram vero historiam de morbis contexendam , non solum requiruntur circumstantiæ , quæ corporis ægrotantis naturam & constitutionem intime patefaciunt , ac morbi genium & indolem exhibent , sed etiam ea , quæ vires & effectus produnt remediorum , phœnomena annotanda . Subjecti quod patitur accuratior cognitio , quantum conferat ad rationem, inprimis symptomatum,in eodem morbo non raro mire dissidentium , in diversis subjectis detegendam ac medendi methodum inveniendam , res tam clara est , quam quæ clarissima . Etenim pro differente corporum indole ac conditione , idem morbus , ab eadem causa productus , diversis plane symptomatibus incedit . Quemadmodum enim idem alimentum , idem purgans , vel emeticum , vel aliud quodvis heroicum remedium , idem quoque venenum , longe alios diversissimosque effectus pro differenti corporum indole edit : ita etiam morbificæ causæ , ejusdem indolis, plane multis modis, dissidentem morbi faciem , ratione symptomatum , ratione periculi & salutis , in aliis atque aliis subjectis exhibent .

Necessarium igitur est , ut in condenda perfecta morbi cujusdam historia , mentio inprimis injiciatur ætatis , sexus , structuræ partium solidarum , sive habitus corporis , & virium , nec non hæreditariæ ad hunc vel illum morbum dispositionis . Et sane ætatis, tam ad morbi genium perspiciendum , quam ejus curationem legitime adornandam , maximum est momentum & mira diversitas : eo quod procedente eadem , solidorum structura & fluidorum ipsiusque sanguinis crasis atque temperies , adeoque & humorum motus multum immutantur . Scilicet in pueritia insignis fibrarum mollities , remissio , laxus & rarus habitus , cum seri abundantia adest ; juvenes autem fibras tensas & strictas obtinent , sanguinemque calidiorem & mobiliorem alunt ; & senibus propria est magna solidorum rigiditas & viarum atque canalium angustia , nec non salso - sulphurea humorum dyscrasia . Ex qua differente partium constitutione , universi certe fluidorum & solidorum mechanismi diversa indoles , & dependens hinc ad certos morbos proclivitas , dissidentes etiam mores & inclinationes , non solum derivari debent , sed pro hac ipsa

etiam

etiam varietate, varia quoque & accommodata methodus excogitanda est & adhibenda: id quod experientia luculenter confirmat, ipsisque medentium sagacioribus apprime cognitum est.

Præterea differentiæ sexus exacte ratio habenda est, quum fœminæ ob menstruum sanguinis fluxum, vel primum erumpentem, vel minus ordinate succedentem, vel plane tandem subsistentem, nec non ob partus & puerperii labores, multo pluribus ac ipsi viri, & peculiaribus prorsus afflictionibus, non solum sint obnoxiæ, sed systema etiam nervorum longe imbecillius in ipsis sit, & hinc motuum κτκξίαι, spasticis ac convulsivis tractionibus, & distensionibus, vehementius afficiatur & facilius etiam ad integritatem reducatur, quam in virili & nobiliori sexu.

Plurimum quoque refert nosse: an ægrotans laxi & solutioris, an strictioris habitus sit? an vasa exiliora & copiosiora, an capaciora & pauciora obtineat? Siquidem sub angustia & tenuitate canalium fibrarumque remissione, longe difficilius fluidorum & progressivus, & secretorius, & excretorius motus procedit: multo autem expeditior & promtior est, ubi fibræ magis tensæ & strictæ, vasaque non nimis angusta, sed ampliora sunt. Unde observamus, illos multo magis morbis & morbosis afflictionibus patere, difficilius etiam sanescere his, in quibus ob validiorem fibrarum motricium potentiam, fluidorum cursus per corporis compagem citatior est. Id quod etiam de corporum macie & obesitate tenendum est.

Porro color faciei & cutis dispiciendus. Floridus enim pulcher & nitidus aspectus de lymphaticorum humorum puritate & pelluciditate; lividus vero, luridus & flavescens, de eorundem impuritate salino-sulphurea, & vacillante secretioni dicatorum organorum, inprimis hepatis, officio, evidens præbet indicium.

Et sicuti testante quotidiana observatione, viscerum & fibrarum debilitas, labes, vitia, & inde pullulantes morbi, plerumque ad liberos propagantur: ita maxime omnium medicum de his percontari oportet; utpote quæ ad prædictionem non fallacem promendam multum faciunt. Nam imbecillitates & morbi, qui a nativitate infestant, ægrius semper sanationem admittunt, facile recurrunt, & medentibus multum negotii faceſſunt.

Neque virium solicita exploratio intermittenda est: utrum scilicet natura depressæ fuerint? an vero sub morbi, præsertim acuti, initio, quod inter pessima signa connumerandum, statim concussæ & prostratæ apparuerint? In robore enim & vigore virium, quæ non aliter nisi motu & impulsu fluidorum sese produnt, magnum sanitatem recipiendi, & vitam, quæ a viribus nomen sortita, servandi, præsidium collocari, indubium est.

Non solum autem corporis conditio scrutanda, sed ipsius quoque animi indoles perquirenda, & quibus morbis is laboret, considerandum. Quum enim amicabilis admodum & magna sit motuum, tam animi, quam corporis conspiratio & communio; prudens certe & rebus suis satagens medicus, ex mentis ad has vel illas impetuosas commotiones dispositione & proclivitate, recte & ad veritatem accommodate argumentari potest, ad solidorum & fluidorum mechanismum, & dijudicare, quomodo hic sit comparatus. Nam major & vegetior fibrarum solidorumque tensio & mobilitas, ad iracundiam animum disponit; laxitas vero & deficiens eorum vix motrix, angustum, demissum, timidum & pavidum illum reddit. Ita etiam solidorum tonum & strictūram augendo, fluidis impetuosiorem motum inducit: timiditas vicissim, robur solvendo & dejiciendo, ut remissius trudantur & tardius circumagantur, efficit. Terror valide superficiem & extrema cor-

poris constringit, sanguinemque ad interiores & nobiliores partes, præcordia nempe & caput, impetuose reprimendo, graves ingignit affectus, nervosi maxime generis, id quod sensim enervat & languore frangit. Idem præstat diuturnus mœror, qui sæpius quidem ex vitio viscerum & cursu humorum impedito, ut in hypochondriaco malo affectis constat, originem nanciscitur; sed dum nociva sua efficacia solidas maxime partes aggreditur, mirifice vires universi corporis atterit, ejusque functiones, robur fibrarum minuendo illasque laxando, labefactat. Quid? quod ii, qui attentius & curiosius morbis sanandis præsunt, subinde experiuntur, difficulter admodum ægritudines elidi & expugnari, si animus non est compositus atque pacatus, sed patheticarum commotionum intemperie diversimode jactatur. Præterea in medica hac animi consideratione inquirendum etiam est: num forsan, quod literatorum maxime vitium est, ex nimia studiorum intemperantia, profundis & mentem fatigantibus meditationibus, quæ in disciplinis abstractivis, ut metaphysicis & mathematicis, familiares, nec non intempestivis lucubrationibus, consumtis spiritibus sic dictis animalibus, ingens cerebro & nervosis partibus illata fuerit debilitas? utpote quæ, postea ad gravissimos capitis morbos, apoplexiam nempe, melancholicam, maniam, memoriæque debilitatem promptum parat aditum, & vix summo labore resarcitur. Dici enim vix potest, quanta consensio cerebro ejusque membranis cum ventriculo eique annexis intestinis, ceu valde nervosis, nec non aliis exquisito sensu præditis partibus intercedat: quo fit, ut nimium literis sese ingurgitantes, plerumque depressa ciborum confectione & vacillante digestione, nec non segniori & difficiliori intestinalis excretionis successu, maxime omnium vero familiarissimo ipsis morbo, sic dicto hypochondriaco, affligantur & excrucientur.

Porro ad pleniorem morbi historiam consignandam referendum etiam est, ut medicus non solum ubi locorum ægrotans degat, & quo cœlo & aere fruatur, sed etiam quo victu utatur, curatius pernoscat. Altiora enim & sublimiora loca, ob liberiorem ventorum perflatum, aere puro gaudent, ideoque salubriora sunt; humiliora autem & depressiora, aere magis condensato, crassiore, impurisque vaporibus referto infesta sunt. Et nihil certe ad ingenerandas graves & chronicas passiones, neque minus ad vigorem & robur solidis & motricibus partibus subtrahendum validius est, quam si quis sub cœlo graviori, impuro & vappido aere, cibum & somnum capit; eo quod hic ipse una cum esculentis & potulentis, ipsaque inspiratione, interiora corporis subintrans, humoribus sese intimius commiscet, & fluidum illud aereo-æthereum contaminat, ut motibus in corpore non ea, qua decet efficacia, præesse possit, sed functiones partium inde gravissime luant.

In victus autem ratione potissimum dispiciendum: num ægrotans duriori & crassiori victus generi, cujus census sunt cibi ex mari depromti, carnes induratæ, salitæ & infumatæ, panis grossior, assuetus? quippe quod in locis maritimis recepti usus est, & ad dyscrasiam, sive impuritatem sic dictam scorbuticam, ibi locorum endemiam, multum confert. Vel etiam explorandum est: an decumbens fructibus horæis, aut etiam acetariis, farinaceis cum butyro, ovis & saccharo frixis, quod mulierculis solenne, nimium delectetur. Alii caseum in deliciis habent, eoque immodice vescuntur, qui tamen & obstructioni, & calculorum generationi, multum velificatur.

Maxime omnium vero potus consueti genus considerare & explorare decet: eo quia maximum sane est

mo-

momentum, quod ad texturam & crasin sanguinis humorumque constituendam potus confert; qui quo magis est temperatus, aqueus & dilutus, eo salubrior quoque existimandus est: quum ad sustinendum vitalem humorum motum, tres liquidi partes, & una tantum solidi desiderentur & secundum naturam recipiantur. Hinc cerevisiæ nimis crassæ & nutrientes, multo magis acescentes, nec non omnes potus nimium spirituosi, vini & frumenti etiam spiritus, matutino inprimis tempore & ventriculo vacuo copiose ingurgitatus, mirum quantum sanitatem lædunt, quin sensim frangunt atque prosternunt. Inde enim viscera indurantur, polyposæ concretiones hinc & illinc in cavitatibus generantur, & humores a debita temperie deturbantur, ut postmodum ad hecticam, cachexiam, hydropem, apoplexiam & subitam mortem promtus fiat transitus. Quum vero homo ad tuendam valetudinem copioso liquido indigeat; nihil certe parciore potu, in quo fœminæ & qui vitæ sedentariæ incontinentius dediti sunt plerumque delinquunt, damnosius est & infensius: siquidem hoc pacto, ob necessarii fluidi defectum, minimi tubuli, e quibus emunctoria corporis organa penitus coagmentata sunt, viscido & crasso humore infarciuntur, occludantur, & obstructiones fœcundæ plurimorum morborum genitrices exsurgunt. Præterea sedula inquisitione etiam percontandum: num a largiore, nimis frigido haustu, corpori sudanti & impense calefacto ingesto, morbus sua duxerit primordia? Quod si enim primam morborum originem perquilitius scrutamur, nihil certe frequentius occurrit, quam quod a potu nimis perfrigerato, largiter & celeriter, post intensam corporis commotionem & exercitationem, vel post effectum quendam vehementiorem animi, aut succedente critica aliqua & salutari sanguinis excretione, ingurgitato, universa functionum & motuum vitalium œconomia illico turbetur ac pervertatur, ita prorsus, ut ipsa veneni virulentia, neque citius neque potentius destructionem & exitium inferre queat.

Accedit vitæ genus, decumbenti huc usque solitum atque familiare, in cujus contemplatione hæc potissimum expendenda: an sit laboriosum, requietum & sedentarium? an aulicum? an militare? an curis & laboribus mentis adstrictum? Nec non quale opificium tractet atque exerceat? an scilicet metallis & mineralibus fodiendis, igne coquendis & perficiendis operam det? Nam quamlibet vitæ generis rationem, peculiares suos alere morbos, non modo indubia experientia comprobatur, sed fusius etiam & solido argumentorum robore in elegantissimo libro, quem *Ramazzinus de morbis artificum* composuit, abunde evictum atque excussum est.

Tandem eximium momentum ad interiorem status a naturali ordine desciscentis notitiam, ipsa consuetudinis ratio subministrat. Quum enim nullus fere homo sit, qui non peculiari quadam rerum non adeo salubrium assuetudine teneatur in victu, potu, somno, motu, exercitio Venereo, tabaci, suffimigii, vel sternutationis causa adhibiti, usu, nostro ævo potus coffeæ sorbitione, quin etiam, quod inprimis hypochondriacis solitum, nimia ipsorum medicaminum assumtione, aliisque rebus: certe singula hæc errata, naturæ corporis nostri minus proficua, probe inquirenda sunt, & noxa ab iis illata studiose pensitanda.

Nihil vero, nostra quidem sententia, ad ægri naturam & morbi generationem plenius cognoscendam & intelligendam, plus adjumenti affert, quam excretorum modum & rationem recte examinare atque perpendere. Ea enim excretionum indoles, conditio, quin etiam necessitas est, ut sine his valetudo salva persistere nequeat:

queat: propterea, quod in homine, non amplius quoad corporis molem increscente, tantum egeri debet, quantum ingeritur, & deficiente, vel suppressa, consueta & salutari per varia organa, superfluorum, inutilium, & mixturæ animali ac vitæ inimicorum eliminatione, e vestigio plurimæ morborum causæ propullulant; ita, ut non fallaci præsagio exinde morbi prævideri atque prædici possint. Inprimis autem id vacuationis genus, quod per alvum succedit, eo studiosius est considerandum, quo majus momentum est, quod ad sanitatem illibatam præstandam conficit. Etenim alimentaris ille & excrementitius intestinorum canalis, si diutius retinet ea, quæ e corpore proscribenda sunt, gravissimorum non solum morborum fomes & minera excluditur, sed sedes etiam illorum ac domicilium in hoc erigitur atque firmatur. Hinc si alvus incipit officii sui obliviscí, & præter consuetudinem obseratur, in proclivi & pro certo est judicare, morbum vel præsentem, vel certe futurum esse. Præter alvinam hanc excretionem, attenta etiam contemplatione exploranda est perspiratio, quæ per universale illud corporis colatorium extimam cutem perficitur, & qua, secundum *Sanctorii* calculum, plus ejicitur, quam per omnia reliqua emunctoria. Hujus salutaris successus ex vestitu, ad corpus fovendum & in æquabili semper calore servandum, apto, nec non temperato pedum tepore & madore optime dignoscitur: viciſſim autem pedes sicci & frigidi, tubulosum cutis corticem strictiorem, & sordium per hunc exhalationem sufflaminatam esse, subindicant. Hinc si sub frigido, humido, mutabili & inæquali aere, nec non vernali & autumnali tempore, tempestatibus crebrioribus viciſſitudinibus interpolatis, exclusio sordium per halitus valde diminuitur, corpora fiunt languida, & morbi, qui populares habent circuitus, perquam familiariter infestant.

Quum vero homo plerumque plus alimenti assumat, plus etiam seri & sanguinis ingeneret, quam natura corporis ferre & in usum convertere potest, ut ordinariæ etiam excretiones sæpe supervacuis humoribus evehendis non sufficiant, extraordinarii subinde & statis nonnunquam temporibus, mensibus & annis recurrentes motus excretorii contingunt, quibus vel ipse sincerus sanguis nimia abundans, uti fit in sexu sequiore, per uteri, & in nobiliore, per ani venas, nec non in pueris & adolescentibus, per narium stillicidium, foras dimittitur; vel etiam humores serosi & impuri per largiores sudores, per copiosas alvi dejectiones, per narium in coryza defluvium, nonnunquam validiori tussi, per diuturniorem viscidi ac glutinosi humoris exscreationem, cum singulari sanitatis commodo ejiciuntur: quæ salutares & consuetæ ejectiones si deficiunt, vel prorsus supprimuntur, metus est, ne gravissimi morbi exinde emergant. Nihil vero æque perniciosum atque exitiale est, quam si criticæ ejusmodi, præsertim sanguinis, excretiones, celerrime & uno quasi ictu sistuntur; cujusmodi noxia vi potissimum pollet, tum gravis animi affectus, inprimis extrema & minima vasorum oscula constringens terror, tum aer nimis frigidus, aut frigus externum inconsideratius corpori admissum; siquidem exinde exitiales humorum fiunt stagnationes, & subitæ ac capitales noxæ in motuum vitalium ordinem redundant. Idem sentiendum est de excretionibus illis, quibus plurimi morborum solvuntur, & quæ propterea vocantur criticæ; si nempe medicus, vel ægrotans, easdem perperam & pessimo consilio compescere tentet: quippe cohibitis illis & compressis, facillime morbus non solum recrudescit & redit, sed pejor etiam multoque periculosior resultat.

Præ-

Præterea ad genuinam morbi indolem exactius intelligendam, plurimum facit curiosus scisciari & percontari: quibus morbis per vitæ decursum æger fuerit obnoxius? an forsan quidam haud ita diu præcesserit, & qua methodo, quibusque auxiliis is fuerit sublatus? Nam turpe quidem dictu, sed proh! verissimum est: ex temeraria & imprudenti morborum, in primis febrium medicatione, damnosissimam, & maxime periculosam nonnunquam symptomatum oriri catastrophen, ita ut, fugato ambigue priori morbo, alius & longe gravior irruat ac diutissime infestet. Sæpe numero etiam, is, qui e morbo convaluit, salutaribus Medici præceptis minus obtemperat, sed pro cœco libidinum impetu, gravissimos & nocivos in rerum non naturalium usu errores admittit, & hoc pacto de novo mineram morbificam colligens & cumulans, ipse sibi damnum procurat, & morbum contrahit. Novimus sane plures, qui morbo superato & funditus exstirpato, ex intemperanti & nimia ciborum ingestione, suppressa per subcutaneos tubulos ex incuria fordium exhalatione, nec non neglecto debito evacuationis alvinæ successu, in pessimas ægritudines iterum inciderunt, & per diuturnum tempus cum iisdem conflictati sunt.

Nonnunquam etiam morbi mire complicantur, ita ut sæpenumero hypochondriaco malo jam antea affectus, aut cachexiæ implicitus, scorbutica labe infectus, debilitate capitis afflictus, hæmoptysin passus, phthisi emaciatus, hæmorrhoidum minus legitimo successu laborans, calculo excruciatus, vel etiam podagræ doloribus detentus, alium adhuc dirum morbum, sive acutum, sive chronicum, nanciscatur: ubi utique in medicatione summa adhibenda est prudentia, & longe alia medendi via ineunda, quam in alio ægrotante, eodem quidem morbo decumbente, sed visceribus integris, ac viribus nondum attritis, & per antegressam valetudinem exhaustis.

Pari ratione ad exquisitius de morbis illisque medendi methodo judicium ferendum multum certe valet, corporis laborantis, quoad viscerum & nervosarum partium dispositionem, plenior cognitio, in qua potissimum despiciendum, utrum corpus succo & sanguine nimis sit farctum, vel an impura excrementitiorum & serosorum humorum sentina scateat, sive an sit cacochymicum? Qualis sit ventriculi & intestinorum ratio? an ructibus, flatibus & spasmis cum alvi strictura exerceantur, & æger sit hypochondriacus? Quæ hepatis sit conditio? an inoffensus sanguinis per hoc viscus transitus? an humoris bilioši in eodem secretio debita & non sufflaminata? id quod ex faciei colore & diminuta corporis nutritione patescit. Porro disquirendum: an tenera illa vesicularis & vasculosa pulmonis substantia adhuc sit salva & integra? quippe quod, exspiratio vel facilis vel difficilior, necnon rejectio humoris ex ore, luculenter produnt. Denique etiam temperies cerebri & systematis nervosi consideranda est, & ex natura somni, animi affectibus, mentis etiam & phantasiæ interturbatione, prudenter dijudicanda.

Exacte sic perspecta corporis ægrotantis natura, ad ipsum morbum quocum æger conflictatur, paullo penitius considerandum, ejusque indolem & peculiarem genium intimius indagandum, transeundum, & maxime omnium videndum est: utrum malum populares habeat circuitus, & epidemium sit? an ejus virulentia per exanthemata se prodat? ex quo materiæ, quæ morbum facit, tenuitas, & virulenta indoles potissimum dignosci potest: quippe quæ, dum nervosis partibus insidet, præcordiorum anxietatem, inquietudinem, extremorum frigus, conatum vomendi, capitis & dorsi, circa primam lumborum vertebram, dolorem, pulsus celeritatem,

tem, cum duritie junctam, mentis turbationem & spirandi difficultatem promtissime concitat; relegato autem ad corporis corticem noxio humore, horrida hæc symptomata, plurimum de vehementia sua remittunt & tantisper conquiescunt. Scrutandum præterea est: an cum ingenti virium prostratione, & intenso partium languore & summa inquietudine, morbus ægrum apprehenderit? utpote quod occultæ humorum corruptionis, quæ vulgo malignitatis nomine venit, haud dubium subministrat indicium.

Et quum nulla fere febris vel alius morbus sit, in quo non sensibiles symptomatum remissiones vel intermissiones conspicuæ sint: medicus certe, actiones tam naturales, quam vitales & animales, quomodo tam intra, quam extra paroxysmum comparatæ sint, sedulo pensitare debet. Nam in accessionibus & impetu ac vigore morbi, in quo motus & solidarum & fluidarum intensiores & acceleratiores deprehenduntur, necessarium est, ut omnia ea, quæ motus cum excretionibus augent & exacerbant, penitus absint & prorsus intermittantur: contra vero diebus vacuis & intercalaribus, nec non paroxysmo silente, ubi omnes motus, maximeque pulsus, ob insignem solidorum succedentem atoniam & debilitatem, sunt imbecilles & languidi, ea, quæ materiæ peccanti commovendæ & exterminandæ inserviunt remedia, perquam opportune propinari possunt. Maxime vero omnium in morborum incremento dispiciendum est: quas functiones maxime, animales, an vitales, vel naturales? iidem lædant & labefactent; quippe ex hujus læsionis gravitate, morbi causæque morbificæ vehementia dijudicanda est. In acutis ex somni, respirationis, nec non pulsuum conditione atque natura, morbi genium & vim uberius & perquisitius cognoscere, solerti & perspicaci medico datum quidem est atque concessum, sed dolendum certe, quod perpauci sint, qui ex arteriarum pulsatione, sanguinis per universum corpus, & præcipue pulmones, circuitum, atque etiam systematis nervosi & fluidi nervei, quod veteres spiritus animales vocarunt, naturam & constitutionem indagare atque perspicere norunt. Plane mirabilis enim cerebri, & cordis est conspiratio, ita ut quivis cerebri vel nervorum morbus, quivis etiam animi ex affectu motus, pulsum illico mutet. Porro quum nemo ex morbo, nisi inflammatione & sphacelatione interna moriatur, & in acutis quidem ventriculi & membranarum cerebri inflammationes facile succedant, & interitum inducant; in chronicis vero viscerum sphacelationes, lethalem vitæ catastrophen imponant: medicus certe oculum & animum ad funesta hæc symptomata cumprimis advertere & dirigere debet, quo exinde perquam utilia consectaria in usum suum elicere possit. Neque minus diligens suscipienda est investigatio in primarum viarum sub totius morbi decursu conditionem: an scilicet sordibus refertæ sint, vel sordescere incipiant, & quidem sub initium vel progressum morbi? Qualis sit excretionis alvinæ ratio? quæ rejectorum copia, color & qualitas? utpote quæ de functionum naturalium vitiata vel legitime comparata constitutione haud incertum præbent indicium. Urina etiam contemplanda, qualis hæc reddatur colore, consistentia, indole & quantitate, e quibus, collatis aliis in morbo phænomenis, spasmodicæ partium internarum strictura cognosci, & æstus præternaturalis augmentum vel decrementum judicari potest.

Ulterius ad integram morbi historiam contexendam, nihil aptius judico, quam si medicus probe & summa cura operationes remediorum, quæ præscripsit, observet, & omnes, quæcunque post medicaminis usum inciderunt mutationes, studiose annotet,

notet, in primis, utrum symptomatum vis, ac vehementia inde tantisper vel mitigata, vel adaucta sit? an vero nihil plane horum contigerit? Quum enim totius therapiæ cardo in eo potissimum vertatur, medici etiam peritia ex eo maxime patescit, si is in graviori morbo apta & idonea ad oppugnandum eum sciat exhibere remedia: certe qua ratione medens palmario hoc suo officio satisfacere & auxilia utiliter & convenienter applicare possit, si non exacta illorum notitia fuerit imbutus, equidem non video. Hanc vero remediorum intimiorem cognitionem animo rite concipiendi, vix certior, rectior & compendiosior datur via, ac per observationes & morborum historias, quæ simul medicaminum propinatorum usum, genuinam applicationem & certos effectus recensent atque complectuntur. Et hinc demum vera, certa & non fallax de remediorum viribus & efficacia, quæ tantopere in desiderio est, experientia proficiscitur, & medentis innotescit. Jam dudum enim non solum *Celsus* monuit, sed experientiæ etiam calculo constat: eadem medicamenta, quæ in eodem morbo uni subjecto maxime proficua sunt, alteri gravissime nocere; quo fit, ut ipsi medici remedium quoddam mirificis laudibus & encomiis extollant, alii vero illud ipsum plane damnent atque rejiciant, utrisque ad experientiæ asylum confugientibus, cujus tamen ea ratio est, ut nunquam fallere possit, si modo omnes & singulæ circumstantiæ omniaque phænomena, quæ in perfecta subjecti & morbi historia commemorantur, exacte pensitentur: neglectis autem, ut perditus plerumque mos obtinet, iisdem, hæc ipsa utique anceps est summeque ambigua. Nam vires & operationes remediorum neutiquam sunt absolutæ, sed conditionatæ, hoc est, ad varias conditiones & circumstantias, tum individui, quam morbi, nec non causas, tempora, aliaque id genus relatæ; ideoque eum omnino in finem accuratæ observationes & exactæ curationum historiæ conscribuntur, quo genuine medicamentorum virtutes, in tot diversis naturis, locis atque temporibus, perspiciantur & intelligantur. Hinc præstantissimum profecto est *Hippocratis* monitum *libro de decenti orn.* *Sint*, inquit, *in memoria tibi morborum curationes & harum modi, quotupliciter & quomodo in singulis subjectis se habeant: hoc enim principium in medicina est, medium & finis.*

Quum vero morbi, præsertim acuti, sæpissime sine ullo medico & pharmaceutico subsidio, aut aliis per artem adhibitis auxiliis, solius naturæ beneficio, & nonnisi domesticis quibusdam remediis, temporis præsertim diuturnioris tempestivitate, cedant, quin non raro rectius persanentur, ac ubi ingens pretiosissimorum medicaminum copia exhibita fuit: multum profecto ad therapiam rite instituendam & convenienter perficiendam proficit, omnes sedulo annotare circumstantias, sub quibus, quo tempore, quo ordine, quibus excretionibus, quo symptomatum successu, morbus decurrerit, & tandem solutus fuerit. Optandum hinc quam maxime foret, ut accuratæ prostarent observationes de singulorum morborum in diversis individuis naturali processu ac spontaneo decursu, ubi nimirum totum opus naturæ commissum, nec ullum plane adhibitum fuit medicamentum, & in quibus omnes circumstantiæ tam nude & simpliciter enumeratæ sunt, quam se invicem non interrupta serie exceperunt. Ita firmius sane judicium de viribus remediorum interponi posset, & non solum facillimum esset dijudicatu, utrum affectus alicujus exacerbatio, quæ post medicaminis usum contigit, ex immutabili naturæ lege atque causarum nexu profluxerit, an vero a remedio illo stricte & absolute inducta fuerit, sed vicissim etiam longe certiori argumentatione concludi posset, remissio & allevatio

sym-

symptomatum, administrationi remedii succedens, hujusne, an naturæ operationi, an utrisque simul adscribenda sit & tribuenda. Non infrequenter enim fit, ut medici arcanis suis accepta ferant, quæ suffragante tantum natura, quoad afflictionum mitigationem, vel totius morbi curationem, evenerunt; unde tam gloriosa simplicium & compositorum medicamentorum encomia in libris practicis & botanicis prostant, quæ tamen plerumque omnem spem & exspectationem tam medici, quam ægrotantis, fallunt atque destituunt.

Denique ad observationes & completas morbi historias adornandas, sectio cadaverum morbis defunctorum maxime referenda est; quandoquidem non facile aptius & certius ad naturam causæ morbificæ & sedem affectam pernoscendam, immo ad mortis causas detegendas medium, sectione & inspectione solertiori cadaverum eorum hominum, qui iisdem morbis extincti sunt, invenitur. Quanquam enim non omnia, quæ in dissectis corporibus observantur, semper primę & proximę morborum causæ sint, sed sæpius effectus tantum causarum atque ipsius mortis sistant; nihilominus non raro tamen accidit, ut hac ratione genuinę morborum atque symptomatum insolitorum causę manifestæ fiant. Obversantur sane animo plurimi casus, ubi tum in ipsis morbis, tum in eorum causis cognoscendis, non incelebres etiam, sed magni nominis medici, valde hallucinati sunt, maxime aliena de morborum quorundam indole, & causis proferendo, quorum erroneas cogitationes post mortem apertio evidentissime refutavit. Facta enim sectione, ut plurimum polyposæ in corde vel vasis majoribus concretiones, aut empyemata in pectore absceſſus mesenterii, calculi in bilis conceptaculo, vel in urinaria vesica, rupta sanguinea vel lymphatica vasa, ingentes glandularum tumores, scirrhositates, vel corruptiones putredinosæ viscerum, uterus disruptus, in conspectum venerunt, de quibus nihil plane antea suspicionis fuit. Monendum tantum est, ne in cadaverum dissectionibus, causam morbi confundamus cum causa mortis, quod a pluribus minus ingenuis medicis fieri assolet, quibus sufficiens peritia ad judiciū aptum de læsionibus partium, quæ in sectionibus deprehensæ fuerunt, ferendum deest. Nonnulli etiam data opera causam mortis pro causa morbi venditant, ut hoc pacto aliis imponant, quasi nulla arte morbus, quo vita defunctus æger, medicamentis potuisset submoveri, & sub hoc inclinabilis moriendi necessitatis prætextu famam suam salvam atque integram conservent.

Dissectiones itaque cadaverum frequentiores & solertiores a medicis anatomes peritis majorem in modum commendandæ sunt; eo quod vera causarum morbi cognitio, & prudens remediorum ad eas auferendas applicatio, duo quasi poli sunt, circa quos tota praxis medica vertitur. Et utut accuratior causæ morbificæ cognitio non semper satis sit ad morbum tollendum, sed is sæpe remediorum efficaciam vincat; non tamen ideo inquisitio diligentior cadaverum, tanquam labor parvæ utilitatis incusanda, quod a nonnullis sciolis, qui sapientiam suam non ex puro naturæ fonte, sed ex lutulentis lubricæ phantasiæ speculationibus, haurire satagunt, fieri consuevit: siquidem ad minimum id emolumenti inde resultat, ut medicus an morbus similis occurrens, sanationem admittat, necne? & quænam medicamenta huic malo avertendo idonea sint, quæ non? dijudicare possit. Profecto enim ex unica per anatomen circa morbi alicujus causam facta observatione, plus utilitatis in praxin, præsertim si eadem affectio iisdem plane circumstantiis stipata denuo occurrat, redundabit, quam ex mille subtilibus theoretico-

ticorum ratiunculis, ex fictitiarum hypotheſium ſcrinio depromtis. Pulchre hanc in rem ſcribit *Baglivus lib. 1. Praxeos med. cap. 5. §. 6.* dum ait, *errant, qui putant, ſe morbos feliciter curaturos, quia doctrinam theoretizandi ad amuſſim callent; errant, inquam, quia medicus ad multo altiora reſpicere debet, ut innocentem artem a calumniis vindicet, ægroſque a morborum tædio ad ſalutis tranquillitatem revocet: cadavera hominum morbis denatorum ſecanda ſunt ei, manuſque inquinandæ, ut inveniat, quæ morbi ſit ſedes, quę cauſę, qui exitus antecedentium ſymptomatum, qui demum effectuum omnium in antecedenti morbo obſervatorum eventus.*

Reliquum nunc eſt, ut, præter ea, quæ jam ſparſim in ipſa tractatione monuimus, etiam dicamus, quinam fructus ex medicorum plenioribus obſervatis in perfectionem & certam rationem artis noſtræ redundent. Sunt vero hi eximii. Neque enim alia via vel methodus ſuppetit, qua morbos a ſe invicem probe diſtinguere eorumque cauſas multum quoque diſſidentes cognoſcere poſſumus, quam per multiplices & recte inſtitutas obſervationes. Ad prudentem etiam prognoſin, ſive judicium de morbi eventu formandum, certior & melior, quam per obſervationes, nulla ratio invenienda. Quam infinitæ circa morborum prognoſin regulæ in *Hippocratis* aliorumque veterum monumentis quidem proſtant, ſed maxima ex parte fallaces ſunt, tantum abeſt, ut pro univerſalibus ſententiis & aphoriſmis veris haberi poſſint. Idque accidit eam maxime ob rationem, quia non ex integris morborum hiſtoriis, ſed ex earum fragmentis tantum, & quibuſdam, non omnibus & ſingulis circumſtantiis, depromtæ ſunt. Igitur longe perfectior & hæc doctrina de prognoſi ſperanda nobis erit, modo ex multiplici obſervatione & accuratiori conſideratione circumſtantiarum prognoſticas regulas elicere incipiamus. Neq; dici ſatis poteſt, quã utilia corollaria in uſum futurũ, ratione methodi medendi, ratione applicationis remediorum, & in cognoſcendo, quęnam ex horũ genere noceant, vel proſint, hauriri queant; medico enim nunquã deſiſtendum eſt ab obſervationibus & experimentis, neque ulla, licet etiam minoris momenti videantur, negligenda ſunt. Nos certe non facile caſum quendam prætermittimus, quia vix ullus incidit, ex quo non quippiam adhuc addiſcere poſſimus, quum ad minimum, quod jam inventum & cognitam fuit, exinde confirmetur.

Inter alios vero fructus, quos ex recte conſignatis morborum hiſtoriis exſpectare poſſumus, inſignis omnino etiam eſt is, quod ad diverſas medicorum hypotheſes, opiniones & controverſias in praxi decidendas reddamur aptiſſimi. Quod ſi enim ulla, certe medica diſciplina, innumeris opinionum figmentis, ſectis & diſſenſionibus immerſa eſt. Ex harum vero diſſidentium ſententiarum labyrintho noſmet extricandi non meliorem novimus viam, quam ſi earum applicationem ad medicas obſervationes, quæ genuinum ac immutabilem naturę ordinem & proceſſum in vitæ, ſanitatis, ac morborum negotio complectuntur, urgeamus: tum enim clariſſime eluceſceret, quæ firmo ſtent & talo & ad veritatem accedant, ac viciſſim, quæ a vero abludant & luxuriantis imaginationis fœtus ſint.

Quot diverſiſſimæ medentum in praxi medica, circa remediorum valentiorum & heroicorum, e.c. venæ ſectionis, fonticulorum, veſicatoriorum, purgantium, emeticorum, mercurialium, opiatorum, chinæ chinæ, ſalium volatilium, martialium uſum ſunt ſententiæ: hi eadem laudant, illi damnant, & omnes pro veritate ſententiæ ſuæ acriter pugnant, ut demum cui aſſenſum præbere poſſis, neſcias. Hic certe non accommodatior emergendi ex hiſce difficultatibus patet via, quam ſi obſer-

vationes cum cura & diligentia conscriptas de illis morbis, in quibus damnum vel salutem hęc medicamenta attulerunt, consulamus; quippe tunc facile apparebit, pro differenti circumstantiarum ratione, in eodem morbo remedia hæc insignem opem, vel luculentum etiam damnum attulisse, adeoque in se non esse nociva, sed in medicos culpam esse refundendam, qui iis non recte usi sunt.

Ad hæc integræ atque exactæ morborum historię hanc quoque eximiam utilitatem afferunt, ut eorundem originem, primordia atque generationem exinde perspiciamus ac discamus. Etenim quemadmodum nihil in rerum natura sine causa evenit, & effectus semper proportionati sunt viribus causarum suarum: ita etiam graves & plane inordinatæ motuum vitalium mutationes, ac inde dependentes turbatæ & læsæ functiones, ab efficacibus & sufficientibus causis ut proveniant necesse est. Has solicita & sedula indagine pervestigare oportet medicum. Quocirca præter considerationem ætatis, habitus corporis & temperamenti, necnon dispositionis ad morbos, secundum ordinem rerum non naturalium, quibus unusquisque quotidie indiget, itemque quoad regimen in vitæ ratione, inquirere decet medicum: in quonam deliquerit vel errores admiserit æger; quo deinde his exploratis ac junctim pensitatis, proximæ, quæ morbum facit, causæ generatio eluceseat. Nam si quispiam originem morborum curate investigaverit, semper observabit, causas plures, quæ medicis remotæ dicuntur, concurrere ad causam proximam, qua posita morbus ponitur, constituendam. Et has remotas, sive antecedentes causas iis rebus contineri, quæ maxime sunt externæ & ab arbitrio ac potestate utentis pendent, exploratum est.

Quo facilius autem & crebrius errata inconvenienti harum rerum usu committuntur, præsertim ab iis, qui vires illorum, tam ad juvandum quam nocendum aptas, plane ignorant, quorum tamen maxima pars est: eo facilior quoque, certior magisque obvia est, enata inde ad morbos dispositio, quin ipsa eorundem origo. Hinc dici vix potest, quantum utilitati exactior primæ morborum generationis cognitio, nobilissimæ medicinæ parti, præservatoriæ, conferat. Quod si enim ex crebrioribus observationibus perspectum habeamus, a quibus causis prægressis, & admissis in vitæ ratione delictis, morbus in hoc vel illo corpore incunabula traxerit; in prono deinde ac facili est, salutare consilium aliis impertire, a quibus scilicet valetudini dispendiosis rebus sibi cavere ac temperare debeant, ne in eundem morbum incidant. Et utinam hęc præstantissima artis nostrę pars, quę afflictionibus morbosis avertendis addicta est, qua nihil utilius, & quæ etiam in potestate medici plus posita, quam morborum sanatio, nostris temporibus majori studio, & solertia excuteretur, & hunc in finem uber observationum idonearum apparatus colligeretur; tunc utique futurum esset, ut mortales, & vitam a morbis magis immunem, & diuturniorem, ducerent.

Sed hæc de modo conscribendi observationes morborum in uno individuo earumque insigni utilitate dicta sunto: nunc etiam perpauca subjicienda erunt monita, observanda iis, qui historias de affectibus vel epidemiis, sive populariter in loco quodam grassantibus, vel endemiis, sive certis regionibus inquilinis & quasi propriis rite concinnare ac colligere nituntur. Scilicet quum multi morborum, ac in primis omnis generis febres, tam malignæ & periculi plenæ, quam contagio infestæ, continuæ, æque ac intermittentes, exanthematicæ & catarrhales, arthriticæ ac rheumaticæ, nonnunquam certo quodam anni tempore, regionem vel urbem universali quasi

quasi labe inundent & multos simul invadant, sepius etiam gravioribus aut mitioribus, immo peculiaribus symptomatibus stipatæ sint, & non unam semper eandemque, sed subinde aliam atque aliam medendi rationem exposcant: causæ utique popularis hujus incursus & singularis tamen quem obtinent genii, non aliæ esse possunt, quam quæ pluribus hominibus sunt communes, & in omnes æque cadunt. Jam vero si oculos circumferimus, exploratione curatius instituta, aeris potissimum insalubrem conditionem, ejusque communem omnibus sub eadem plaga usum, incusandum esse patescit: eo quod non solum fluidum illud catholicum aereo-æthereum elasticum, ad motus, qui vitæ præsunt, conservandos & immutandos, prout ex physiologicis constat, multum facit, sed ipse etiam aer mutatus, fluidorum temperiem & solidorum constitutionem afficit, iisdemque aliam & præternaturalem habitudinem inducere potest. Etenim quam ingentes mutationes diversum tantum solis ad telluris superficiem positum subsequātur, anni tempora luculenter arguunt, quibus si accedunt tempestatum vicissitudines, ac ventorum varietate & sibi invicem succedentium diuturniori ex certis plagis flatu oriundæ, ut cœlum vel nimis frigidum, nebulosum & pluviosum incumbat, vel æstuosum & siccum regnet: utique corpora his exposita, non possunt non inde graves alterationes, tam quoad ipsam partium constitutionem, quam ordinatum motuum successum incurrere, eo pluribus solenniores, quo minus quispiam ambientis aeris accessum arcere potest.

Verum hæc generalis aeris, quoad tempestatum vices contemplatio, quæ plures sæpe regiones tangunt, & latissime se diffundunt, non sola sufficit ad eruendam morborum epidemiorum generationem. Nam multiplici observatione constat, sub eadem plaga & cœli constitutione, hunc vel illum morbum unius tantum loci incolas affligere, proxime adjacente ab eodem vel plane immuni, vel minimum mitius & parcius infecto; id quod variolarum, dysenteriæ ac purpuræ exemplis in primis confirmatum habemus. Quare simul ratio habenda fluidi aeris cuivis loco proprii, quod mirifice pro varia indole exhalationum, tam ex patulis stagnorum ac paludum conceptaculis, quam reconditis ibi in terræ sinu mineris sulphurcis, vitriolicis, aluminosis, bituminosis, salinis, ipsi insinuatarum, discrepat. Quæ effluviorum, & inde dependens ipsius aeris, cuivis loco & urbi quasi propria varietas, non luculentius demonstrari potest, quam ex cerevisiarum diversitate, utpote quæ, licet ex eadem polenta iisdemque aliis ingredientibus, eodem quoque modo & artificio, quin eadem aqua coquantur, mirifice tamen & sapore, & colore, & virtute, differunt.

Non minus ad meliorem & specialiorem causarum, quæ morbos epidemios gignunt, cognitionem, ipsius loci situs, aquarum indoles, receptum vitæ genus & sueta victus ratio pensitanda sunt: quo ex omnibus his inter se comparatis ac simul consideratis, innotescat, in quo epidemiorum morborum causæ, indole, materia, textura, potentia ac virtute differunt, & partium corporis structuram motusque turbent ac præter naturam afficiant. Quin prævisis sic causis & concurrentibus circumstantiis, in proclivi est, non tantum imminentem cuivis regioni epidemiam luem prædicere, verum etiam utilissima suggerere consilia, quo pacto eadem arceri, vel congruis auxiliis mature abigi possit. Et quamvis hoc negotium admodum arduum, & perdifficile esse videatur: spem tamen non penitus abjiciendam esse reor, modo plures periti & rerum naturalium gnari medici, unitis consiliis, in diversis locis, per omnes occurrentium annorum periodos, singulis diebus, cœli mutationes, tempestatum vices, ventorum flatus, & in barometris ac thermo-

mometris exacte conspirantibus, liquidi ascensum & descensum, necnon in hygrometris siccitatis & humiditatis differentias, curate annotarent, & simul quoque locorum situm, victum in genere & specie, præsertim eorum, qui in morbos epidemios incidunt, quibus symptomatibus hi incedant, quem exitum sortiantur, quæ medicamenta respuant, quæ admittant? exponerent. Intensissime itaque optandum ac serio monendum est, ut omnes qui historias ejusmodi popularium morborum contexere sibi sumunt, quemadmodum id laudabili instituto per aliquot annorum decursum quidam exorsi sunt, ad omnia hæc inculcata monita studiose attendant, & ad earum normam observationes consignent, emolumento certe non satis deprædicando.

CAPUT III.

De morbis curate discernendis & recte dignoscendis.

§. I.

AD therapiam tuto & feliciter instituendam nihil æque conferre, ac morborum, quorum sanationi medicus manum admovere sibi sumit, causas, symptomata atque peculiarem indolem probe nosse, res est, de qua inter medicos, rationali artis culturæ vacantes, nulla unquam fuit relicta dubitatio; ut potius jam apud priscos medicinæ auctores inter universales aphorismos relatum legamus: quod qui bene cognoscat, idem quoque bene curet. Et certe veritas hujus dicti in aprico posita est, siquidem plures utique sunt morbi, qui maximam inter se alunt cognationem, tantaque procedunt symptomatum similitudine, ut eorum interior indoles & specialis differentia, vel a sagacissimo medico interdum vix deprehendi, cognosci & erui queat.

§. II.

Quare quum unus morbus alterum, tam invasionis modo, quam symptomatum plurimorum parilitate, tam exacte sæpius referat, ut primo statim intuitu vix alius ab alio exquisite possit discerni; utique maxime necessarium est scire: quænam specialiores notæ characteristicæ attendi debeant, ex quibus postmodū intimior de morbo aliquo possit obtineri cognitio. Si quid enim est, quod medicum reddit fama celebrem & quasi ἰσόθεον, profecto est illa doctrina, qua ipse instructus ad firmum & indubium de genuina indole ac certo eventu morbi proferendi judicium, redditur longe capacissimus. Contra vero nihil perinde existimationi medicorum detrahit, quam si hac in parte turpiter impingant, & fallacē inprimis circa morbi cujusdam processum atque exitum interponant sententiam; quandoquidem si de iis, quorum veritatem dies futurus commonstrare debet, alienum quis fovet conceptum, error ipsius facile sit evidens, ac manifestus. Nam qui circa nudas theoreticas in medicina veritates singulares ex phantasiæ potius fonte, quam ipsa ex rei natura desumtas opiniones alit, is ea propter ignominiæ labem haud incurrit, quoniam maxima hominum pars incapax plane est de rebus medicis solide judicandi, & connexionem theoreticorum axiomatum cum practicis perspiciendi. Haud injuria vero ignarus medicaster imprudentiæ prēmium fert ignominiam, quum non levi, ex ignorantia causarum morbi & neglecta inter morbos apparenter cognatos distinctione, in medicina facienda & indicationibus medendi eliciendis, emergat difficultas. Etenim *quem morborum origo & primordia fefellerunt, is*, secundum præclarum Medicorum Ciceronis, *Celsi*, effatum, *minus recte curam suscipit:* & vicissim, *qui ad cognoscendum sufficit* quemadmodum sapienter proditum est ab *Hippocrate Lib. de arte* §. 20.

§. III.

Verumenim vero, quo excellentiori usu hæc doctrina sese commendat, eo minus vulgo ejus rationem haberi constat. Dici certe vix potest, quam turpiter nonnunquam ludibrio vulgi sese exponant medici, etiam ii, quorum eruditio in reliquis medicinæ partibus non mediocris est, si v. c. uterum a prole expansum pro hydrope ascite, vel ascitem pro imprægnatione venditant: si febrem malignam, periculi raro expertem, pro benigna catarrhali: si inflammationem ventriculi & intestinorum, pro solo dolore colico: asthma flatulentum pro catarrho suffocativo: syncopen pro apoplexia: variolas pro petechiis: purpuram pro variolis: dolorem ex calculo pro affectu ischiadico, molimine hæmorrhoidali vel dolore colico & quæ plura sunt, habeant. Ecquis hic non clarissime perspicit, medicum in morbis hisce distinguendis hallucinantem, tum in prognosi facienda, tum in curæ administratione legitima, quam facile peccare possit? Alia enim remedia hydropicus & cachecticus status, alia imprægnatio, rursus alia febris maligna, quam benigna catarrhalis, postulant. Quæcunque prosunt in dolore colico, illa ipsa in ventriculi inflammatione maxime nocere possunt. Secus procedendum in cura asthmatis flatulenti, quam catarrhi suffocativi. Sic etiam methodus, qua utimur in syncopticis excitandis non sufficit in apoplexia auferenda. Longe alia quoque medendi via ineunda in calculosa affectione, quam in ischiadica, & urgente hæmorrhoidalis sanguinis congestione ac colicis torminibus. Variolarum, petechiarum, purpuræ diversa itidem inter se est conditio, & diversam quoque ex parte therapiam & medicam tractationem requirunt. Ut adeo pateat, ingentem intercedere differentiam inter medicos artis suæ gnaros & rerum suarum satagentes, qui doctrinam de distinguendis morbis ex observationibus conquisitissimis rite hauserunt, & inter illos spurios Æsculapii filios, qui hujus doctrinæ prorsus rudes, fortunæ tantummodo omnia committunt.

§. IV.

Ne igitur medens in re tanti momenti impingat, sed morbum, quem curandum suscipit, ab aliis, eadem ferme facie incedentibus, curate discernere possit, animo imbibenda & firmiter tenenda sunt, indicia certa & notæ characteristicæ, quæ unicuivis propriæ sunt, eundemque produnt ac manifestant. Nimis vero longum foret singulas morborum species percurrere, eorumque differentias inter se conferre: ideoque mihi sufficerit communissimos, difficulter tamen distinguibiles, in medium attulisse, in quo differant indicasse, & mutuo demum comparasse. Et febris quidem denominatio permultis morbis communis est, qui tamen ratione causarum indolis, periculi & medendi methodi quam maxime discrepant, eamque ob causam caute sunt distinguendi. Scilicet est febrium quoddam genus ephemera dictum, quod præcipuum & peculiare id obtinet, ut intra breve temporis spatium, & plerumque intra viginti quatuor horas, perspiratione auctiori ad finem pertingat. Alia febris species est synocha, his a reliquis dignoscenda signis, si primo horror, & refrigeratio levior, quam in cæteris est, dein parum remittunt symptomata, quam ob causam a veteribus febris continentis nomine insignita fuit. Solet quoque maxime circa auroram adoriri; & terminatur utplurimum hæmorrhagiis narium vel sudoribus largis, circa quartum vel septimum diem erumpentibus. Causus a tertiana continua, in qua simillima præsto sunt symptomata, differt in eo, quod in hac exacerbatio tertio die observetur, in causo vero singulis diebus ea præsens sit.

§. V.

Febris porro maligna, κατ' ἐξοχήν ita dicta, discrepat ab aliis febribus, v. g. semitertiana, synocha putrida, febre ardente biliosa inflammatoria, quæ in-

inflammationem ventriculi vel intestinorum junctam habent periculo. Ratio autem distinctionis in eo posita est, quia febres malignæ, stricte sic dictæ, contagio ortum debent, quo recensitæ febres inflammatoriæ carent. Dein causam quoque agnoscunt diversam, quæ in sic dictis inflammatoriis est stasis ad sphacelum transiens, in malignis vero lympha magis fermentescibilis, putrida, nervorum fluidum celeriter eadem corruptione contaminans; unde subitanea virium corporis prostratio jungitur. Distinguitur identidē hæc febris maligna a catarrhali in eo, quod in illa repentina & mox ab initio morbi virium adsit defectio, cum perpetua agrypnia, quam mentis perturbatio tandem excipit, maculæ quoque rubræ, petechiarum nomine venientes, vel etiam purpura, plerumque alba, ipsis complicantur, & funestum exitum minantur, quæ cuncta in benignis catarrhalibus non observantur, ubi potius seri erodens salina qualitas coryzam, gravedinem, raucedinem, tussim & pectoris oppletionem & quasi erysipelaceum intra fauces asperamque arteriam ardorem causatur. Ubi itaque hæc signa non adsunt, ibi etiam perperam catarrhalis febris judicatur. Illud tamen non inficias eundum, febrem catarrhalem malignam æque ac benignam, cum malignis petechialibus multum alere convenientiæ, adeo, ut ab incautis minusque exercitatis medicis sæpissime confundantur; eo quod lenissime sine magno æstu, dolore, atque anxietatibus eminentibus procedunt, in utrisque dejectio mucidæ materiæ per tussim jungitur, & circa vesperam symptomatum fit exacerbatio.

§. VI.

Accedunt aliæ febrium species & quidem mesentericæ, quæ quo frequentiores, eo difficilius vulgo dignoscuntur, ita ut sub malignarum titulo plerumque vendantur. At vero longe distinctissimæ sunt ab his, quoniam non epidemice grassantur, neque contagio aut exanthematibus infestę sunt, neque celerem mortem inferunt, sed ultra vigesimum primum diem utplurimum trahuntur, & lubentissime in hecticas lentasque degenerant. Signa reliqua, quibus hæ febres ab aliis distinguuntur, præter jam prolata, sunt extremitatum frigus, urinæ tenues, paucum spissamenti & subsidentis sedimenti dimittentes, tusses copiosæ, sine multa materia, siquidem non cocta, sed cruda exspuunt, faucium dolor & rubor, perpetuum cibi fastidium, sitis defectus, febris uno die remissior, altero gravior, iterumque exacerbatus hemitritęorum more insultus, quæ signa sigillatim collegit *Hippocrates Lib. 1. popular.* §. 1.

§. VII.

Quod attinet ad febres purpuraceas, variolaceas, morbillosas & petechiales, eæ facillima ratione ex cutis efflorescentiis dignoscuntur. Differt enim purpura rubra a petechiis & febre sic dicta purpurata maligna, dum in hac maculæ non sunt elatæ, nec cutim scabram reddunt, neque cum frigore, æstu volatico, pruritu & ardore cutis, ac summa oppressione pectoris erumpunt, uti purpura tam rubra, quam alba, quæ & tangentibus & videntibus se se conspicuam præbet: & iisdem notis distinguitur quoque a morbillis. Petechiarum a variolis in eo diversa est ratio, quod septimo plerumque die, non vero ut variolæ quarto erumpant, ac sine elevatione & suppuratione superficiem obsideant: a morbillis autem distinguuntur, quod minoris ambitus maculæ sint, quam in his: neque instar morbillorum tantisper emineant. Variolæ & morbilli primo eruptionis die ægrius discernuntur, secundo autem facillime, quia illæ mox sese efferre, pustulasque protrudere solent. Differunt vero utræque a purpura, quod neque cum horripilatione cutis ejusque scabritie prorumpant, neque tactui ita se se offerant. Variolę & morbilli respectu periculi etiam dispescuntur in malignæ & benignæ indolis, item in regulares & irregulares. Distingui etiam merito debent variolæ veræ a spuriis,

quæ

quæ vulgo dicuntur *Wasser-Pocken*, *Spitz-Pocken*, & erumpunt cum vesiculis malignis pellucido humore oppletis, minori symptomatum agmine, vehementia, & sine periculo.

§. VIII.

Jam ad febres intermittentes transitum facimus. Differt quotidiana intermittens a quotidiana continua, qualis solet esse sæpius catarrhalis benigna & maligna, dum in hac remissio tantum fit symptomatum, & singulis diebus exacerbatio, non autem plenaria intermissio, uti in quotidiana intermittente; quæ etiam differt a febre lenta & hectica, siquidem illius paroxysmus tempore matutino, harum vero circa tempus vespertinum ingruit. Dein discernitur quoque a tertiana duplici, quæ etiam singulis diebus accedit, sed ita, ut ejus accessiones non sint æquales, id est, non quovis die in eundem temporis articulum incidant; sed altero tantum die sibi respondeant, ut tempus paroxysmi, qui invasit primo die, congruat cum tempore paroxysmi tertii diei, & tempus paroxysmi secundi diei, conveniat cum tempore quarti diei.

§. IX.

Variæ autem sunt tertianarum species & differentiæ: distinguitur enim in simplicem & duplicem. Illa est, quando uno die, qui spatium viginti quatuor horarum complet, plenaria est febris & symptomatum intermissio; in hac vero singulis diebus paroxysmus recurrit, ita tamen, ut subinde alternis diebus ratione temporis convenientiam invicem monstrent. Rarius quoque tertiana duplex in principio invadit, sed potius simplicem sequitur. Deinde dispescitur in legitimam & notham, seu spuriam: illa dicitur, quando horrorem insignis æstus sequitur, cum siti, capitis dolore, quæ ultra decem horas non facile durant, urina flammea secedente; hæc vero non adeo magno æstu stipatur, ad viginti horas & ultra extrahitur, urinam turbidam reddit, non flammeam; & finito paroxysmo, insignem languorem & concussionem quasi artuum, *als vven alle Glieder zerschlagen vvaren*, cum inappetentia post se relinquit. Distinguuntur alias quoque tertianæ in cholericas & pituitosas, in regulares & irregulares, vernales & autumnales, epidemicas & endemicas; sed quoniam exigua admodum difficultas in hisce discernendis occurrit, quum ex ipso appositio epitheto differentia satis superque pateat, earum nomina tantum attigisse sufficerit.

§. X.

Accedimus nunc in explicatione differentiæ febrium ad quartanam, quæ dividitur in legitimam ac simplicem, & in duplicem ac notham, dein quoque in intermittentem & continuam. Simplex & legitima est, si quarto quoque die revertitur paroxysmus, si vero intra quatuor dierum spatium duo paroxysmi ingruunt, febris quartana duplex audit. Notha quartana dicitur ea, quæ non servat tempora ordinaria invasionis, quæ sunt post meridiem ac vesperi. Quartana continua vocatur, ubi paroxysmi quarto quidem die redeunt, intra id vero tempus febriles motus non plenarie silent, sed symptomatum tantum remissio adest, & languor corporis, cum lento & præternaturali calore & pulsu celeri, remanet.

§. XI.

Febris porro lenta & hectica ita distinguitur, ut hectica superveniat hydropi, phthisi, atrophiæ, vel cachexiæ scorbuticæ, & incunabula trahat ex viscerum, aut ipsius mesenterii apostematibus, vel etiam glandularum mesentericarum corruptione, putredine, induratione, eamque ob causam sit insanabilis. Lentę vero febres ex febribus maxime diariis, quotidianis, tertianis, duplicibus oriuntur, si eæ perversa methodo per adstringentia styptica & nimis calida tractantur. Nascitur quo-

que febris lenta a virium debilitate summa, ob præcedentes enormes hæmorrhagias, uteri v.g. in abortu, vel a gravioribus vulnerationibus, item a longioribus morbis prægressis; siquidem ob virium imbecillitatem ventriculus debilis multas ingenerat cruditates, a quibus postea lentæ febres suam originem nanciscuntur. Lentæ quoque febris ab hectica in eo dispar est ratio, quod longe gravioribus hæc stipata sit symptomatibus, siquidem pulsus continuo celer micat, etiam matutino tempore, post somnum peractū unde genę quovis tempore aliqua rubedine tinctæ observantur, major quoque præsens est virium resolutio, ac in lenta, ubi mane & ante cibum arteriarum ictus remissior, & naturali similis, vesperi vero & post cibum celerior fit, genarum rubor cibo sumto tantummodo se prodit, minorque virium adest prostratio, quippe adhuc extra lectum versari febre lenta laborantes possunt.

§. XII.

Hisce deductis inflammatorię febres expendendæ, e quibus frequentissimæ sunt peripneumonia & pleuritis. Admodum autem conspicua est peripneumoniæ ac pleuritidis verę, & spuriæ differentia; siquidem pleuritis spuria ea est inflammatio, quæ membranas & musculos intercostales tantum occupat, & ad rheumatismi potius speciem referenda est; vera autem pleuritis sedem suam habet in ipsa pleura, quæ intus thoracis cavitatem investit, & plerumque in consensum trahit annexos subinde pulmones; & peripneumonia ipsam pulmonum substantiam occupat. Porro in pleuritide spuria fit dolor etiam exterius manifestus, dum tactu manuum exasperatur, isque magis vagus, quam fixus est, quandoque latius sese extendit & usque ad scapulas propagatur: tussis magis sicca, quam humida, omnis cruoris expers, cum febricula quadam leniori complicatur, vesperi potissimum incommoda est, & hic morbus intra breve plerumque temporis spatium, sæpius sine venæ sectione, discutitur. Contra ea in pleuritide vera, dolor est acutior, magis fixus, febris intensior, respiratio difficilior. Et in peripneumonia hæc omnia quidem concurrunt, sed dolor non ita intensus est, licet ad dorsum & scapulas sese extendat, major visitur pectoris oppressio, respirandi difficultas, & sputum cruentum, sanguine fusco tinctum, screatu rejicitur.

§. XIII.

Ad inflammationem ventriculi quod attinet, differt illa a cardialgia, neque cum ipsa debet confundi. Nam licet in utroq; morbo adsit maxima anxietas, inquietudo, *daſs ſie ſich hin und vvieder ſchmeiſſen im Bette*, & dolor pressorius atque ardens circa præcordia; in eo tamen subest differentia, quod inflammationis ventriculi dolor sensum intensissimi ardoris prę se ferat & quasi instar prunæ sit; deinde, quod nec alimenta, nec medicamenta facile ferre, sed ab illis ingravescere soleat, item quod febris cum pulsu celeri & inæquali, depresso ac debili, ventriculi inflammationi juncta sit, quod secus evenit in cardialgia. Distingui etiam debet inflammatio ventriculi ab inflammatione hepatis, & quidem concavæ partis, qua ventriculus tegitur, non solum vehementia symptomatum, sed etiam quod ardor circa scrobiculum cordis in ventriculo inflammato est vehementissimus & fixus, in hepatitide vero ad latus magis dextrum & spurias costas vergit, neque ab assumtis dolor & anxietas increscit, ut fit in ventriculo inflammato. Discrepat etiam ventriculi inflammatio ab ejus erosione; nam illa subito oritur, passioque est acutissima, & sicuti spasmis ortum debet, ita cum spasmis violentis & symptomatibus gravissimis stipata est. Dolor vero ex erosione non tam ardens est, neq; stricturis spasticis infestus, sed malum potius chronicum febrem lentam comitem habens, nisi quod in eo

simi-

similitudo cum inflammatione ventriculi adsit, quod ad assumta dolor anxius exasperetur. Denique inflammatio ventriculi, a veneno caustico animique vehementiori affectione orta, distingui debet ab ea, quæ fit ex potu frigido corpori calefacto immisso, quæ non tam horridis & atrocibus symptomatibus est infesta, neque tam violentas in totum corpus exercet spasticas contractiones, sed febre magis lenta & putrida, nisi mature succurramus, jugulat.

§. XIV.

Anginæ præterea species variæ sunt, & pro earum differente indole, diversa quoque sortiuntur nomina, quas distincte nosse in praxi non minus utile, quam necessarium est. Nimirum quando inflammatio obsidet interiores partes laryngis, præsertim musculosas, extus autem nec rubor, nec tumor quidam apparet, sed magna adest respirandi angustia ad suffocationem usque, vocari solet cynanche, & intra viginti quatuor horas sæpius necat, dum complicata est exquisita acuta febris. Altera species anginæ, in qua interiores pharyngis musculi magis affecti sunt; & ubi major difficultas deglutiendi, quam respirandi est, pariter sine insigni externo rubore vel tumore, dicitur synanche. Quando vero inflammatio vergit ad partes exteriores, adeoque tumor & rubor magis est conspicuus, tunc, si malum prehendit gutturis seu laryngis partes, paracynanche, si vero pharyngis exteriora occupat, parasynanche appellatur.

§. XV.

Distingui etiam solet angina in veram & spuriam. Illa fit a stasi sanguinis inflammatoria, & morbus maxime acutus est, ob febrem impense acutam, & talis plerumque est interior: hæc notha vero, pro causa magis agnoscit congestiones sanguinis, vel etiam lymphæ, in partibus oris, faucium, & colli glandulosis, febrem magis comitem habet lymphaticam, & minus alit periculi, sed diutius affligit. Deinde angina optime dispesci potest in siccam, valde ardentem, & humidam, sive mucosam. Illa fit a sanguinis stasi in morbis maxime acutis; in hac vero muco copioso & lingua & faucium regio obducta & quasi invisçata est, ac febribus catarrhalibus complicatur, neque minus scorbuticis, cachecticis familiaris est, & diutius durat, orisque fetore molesta est.

§. XVI.

Ab hisce inflammationum speciebus discernenda porro est inflammatio oris & œsophagi mucosa, quæ vocari solet prunella, & febribus acutis exanthematicis supervenit, vel etiam plerumque inflammationi ventriculi succedit. Dicitur a nonnullis Germanico idiomate *die Hertzbraune*, & malum est admodum anceps ac periculosum, in quo muco etiam incrustata sunt narium interioras, sub quo ardens inflammatio delitescit. Differt etiam angina ab aphthis, sive pustulis ardentibus in lingua & faucibus; siquidem angina latius diffunditur & vicinas partes late in consensum rapit, in aphthis vero tantum ardentes & dolentes vesiculæ in lingua vel faucibus certas modo partes obsident.

§. XVII.

Deinde angina sicca interna, quæ vocari solet cynanche, non confundi debet cum spasmo, hystericarum fauces firmiter constringente, & respirationem ac deglutitionem difficilem reddente; quia hic sine periculo & facilius transit, facile etiam vincitur; in angina autem vera sanguinea interna, non tantum dolor ardens, & pungitivus, circa interiora faucium percipitur, sed & lingua sanguine turget, tumida ac rubicunda fit, quandoque nigra redditur, facies rubore inflata est, temporum arteriæ valide pulsant, in quibusdam etiam cephalalgia, in aliis somnolentia, in nonnullis lipothymia visitur, externa utplurimum frigent & alvus adstricta est.

§. XVIII.

Ab angina pergimus ad phreniti-

dem, quæ est inflammatio membranarum cerebri, & sese manifestat delirio feroci, cum oculis rigentibus fulgentibusque, febre ardente, vigiliis assiduis, rubore faciei, arteriarum vehementi, non secus ac si in cranii cavo pulsarent, & circa tempora vibratione. Differt phrenitis a mania, quod illa affectus acutus & utplurimum febrium symptomata valde periculosum, mania vero malum est chronicum sine periculo & febre. A phrenitide porro mentis alienatio, aliis febribus jungi solita, gradu dignoscenda, quia mitius procedit, & facilius abigitur. Distat etiam phrenitis a melancholia, quæ itidem malum est chronicum, collecto in vasis, præsertim capitis, sanguini crasso originem debet. Tandem etiam differentia intercedit inter phrenitidem & hydrophobiam. Etenim hydrophobia a canis rabidi morsu inducitur, ejusque specialior nota characteristica est liquidorum omnium aversatio, adeo ut affecti viso tantum liquore aliquo, mirum inhorrescant, & motibus convulsivis corripiantur.

§. XIX.

Hepatis inflammatio duplex est, vel enim in parte concava consistit, vel in parte convexa. Signa, quibus illa cognoscitur, sunt singultus, vomitus, cardialgia, ardor & dolor fixus sub scrobiculo cordis, versus latus dextrum, febris, tussis sicca, inspiratio difficilis, alvus adstricta. Quando vero in convexa parte erysipelacea inflammatione hepar affectum est, tunc in costis spuriis lateris dextri dolor gravativus, constrictivus & punctorius percipitur, cum tussi, febre, respiratione difficili. Et hac ratione mentiri solet pleuritidem spuriam, a qua tamen discriminatur febre ac respiratione remissiori, & dolore infra diaphragmatis regionem urgente: quibus accedit, quod pleuritis spuria facilius discutiatur, & die septimo utplurimum finiatur sudore vel hæmorraghia: in hepatitide vero, si res male succedit, convulsiones præsto sunt, vel si diutius perdurat, quippiam hydropici vel hectici, ob abscessus latentes, post se relinquit.

§. XX.

Nephritis pura & simplex, quæ est levior renum inflammatio, in eo a nephritide calculosa discedit, quod in illa dolor circa lumbos fixus, sed tendens & pressorius diuturnus esse soleat, in calculosa vero longe acerbior, qui etiam locum mutat & se magis extendit ad illa; siquidem exquisitus ille dolorificus sensus, qui a calculo fit, demum in ureteribus eorumque principio, non vero in renali substantia, sese exserit. Deinde in calculosa nephritide sabulum crassum per urinam secedit, quod in nephritide simplici non cõtingit, ut cryſtalli rubicundæ & pellucidæ vitri urinalis parietibus sese apponant. Neque etiam nephritis cum malo ischiadico confundi debet, quod quidem facile accidit, quia in hoc dolor sæpius per totum femur excurrit, quod inde stupore atque rigore afficitur, nihilominus tamen disparitas utriusque exinde patescit, quod ejus dolor nephriticis in loco, quo renes situm habent, pertinacius consistat, quum ischiadicus dolor ossi conxendicis fixus magis inhæreat. Tum in nephritide crebrior ad urinam est stimulus, parcior tamen ejus fluxus, quod secus in ischiadica affectione observatur.

§. XXI.

Ex inflammationibus, quæ partibus externis incumbunt, frequentius occurrit erysipelas, quod superficiem tantummodo cutaneam rubore, tumore, & dolore afficit, eaque propter probe distinguendum est a phlegmone, in qua ipsos substratos musculos inflammatio simul corripit. Phlegmonem autem a gangræna discernere idemtidem oportet; siquidem in hac inflammatio aliquando profundius serpit, & non modo musculosas, sed & tendinosas ac nervosas partes occupat, atque adeo tum intensiori ardore & dolore, tum profundo ac latius se extendente duro tumore ac rubore, qui tandem in livi-

do-

do-nigricantem transit, cognoscitur.

§. XXII.

Devenimus nunc ad varias hæmorrhagiarum species, e quarum censu, quæ non parum periculi alit est hæmoptysis, sive sanguinis floridi e pulmonibus per tussim rejectio. Hæc curate distinguenda est a sputo cruento, quod ex interiori gurgulionis, faucium ac narium ductu emergit, & potius screatu, quam tussi, succedit, parcius etiam esse solet, pituita remixtum & obscuro sanguineo colore tinctum. Deinceps vera hæmoptysis discernenda quoque est ab illo sputo cruento, quod parciori in quantitate ex fauciatis arteriæ asperæ vasis cum tussi ejicitur, & cum pruritu ac sapore salso jungi suevit. Multum quoque hæmoptysis distat a vomitu cruento, siquidem in illa sanguis tenuis nitide floridus, arteriosus, non sine magno nisu ac labore eliditur, in sanguinea vero vomitione cum anxio conatu crassus, coagulatus & nigricans cruor, ex venosis magis vasis elapsus, citra tussim exturbatur. Neque ipse vomitus cruentus sine discrimine considerandus & excipiendus est, sed ratione causarum multum differens, aliam & diversam medendi rationem quoque desiderat. Alius enim est a causa materiali caustica erodente, in ipsius ventriculi cavo contenta, quemadmodum fit a venenis causticis & fortioribus emeticis assumtis; alius vero oritur a motu sanguinis impetuosiori, ex aliis & remotis partibus ad ventriculi vasa, præsertim brevia, quæ facile perforantur, delati, quale quid fieri suevit in mensibus & hæmorrhoidibus subito & cum violentia quadam repressis; atque ejusmodi vomitus plerumque suas statas ac certas periodos servare solent.

§. XXIII.

Porro in mictione cruenta hæc potissimum distinctio observatu digna est, quod alia fiat ex calculo asperiori, uretherum, vel urethræ vascula dilacerante, quæ tamen rarior est, neque facile in nephriticis comparet, & exigua etiam tunc stillat sanguinis quantitas: contra vero si citra quandam violentiam a sanguinis impetu, ad renum substantiam ex aliis partibus rapto exoritur, sincerus largiter sæpius sanguis, sine singulari incommodo vel sensu, cum urina emittitur, & interjecto pauco tempore, ad fundum, colorem non rubicundum, sed ex bruno fuscum exhibens, secedit. Affectus hic familiarius accedit ætate gravibus, vegetis tamen & plethoricis, ac sæpius sine periculo contigit. Stillicidium sanguinis ex præputio rarior quidem affectus est, a nobis tamen binis vicibus observatus in plethoricis & senio jam proximis, his a mictu cruento notis dignoscendum, quod guttatim stillet sanguis, & quidem continuo, etiamsi urina non reddatur, quum in mictu cruento nunquam, nisi simul cum urina, sanguis proliciatur.

§. XXIV.

Tum fluxus sanguinis periodicus, qui in gravidis quandoque salutariter contigit, probe etiam discerni debet ab eo, qui abortum minatur. Scilicet quando sanguis periodice & paulatim, per tres vel quatuor priores mēses, manat, tunc fluxus est salutaris: si vero largius sanguinis profluvium, ex internis uteri vasis apertis succedit, vix sine gravidæ & embryonis detrimento fit. Quin si fluxus est vehemens, indicium præbat totalis separationis secundinæ & subsequuturi abortus; si moderatus, pars tantum abscessit, & fœtus salvari potest. Et hoc sanguinis stillicidium, si periodo catameniorum respondet, & orificium uteri sub fluore clausum contrectatur, nullique partus dolores superveniunt: tunc probabiliter infertur, non ex ipso utero, verum e vagina tantum scaturire hunc laticem. Contra vagæ sive erraticæ magis & periculosæ judicandæ excretiones sanguinolentæ, quæ male ad calculum tributi lunaris exsolvuntur, justo copiosiores prode-

unt,quæ ostium uteri patulum & conatus partus imminentis junctos simul habent.

§. XXV.

Præterea etiam hæmorrhoidum fluxus a dysenteria rite est distinguendus, quum ambo convenientiam in eo exhibeant, quod utroque in affectu sanguis excrementis intermixtus secedat. At si paulo curatius reliquorum symptomatum inter se comparationem instituamus, tum facillima ratione differentia harum fluxionum inter se invicem patescet. Etenim in hæmorrhoidum fluxu sanguis cum excrementis prodit, sine ullis torminibus & dolorificis spasmis,ejusmodi etiam fluxio critice & salutariter succedit:contra vero in dysenteria cum atrocissimis spasmis & torminosis doloribus stercora sanguinolenta dejiciuntur, & universum corpus inde gravissime affligitur, præsertim si intestina tenuia simul patiuntur,ubi primis morbi diebus adsunt vomitus,singultus, anxietates præcordiorum,appetitus prostratus & virium insignis languor. Denique dysenteria alba a rubræ & carnosæ indole haud parum abludit;in alba enim parum cruoris manat, ingens autem muci copia excernitur, in rubra autem sanguis copiosior, cum frustis parvis carneis, quandoque rejicitur.

§. XXVI.

Nunc sequuntur dolores, e quibus ii, qui caput divexari solent, frequentiores sunt, & pari ratione admodum variare præsertim quoad causas & generandi modum, observantur. Etenim causa cephalalgiæ si est sanguinis impetuosior ad caput congestio, tum calore,rubore & tumore faciei, cum magna arteriarum, quæ sunt in collo & temporibus, pulsatione se exserit, quin immo dolor &ardor interdum ad oculi bulbos se extendit, atque extremorum refrigeratio plerumque jungitur. Si pertinacior est cephalalgia & Venerei contagii soboles, noctu magis, quam interdiu ingravescit, & plerumque certæ parti firmius dolor insidet,ut cutis ibi a subdito humore viscido non raro in tumorem attollatur. Porro quemadmodum frequentius causa doloris in capite partibus externis cranii & maxime pericranio inhæret; ita, si in cerebri meningibus sedem suam ac domicilium habet, cum vertigine,rubore oculorum,stupore, oblivione, auditus gravitate infestat, & vel paralysin, vel apoplexiam præcedit,aut sequitur.

§. XXVII.

Alia vero doloris capitis causa est effusio seri & sanguinis e vasorum alveis, & in sinuositatibus ossium frontis firmiter impacti, quod si accidit, dolor est pertinax, acerbus, fixus, & supra oculos in radice frontis per dies noctesque urget. Interdum quoque caput male habet ex cruditatibus in ventriculo obhærescentibus,quę nuctibus,phlogosi, ac primarum viarum spasmis sese produnt, dum quoque ingestis flatulentis dolor augetur, vomitu vero, evacuantibus, & stomachicis medicamentis minuitur. Alia adhuc, sed minus a medicis cognita est cephalalgiæ causa,si lympha extravasata in ventriculis cerebri secedit & stagnat, neque per infundibulum aut glandulam pituitariam secernitur; quo casu interiora totius capitis continuo dolent,& doloris allevatio non certius & commodius impetratur, quam abstinentia a potu, & seri per evacuantia aut diuretica in cachecticis & cacochymicis absumtione ac eliminatione.

§. XXVIII.

Inter omnes dolorum species cardialgia acerbitate ceteras facile superat. Hæc autem est dolor spasmodicus orificiorum ventriculi, tam dextri,quam sinistri, qui tamen longe multumque ratione causarum differens est. Scilicet alius est a causa intra ventriculum hærente, materia nempe acri, caustica, ut a veneno assumto; item in cholerica passione, vel etiam dysenteria, ab acerrima caustica bile proficiscens. Alia vero cardialgia est a sanguine suppresso mensium vel hæmorrhoi-

rhoidum fluxu, ad membranas ventriculi nerveas regurgitante, easque nimium tendente. Hinc enim est, quod affectus hic fœminis, quibus post quinquagesimum annum menstrua purgatio vel parcius accidit, vel plane subsistit, præsertim si spongiosioris habitus sint, admodum familiaris esse observetur, & in curando eo, convenientes vel per scarificationem aut venæ incisionem sanguinis missiones, omne pæne absolvant punctum; quum vicissim in illa cardialgia, quæ a materia acri caustica suscitatur, demulcentia, oleosa, temperantia, lac asininum, vel infusum florum chamomillæ saturatum, cum cremore lactis, interposito pulvere absorbente, desideratissimam opem ferant. Deinceps cardialgia jure meritoque etiam distingui debet ab inflatione ventriculi dolorifica, quæ a flatibus mirifice stomachum distendentibus subnascitur. In hoc affectu sub costis spuriis, præsertim in sinistro latere, dolor, & sub cordis scrobiculo, versus dextrum, tumor instar vesicæ flatu distentæ, frequentius visitur & percipitur, adest simul magna spirandi cum anxietate difficultas, quæ eo gravior est, quo magis diaphragma a distento stomacho, sursum urgetur & pulmonum expansioni obicem ponit. Et hoc malum admodum solenne est infantibus, qui adhuc lactantur, si ipsum lac in ventriculi cavo stagnans, coagulum & corruptum in flatus explicatur. Frequentius quoque accidit hypochondriacis, præsertim si nimium & cum magna aviditate cibos, qui ob viscosam & ægrius solubilem substantiam flatuum proventui favent, ingerunt.

§. XXIX.

Neque parum refert, ut medicus dolorem colicum probe discernat ab eo, qui ex calculi descensu per uretheres oboritur. Quippe in calculo renali dolor profundus pressorius, lumbis quasi infixus pertinaciter hæret, cum quodam horripilationis intercurrente sensu; adsunt porro nausea, vomitus & tormina etiam ventris, & ubi calculus per urinarias vias iter conficit, tunc ad regionem ossis ischii dolor etiam excurrit, & stuporem femori ejusdem lateris non infrequenter inducit: urget præterea creber ad urinam emittendam conatus, quæ cum stranguria mingitur & sæpius sabulum deponit. In dolore vero colico res secus se habet; tunc enim dolor & tormina magis circa umbilicum colliguntur, vaga sunt, & nunc huc, nunc illuc discurrunt, & plerumque flatibus venter distenditur. Non raro tamen contingit, ut colica simul sit nephritica, inde dijudicanda, quod in ea gravissima tormina ventrem torqueant, cum alvo fortiter adstricta, vomitu, cephalalgia, extremorum frigore, mingendi stimulo, donec finito paroxismo, urina sabulosa secedat, vel calculi etiam excretio sequatur. Deinde dolor colicus a dolore, qui hypochondriacos excruciat, in eo diversus observatur, quod hic in hypochondriis magis, ille vero circa umbilici regionem potius consistat. Tum in hypochondriacis latus, præsertim sinistrum, tumere solet, quia ibi in coli flexuris flatus incarcerati hærent, & crebrius quoque hic dolor recurrit, quam communiter sic dictus colicus.

§. XXX.

Verum enim vero quum doloris intestinorum variæ etiam sint causæ, diversis etiam signis, ut a se invicem mutuo dignoscantur, necesse est. Si igitur flatus in causa sunt, tunc magna inflatio fit abdominis & quandoque tam ingens, ut hernia circa umbilici regionem a flatibus protuberet. Et talis colica in dispositis, præsertim in corporibus infirmis & senilibus, ex refrigeratione abdominis, aut tantummodo pedum, vel a frigido, item fœculento potu, cibo flatulento, carne vervecina, præsertim frigido potu superingesto, quam facile excitatur. Et quia multi ex calculosis ad colicam flatulentam valde proclives sunt, hinc crebrius nephriticum mala-

tum

lum cum colico complicatur.

§. XXXI.

Quod si vero, prout frequentius obvium est, dolor intestinorum flatulentiis, maximis anxietatibus & dolore dorsi tensivo alvoq; pertinaciter clausa infestat ac ægros torquet, & ex levi occasione aut errato irritatur, facies-que simul est cachectica; tunc plerumque causa vitii hæret in visceribus abdominis, per quæ sanguis non recte & libere trajicitur, sed in intestinorum volumine stagnat, & quum exitum ibi per vasa hæmorrhoidalia non inveniat, intra intestinorum membranas hærens, ea nimium distendendo & lancinando, hanc colicam parit, quæ ob genus nervosum graviter simul afflictum, convulsiva audit. Eadem sanguinis stagnatio, si fit ab hæmorrhoidibus consuetis non rite fluentibus, vel præpostere cohibitis, atrocem intestinorum dolorem parit, qui exinde vocari solet hæmorrhoidalis: & si in fœminis, a mensium inordinato & parciori successu, sanguis ad intestinorum volumen refluit & tormina inducit, colica audit hysterica. Alia denique est species colicæ, quæ dicitur biliosa, & cholericæ constitutionis hominibus, nec non iracundiæ deditis sensibilioribus perquam familiaris est. Hæc cum vomitu, capitis dolore, vel etiam diarrhœa sæpius complicatur, & quia spasmodica constrictione liberior bilis descensus ad intestina inhibetur, ipsa ad habitum corporis regurgitans colorem flavescentem ei inducit.

§. XXXII.

Multum etiam interest, ut medicus colicæ, spasmodicæ, sive convulsivæ, genium, ab aliis colicæ speciebus probe discernat. Illa sæpe horrendum in modum non modo intestina, sed & alias universi corporis nerveas & membranaceas partes per consensum exagitat, siquidem vehementior spasmus per universum fere genus nervosum dispergitur, ut non modo ventriculus & intestina sursum & deorsum trahantur, & alvus, omnibus spretis enematibus, arctissime claudatur, sed & musculi abdominis cum umbilico introrsum stringantur, & ad interiora arcteantur. Et quia violentia spasmi ad partes genitales sæpius pertingit, fit, ut testiculi retrahantur, & constrictis vesiculis seminalibus, involuntaria seminis fiat excretio, ob urinarias autem vias spasmo affectas, urina difficulter reddatur. Si etiam ad pneumonicos nervos vehementia spasmi penetrat, respiratio valde anhelosa ac difficilis est, cum valido motu thoracis. Quin malo ingravescente, cerebri etiam membranæ ac nervi patiuntur, & vertigo, scotomia, levior mentis alienatio, vigilia & extremarum partium refrigeratio intensa, & pedum ac brachiorum vehementissima agitatio, observatur, non raro etiam tam atrocem dolorem, harum partium resolutio, sive paralysis, subsequitur.

§. XXXIII.

Sunt autem huic affectui gravissimo spasmodico quam maxime obnoxii metallurgi, qui mineras Saturninas igne tractant & improvide copiosum lithargyrii fumum ore hauriunt atque cum saliva deglutiunt. Perquam etiam familiaris est hæc spasmodica affectio scorbuticis, cachecticis, præsertim ubi consuetus hæmorrhoidum fluxus desinit, vel non rite procedit, aut si intermittens febris temere vel imprudenter adstringentibus validioribus cohibita est. A vermibus, a calculo ductibus biliosis vel cystidi felleæ inhærente, idem malum non semel ab auctoribus observatum fuit. Ut hinc clarissime videamus, in hac passione, non tam peccare materialem, mobilem, aut quæ corrigi vel evacuari facile possit, causam, ut in colica biliosa, flatulenta vel viscida fit, quam potius nervosis membranaceis partibus, quæ tam faciles sunt ad subeundos hos spasticos motus, vitium inesse. Etenim & cardialgiam & dolorem intestinorum convulsi-

vulsivum, in sensu exquisitiori præditis corporibus, sæpissime a cohibita iracundia, affectibus animi gravioribus, terrore, crebra ira, & in adolescentibus, a nimio & intempestivo Veneris, nec non largo potuum spirituosorum usu, ortum traxisse observavimus.

§. XXXIV.

Quum vero ingens plerumque in morborum cognitione admittatur confusio doloris arthritici & rheumatici, operæ pretium visum est, amborum differentiam hoc loco planius sistere. Uterque quidem dolor spasticus est, & partibus membranaceis infestus, rubore, ardore, dolore, tumore & partis ad movendum impotentia, sese prodit; in eo tamen discrimen comparet: quod arthriticus a sero tartareo acri, intra juncturas articulorum obhærescente, proficiscatur; in rheumatico vero materia illa serosa salino-caustica, membranis musculorum & ligamentis articulorum exterius potius insideat. In arthritide quoque tum glandulæ, quæ in articulationibus reconduntur, mucosæ, a cl. Anglo *Clopton Havers* inventæ, tum ligamenta glandulosa, materiam arthritidis evomunt: contra ea in rheumatismo stagnans illud acre serum, ex sanguine in canalibus nimium congesto, inter membranarum & musculorum interstitia magis secedit & colligitur. Ex quo jam facile apparet ratio, quare rheumatismi curatio, minus laboris vel difficultatis habeat, quam articularis morbi, & quare arthritis, topicis cujuscunque fere generis adhibitis, minus feliciter componatur, quum rheumatici dolores iisdem sæpius mitigentur.

§. XXXV.

Deinceps probe etiam notari debet illa differentia, quæ inter dolorem arthriticum & inter dolorem artuum Venereum intercedit. Ille interdiu magis affligit, hic vero nocte ingravescit; arthritico quoque febrilis quædam commotio associatur, cujus venereus expers est. Arthritis porro stata sua & anniversaria tempora observare solet, & acrioribus pharmacis, ut mercuralibus, mirum exacerbatur; quum contra dolores luis Gallicæ continuo fere affligant, & nonnisi hisce præsidiis facile auferantur. Tandem etiam peculiarem adhuc differentiam ponendam esse existimo inter dolores artuum v.g. crurum, aut pedum, cum tensione, rigiditate, imbecillitate movendi junctos ac epidemice quasi grassantes, & inter veros arthriticos. Audiuntur enim sub certa temporum & tempestatum constitutione passim ejusmodi querelæ de doloribus crurum, ut alii de tensivo, alii de obtuso & contusivo, alii de pungente in profundo circa ossa tarsi & metatarsi hærente, conquerantur, cum immobilitate, stupore & rigiditate harum partium, & doloris a motu graviori augmento. Afficiuntur autem, prout observavi, hoc dolore maxime ii, qui sanguinem e vena pedis mittendum curarunt, & aeri frigidiusculo corpora exposuerunt; quo facto ingens mox sequuta fuit affecti membri debilitas, & successit postea dolor, qui ad aliquot menses duravit, & pro arthritico ac podagrico vulgo habitus fuit; sed quum nulla febricula, nullus tumor, rubor aut ardor simul apparuerit, neque tam in juncturis, quam potius in ipso periosteo, animadversus fuerit, jure meritoque eum distinguendū a vero arthritico esse dijudicamus.

§. XXXVI.

Progressum nunc facimus ad eos morbos inter se bene discriminandos, qui convulsivi vel spasmodici quippiā fovent, e quibus pectoris illa ingens concussio, quæ tussis vocatur, non postremum sibi vindicat locum. Perquam plurimæ etiam, pro differentiæ causarum & sedis affectæ, dantur tussis species; nobis vero jam tantummodo commodum visum est, eam tussim, ubi causa hæret in ipsis pulmonibus, ab ea, ubi in aliis, præsertim nervosis partibus, & præcipue stomacho,

cho, consistit, certis notis atque indiciis a se invicem mutuo discernere, quippe quæ distinctio non parum utilitatis in medendo affert. Si igitur causa subsistit in pulmonibus, respirationis semper adest quædam difficultas, quæ motu, vel exagitatione corporis, aut sanguinis, augetur, adest quoque plerumque vox clangosa, dolor pressorius in pectore & raucedo quædam. Si sicca est, & per longum tempus durat; plerumque tubercula dura, vel vomicæ pure repletæ incausa sunt, & tussis phthisica est: si vero est humida cum ejectione materiæ copiosæ viscidæ stipata, judicium est magnæ cavitatis & secessionis humorum e tubulorum alveis in pulmonibus; atque in ejusmodi tussi pulmonali difficilis est in latere affecto decubitus, sique pus purum vel sanguine tinctum simul eliditur, de pulmonibus affectis non amplius dubitandum erit.

§. XXXVII.

Tussis vero stomachalis alia identidem humida, alia etiam sicca est. Si humida, lentum & copiosum sputum post sumtum cibum maxime ejicitur & sæpius quoque simul vomitus movetur, a pectoralibus, dulcibus increbescit tussis & circa matutinum tempus maxime suum resumit impetum. Adsunt quoque simul multæ spasmodicæ & flatulentæ in abdomine afflictiones, neque excretiones per alvum suum servant ordinem, neque in fœminis menses recte procedunt. In tussi vero convulsiva, ferina & sicca, causa maxime hæret in stomachi tunicis nerveis, ac vehemens tunc totius thoracis concussio adest, cum sono profundo, ac post pastum, post potum etiam frigidum, aut acidum assumtum, valde augetur. In hac tussi pertinaciori plerumque hypochondria laborant, vel diathesis scorbutica, salsa sanguini intermixta; quare non infrequenter ejusmodi tussi purpura jungi solet. Si vero latitat materia in duodeno, quale quid sæpius contingit in febribus intermittentibus, præsertim tertianis, item in hypochondriacis; tunc ructus acidi & flatus præsto sunt, & in paroxysmo, post horripilationem, infestat, ac facile vomitum, qui valde biliosus & acidus est, proritat. Infantili ætati tusses convulsivæ admodum sunt familiares, partim quod eorum systema nervorum ad spasticos convulsivos motus admodum proclive est, partim etiam quia cruditates acidæ biliosæ in ventriculo & duodeno in his solenniter stabulantur. Vomitio quoque infantum tussi frequenter accedit; interdum vero plane sicca est, atque ita invalescit, ut suffocationis metum adesse judicaveris.

§. XXXVIII.

Asthma, frequentissimum malum, uti diversas suas agnoscit causas ac causarum sedes; ita etiam non parum inter se differentiæ alit. Frequentius hæret vitium in stomacho, & tunc flatulentum est, & fit ab inflato ventriculo, diaphragmatis liberum descensum impediente. Frequens symptoma est hypochondriacis, imbecillitate ventriculi laborantibus, ab ingestis præsertim flatulentis, malum recrudescere, & vomitu humoribus rejectis mitigari solet. Asthma convulsivum, ab asthmate humorali, immo sanguineo, multum distat; nam periodicum est, & certis tantum temporum intervallis infestat, maxime vero noctu invadit; spiritus sæpe adeo est angustus, ut collo extenso erectoque corpore eundem trahat æger necesse sit. Adest sæpe sudor frigidus, sique ad viginti & ultra horas durat, animi defectio accedit. Percipitur maxime compressio constrictoria circa thoracem, quæ sæpius usque ad collum & jugula propagatur. In hoc affectu subest plerumque vitium in visceribus abdominis, præsertim hepate, & facile cachecticus subsequitur status. Si vero polyposum in cordis vasi obhærescens concrementum asthma parit, vel illud exacerbat, tunc cordis palpitatio jungitur. Si denique

quod

quod frequentioris observationis est, asthmatis convulsivi & suffocatorii causa est ingens aquarum in thoracis cavitate extravasatio; dolor simul extra paroxysmum fixus in latere thoracis, qua aqua comprehenditur, percipitur, & pes ejusdem lateris, vel ambo, intumescunt, & paroxysmus est diuturnus ac vehementissimus, cum maxima anxietate, licet sine tussi, & plerumque etiam necare solet.

§. XXXIX.

Non minus & differentia quædam inter asthma convulsivum, & catarrhum suffocativum, adstrui debet; siquidem hic paralysis quædam species est, nervorum paria, quæ respirationi inserviunt, tangens, quæ ex improviso adoritur, cum magna anxietate, stertore & sono quasi spumido, inter respirandum vultus rubore intumescit, & suffocatio imminet: asthma vero convulsivum servat magis suas periodos, & chronicum malum est, quum suffocativus catarrhus ad passiones acutas non sine ratione referendus sit. Deinde quoque in hoc perpetuus quasi materiæ affluxus percipitur, qui in asthmate deficit, ingens etiam virium jactura, plus catarrhum suffocativum, quam convulsivum asthma comitatur. Est autem catarrhus suffocativus maxime familiaris senibus, imbecillioribus, immo infantibus, præsertim retropulsis exanthematibus, variolis, morbillis, tinea capitis, achoribus faciei, scabie, & hujus generis aliis.

§. XL.

Accedimus jam ad gravem illum apoplexiæ morbum, qui quomodo ab aliis affectibus differat, dispiciendum est. Cum syncope multum alit convenientiæ, quum in utroque omnium sensuum, tam internorum, quam externorum, fiat obliteratio; in eo tamen conspicua est differentia: quod in hac pulsus & respiratio non amplius percipiatur, facies palleat, & omnia frigeant, in illa vero, præter durantem spiritum, florida sæpe & rubra facies sit, atque arteriarum pulsatio adhuc observetur. Majoris difficultatis est, veram apoplexiam a spuria distinguere. Hæc frequentissimum hystericarum symptoma est, & a violentia spasmorum in abdomine proficiscitur, quibus sanguis ex mensium stagnatione redundans, magno impetu ad cerebrum delatus, in ejus vasis subsistens, omnem sensum ac motum intercipit, salvo tamen pulsu & spiritu. Vulgo habetur pro syncope, vel etiam epilepsia hysterica, sed minus recte, raro quoque feralis est, sed ubi remittit strictura, vel sanguis largius ex pertusa vena subtrahitur, facile discutitur. At vero magis terrere debet apoplexia vera, quæ ob sanguinem, vel serum, vasorum alveis elapsum, subito sæpius jugulat. Deinceps apoplexia perfecta a debiliori ita etiam est distinguenda, quod illa ex vasorum cerebri ruptione, hæc vero ex horum tantummodo nimia distensione & sanguinis ibi facta stagnatione subnascatur, & sæpius paralysin sensuumque debilitatem inducat, vitam autem non adimat.

§. XLI.

Quod attinet ad paralysin, identidem hæc recte in veram & spuriam dispescitur. Illa in ipso cerebro, vel principio spinalis medullæ, fixam habet sedem, sensumque fere omnem ac motum sufflaminat: spuria vero mitior est, neque tam altas radices agit in cerebro, sed quibusdam nervorum paribus, ad certam partem decurrentibus, tantummodo inhæret, & sensum ac motum quodammodo lædit. Hæc quoque a colicis, cardialgicis & spasmodicis gravioribus, si præsertim a sanguinis restagnatione in plethoricis fiunt, originem suam sæpissime trahit, quando nimirum sanguis ad nervos, vel etiam musculos, qui manus vel pedes movent, transfertur, & stagnatione viscidum serum deponit, quod membranis nerveis incumbens, motus quidem impotentiam, sensu tamen

men & dolore residuo, efficit.

§. XLII.

Distinguere etiam convenit epilepsiam a convulsionibus. In illa affectæ sunt cerebri membranæ; in hisce vero membranæ & nervi spinalis medullæ magis patiuntur, neque pollices tam fortiter contracti sunt, licet maximum robur sub artuum agitatione deprehendatur. Motus convulsivi etiam invadunt maxime pueros, circa decimum quartum ætatis annum, ex suppressa iracundia, terrore gravi, intempestivo Veneris exercitio, corporis refrigeratione, vel etiam vermium morsu, ac tam mira sæpe artuum totiusque corporis est distorsio atque quassatio, ut ob insolentiam fascino vulgo tribuantur. Mens quoque in quibusdam variis phantasmatibus turbatur, sique non opportuno ac promto auxilio oppugnatur malum, ita vires sumit, ut vigesies & sæpius quoque quotidie ingruat. Epilepsia autem accessionum periodos magis circa lunæ phases statas, neque tam crebras, servat, ac tempore pubertatis plerumque cedit. Denique catalepsis differt ab apoplexia, quod illa derepente invadat, & membra rigida in ea positura ac situ detineat, in qua accedens ea prehendit. In utroque vero affectu sensuum omnium ad tempus abolitio, cum stupore ac sopore quodam, præsens est.

CAPUT IV.

De genealogia morborum ex turbato solidorum & fluidorum mechanismo, ad explicationem historiæ morborum & veram ac solidam therapiam.

§. I.

Alterum therapiæ fundamentum est cognitio ortus & caussarum morbi.

Cognito sic atque perspecto, ex allatis superiori capite characteristicis notis, quis & qualis sit? morbo; necessarium porro est, ut medicus formalem ejus essentiam, genealogiam, caussarum primordia, & ubi sedem obtineat, curate scrutetur; quippe quod alterum veræ pathologiæ ac therapiæ fundamentum est. Nam profecto exquisitior cognitio modi, quo morbi succrescunt, planam ac facilem ad eos tam arcendos, quam persanandos, viam medenti pandit. Hinc licet in secundo Medicinæ Rationalis Systematicæ tomo de morborum ortu & caussis copiose satis egerim: haud supervacaneum tamen fore duxi, si succinctam pathologiæ synopsin, proximas morborum quorumvis caussam complectentem, hoc loco insererem. Enimvero si fateri licet quod res est, solida pathologiæ fundamenta usque eo minus recte, hoc est, cum connexione ac demonstratione, exposita sunt, ut potius passim quamplures hallucinationes, ac ipsis in exercitio artis obviis factis minus respondentes opiniones deprehendantur.

Quæ minus recte huc usq; tradita.

§. II.

Ex variis tamen medicinam tractandi methodis optima Hippocratis.

Scilicet varii quidem sunt modi, hypotheses atque principia, quibus tum ab antiquioribus, tum a recentioribus, medica disciplina fuit tradita: nulla tamen, ut verum fatear, facilior, simplicior, & naturæ magis consentanea salutaris artis doctrinas pertractandi ratio mihi utiquam visa est, quam quæ a primo & antiquissimo medicinæ parente, *Hippocrate*, in ipsius monumentis, immortali memoria dignis, proposita est. Gravissimus enim hic auctor, non ex solis materiæ affectionibus, respectibus & qualitatibus physicis, neque etiam ex speciosis nominibus, sed potissimum ex proportione, mensura & temperamento, tam motuum, quam humorum corporis nostri, nec non eorum, quæ ingeri & egeri debent, adeoque pure mechanice, solidas rationes, in difficilibus rebus medicis explicandis, scite ac docte deducere annisus est, usus maxime ad hoc, ministerio scientiæ physicæ, anatomicæ & observationum clinicarum.

§. III.

§. III.

Quod ejus posteriora dogmata testantur.

Sane primus fuit magnus hic naturæ consultus, cui artem nostram, ex vero non minus, quam appositè, per subtractionem eorum, quæ superflua sunt, & additionem, quæ deficiunt, per convenientia nimirum remedia, definivit. Primus porro fuit, qui corpus humanum ex partibus solidis, fluidis & impetum facientibus, sive spirituosis, constare, illud permeabile esse, ejusque partes invicem consentire & conspirare, rectissime docuit. Hic quoque primus omnium de sanguinis progressu & circuitu, ejus motu inæquali & a partibus exterioribus ad interiores resiliente, & rursus ab his ad illas controverso, in scriptis suis, præsertim libro de flatibus, luculentam mentionem injecit. Idem præterea peritissime in mediocritate ac temperie sanitatis fundamentum, in nimio vero, & tam ratione quantitatis, quam qualitatis, excessivo, quod naturæ humanæ inimicissimum judicat, læsionum & morborum causas constituit. Denique ex omnibus primum asseruit, naturam corporis humani esse optimam morborum, ut cum ipso loqui liceat, præservatricem & curatricem, immo omnis ratiocinationis in medicina principium.

§. IV.

Sed perperam Hippocratis divinam deseruerunt posteri.

Jam itaque vehementer optandum foret, ut qui post *Hippocratem* vixerunt artis professores, & inter hos maxime *Galenus* cum suis sectatoribus, his tam egregie jactis a summo viro fundamentis, pressius institissent, & divinam artem magno apparatu observationum practicarum, nec non inventis anatomicis, quæ artificiosissimam corporis structuram pandunt, atque experimentis physico-mechanico-chymicis, quæ rerum corporearum vires, quibus ad vitam continuo homo eget, & motuum, quibus vita conservatur, leges recludunt, melius excolere, ulterius perficere & confirmare, per tot sæculorum decursum operam impendissent. At vero, si verum fateri licet, otiosis potius speculationibus & sterilibus ratiociniis, ex Philosophia potissimum Aristotelica, secundum quatuor elementa desumtis quatuor qualitatibus, humoribus, temperiebus & intemperiebus, nec non variis animæ & spirituum potentiis & facultatibus, vix aliud egerunt, quam ut majorem progressum & lætiora artis incrementa mirum quantum retardarint, tantum abest, ut quicquam solidi ad amplificandam illam addiderint. Neque melioris notæ sunt quorundam nostri ævi medicorum principia atque hypotheses, quæ partim ex corpusculari *Cartesii* Philosophia, partim ex Chymicorum potentiis salinis & sulphureis, partim etiam ex Metaphysicorum scholis, ortum trahentes, ac specioso multorum, ut obscurorum, sic sterilium nominum, fuco innixæ, ad solidam theoriam & rationalem medicinam stabiliendam, parum adjumenti attulerunt.

§. V.

Quæ igitur revocanda magisque excolenda.

Ego vero quamdiu per divinam gratiam promovendis artis medicæ incrementis, in publico etiam docendi munere, mentem & operam adjeci, id maxime mihi agendum duxi, ut vetustissima illa ab *Hippocrate* inventa, & felici auspicio inchoata mechanice circa corporis humani naturam & accidentia ratiocinandi methodus, ulterius luculentioribus observationibus, nec non anatomicis, item physico-mechanicis & chymicis inventis atque experimentis, illustraretur, confirmaretur, & ad uberiorem perfectionem traduceretur. Proinde jam etiam hæc instituti erit ratio, ut breviter, solide tamen, ex simplicissimis & veris naturæ principiis, motu nempe atque materia illiusque affectionibus & legibus in microcosmo, vitæ, sanitatis & mortis naturam, morborum & varii generis symptomatum genealogiam, cui deinde rationalis therapia, sive vera remedia inveniendi & applicandi methodus, fir-

Instituti ratio.

firmiter superstruenda, in usum maxime discentium & futuræ praxeos, etiam eruam ingenue exponam.

§. VI.

Inquirēdum primo verū medicinæ principium.

Quemadmodum autem ad omnem in disciplinis demonstrationem ac veritatem, prima quædam simplicia & intellectu facilia, principia seu fundamenta requiruntur, e quibus, tanquam notis, multa incognita & difficilia phænomena apta serie clare deduci, explicari, atque resolvi debent; ita pari modo, in medicina rationali reddenda, sive scientifice tractanda, idem merito faciendum esse judico. Inquirendum videlicet tale principium ac fundamentum est, in quo non modo vitæ, mortis, sanitatis ac morborum ratio continetur, sed ex quo etiam, ceu fonte, accommoda omnium, quæ in naturali & præternaturali statu occurrunt ac in morborum historiis continentur, explicatio, promi, nec non ea, quæ in hoc vel illo casu salubria vel insalubria sint, peti possunt. Quodnam vero hoc sit principium, de eo discors admodum est medicorum sententia. Qui corpus nostrum mere passivum atque ad motus edendos ineptum judicant, rebus quoque corporeis vim & efficaciam in istud agendi denegant, immateriale quoddam principium, quod apte plerumque & sapienter motus exsequatur & dirigat, animam nempe, sive rationalis sit, sive sensitiva, universę medicæ doctrinæ fundamentum esse contendunt. Alii spiritus in cerebro & sanguine contentos, æthereæ, sulphureæ, mobilis & elasticæ naturæ, motuum vitalium caussam, eorumque considerationem in pathologicis & therapeuticis utilissimam ac potissimam esse, asserunt.

quod non est anima.

neque spiritus.

§. VII.

Sed naturæ corporis humani Hippocratica, quæ æquabili solidorū

Nos cum *Hippocrate* naturam corporis humani principium omnis sermonis & ratiocinationis in Medicina esse censemus. Per hanc vero nihil aliud intelligimus, quam perennem sanguinis & fluidorum per corpus mere tubulosum & hydraulicum, beneficio systoles & diastoles, quæ in omnibus canalibus viget, progressivum & in circulum abeuntem motum: ut adeo vita in corpore humano nihil aliud sit, quam motus fluidorum, a solidis, præsertim corde & arteriis, & solidorum, a fluidis proficiscens, quo salvo, machina, ratione mixtionis suæ maxime in putridam corruptionem prona, ab hac immunis persistit, & quo prorsus extincto, putrefactio mortifera incipit.

& fluidorum motu continetur.

§. VIII.

Ex integro hoc motu proximæ vitæ ac sanitatis caussæ petendę.

Quamvis autem de penitius inquirendis remotioribus motuum vitalium caussis non valde simus solliciti, eo quod subtilior talis theoria, non tam ad scopum medicum, quam potius ad physicam, seu metaphysicam scientiam sublimiorem spectet; non dubitamus tamen asserere: motum illum systoles & diastoles in universo vasorum systemate, qui fluida movet eorumque cursum moderatur & dirigit, neutiquam persistere posse, nisi ad tunicas fibroso-nerveas, e quibus vasa coagmentantur, sanguini per arteriolas, & liquido, cujuscunque sit indolis, per nervulos, liber pateat affluxus, adeo ut hoc intercepto, repente omnis motus concidat. Porro firmiter asserimus: sanitatem, quæ in libero & ordinato functionum, tam animi, quam corporis, exercitio consistit, a motu systoles & diastoles in solidis, & progressivo fluidorum in vasis, imperturbato & æquabili, a partibus internis & vasis majoribus, ad extimos & minimos canaliculos vergente, unice dependere, quo integro ac inoffenso, humorum utilium, qui ad usum retineri debent, secretiones, & inutilium ac superfluorum excretiones saluberrimæ legitime perficiuntur.

§. IX.

& læsę, morborū origo arcessenda.

Hoc itaque posito sanitatis fundamento, læsionem functionum corporis nostri, quæ formalem morbosi status rationem exhibet, a vitiato soli-

solidorum & fluidorum motu unice deducimus; qui, sicuti variis modis lædi potest, ita etiam morborum, seu potius motuum morbosorum causas formales & proximas varias adstruimus. Attenta tamen in omni morbo, seu statu præternaturali, observatione compertum habemus, motum illum vitalem a partibus interioribus ad exteriores, constrictione minimorum vasculorum & fibrillarum spastica, valde intercipi, ac inverso plane cursu, a circumferentia ad centrum urgeri, & deinde rursus cum impetu a penetralibus ad ambitum, accelerata systole & diastole, agi, qualis motus, si universum corpus afficit, febris dici solet. Deinceps id quoque observatu constat, motum intensiorem systoles, sive spasmum, certas nonnunquam tantummodo partes occupare, & fluidorum motum ibi turbare, qui motus vocari sue vit spasmodicus. Porro in quibusdam morbis animadvertimus, motum reciprocum constrictionis & expansionis in partibus musculosis, tam internis, quam externis, præter voluntatem intendi, qui convulsivus, aut si enormis, epilepticus dicitur. Tandem etiam in plurimis morbis obvium, motum activum systoles in solidis valde esse remissum ac resolutum, & fluidorum progressum inde retardari, quæ affectio, si levior, atonia, si gravior, paralysis vocatur, & fœcunda est morborum mater.

Pervertitur autem quadruplici modo: 1) per spasmū.

2) per spasmo dicas stricturas.

3) per convulsivos epilepticos motus.

4) per etoniam.

§. X.

Constitutis sic quatuor motuum morbosorum generibus, primo loco istos recensebimus, qui ex aucta spastica vasorum & fibrarum strictura in externo corporis habitu, sanguinem & fluida ad interiora urgente, subnascuntur, quos inter maxime eminet febris. Nulla enim ejus species est, sive sit intermittens, sive continua, eaque vel benigna, vel maligna, acuta sive lenta, inflammatoria, sanguinea, aut lymphatica vel bilioſa, item, cum vel sine exanthematibus, sive denique symptomatica, in qua non sub accessione, progressu, immo tempore exacerbationis, partium extimarum refrigeratio, summæ cutis ejusque pororum constrictio, vasorum detumescentia, horripilatio, partium rigor, sudoris suppressio, alvique constipatio, observentur. Nullam porro febrem videas, qua sanguis non ab exterioribus ad interiora, cor & appensos eidem majores canales, superiores quoque partes pellatur & congeratur, ut hinc dolor dorsi & capitis, præcordiorum anxietas, inquietudo, spirandi difficultas, pectoris oppressio, pulsuum durities & frequentia, oboriantur, vel plane, coacto ad cerebri & spinalis medullæ membranas sanguinis impetu, deliria, convulsiones ac epilepsiæ, nonnunquam in principio, quandoque etiam, quod magis periculosum, in vigore, accedant. Nulla denique febris, vel motus febrilis species discedit ac solvitur, nisi spastica illa in superficie cutis & minimis vasculis strictura intermittat, vel plane remittat, ut liberior & æquabilis sanguinis ad exteriora & emunctoria affluxus restituatur, quem mollior & validior arteriarum pulsatio, sudor vel mador & perspiratio auctior, nec non alvus solutior & urina crassior, tanquam bonæ criseos signa, sequuntur, vel comitantur. Et duplici hoc motu, omnis febris sive motus febrilis essentia & natura continetur.

Ad primā classem, referendæ sunt omnis generis febres.

§. XI.

Post febres multi alii adhuc sunt morbi & motus morbosi, in quibus pariter sanguinis a partibus exterioribus & inferioribus, ad interiores ac superiores cursus præter naturam convertitur. Videlicet obvium hoc est in omnis generis hæmorrhagiis, tam salutaribus, sive criticis, quam pernicialibus, sive symptomaticis, Menstrualis illa sanguinis in fœminis, & hæmorrhoidalis in masculis effu-

Hæmorrhagiæ criticæ & symptomaticæ.

sio, antequam succedat, inferiora refrigescunt, cutis stringitur, in dorso circa pubem & os sacrum dolor percipitur, artus lassantur, genæ gracilescunt & pallent, demum pulsus intenditur & tunc sanguis effluit. In narium stillicidio, extremæ & inferiores partes levius minimum quoque frigent, facies vero rubet ac tumet, vasa temporum intensius saliunt, gravativus dolor caput obsidet, & sub aucto arteriarum pulsu, sanguis stillat. Hæmoptysin porro nunquam non antecedit extremorum, præsertim pedum, frigus, lassitudo, flatus in abdomine, alvi adstrictio, pectoris oppressio & difficilis spiratio. Ipse cruentus vomitus, & nigri cruoris per anum fecessus, nec non mictus sanguinolentus, nunquam accidunt, nisi præcesserint spasmi in abdomine, dolor in dorso, ani constipatio, cum cutis & extimarum partium refrigeratione ac detumescentia, arteriis semper citatius & ad tactum durius micantibus.

§. XII.

Inflammationes omnes.

Eadem ratione inflammationum genesis contingit. Phrenitis idiopathica æque ac symptomatica in febribus continuis, vix aliter inducitur, quam cum horrore & rigore in corporis cortice, alvo compressa & urina tenui aquosa, rapto interea sanguine ad caput, in quo arteriæ, tam internæ, quam externæ, fortiter pulsant, facies rubet, oculi scintillant, & nares siccæ & calidæ sunt. Et quia sanguis copiosius appellitur, quam canalium sanguiferorum diameter capere potest, neque per nares exsolvitur, ad lateralia arteriolarum, non cruoris, sed seri, vel lymphæ trajectui dicata vasa, cogitur, in quibus stasin concipiens, dolorem, ardorem, ac delirium cum phantasiæ turbatione ingignit. Reliquæ inflammationes, in oculis opthalmia, in faucium & asperæ arteriæ principio, angina, in pulmonibus, pleuritis, & peripneumonia, in ligamentis hepatis membranosis, hepatitis, in renum substantia, nephritis; nec non ea, quæ in ventriculo, intestinis, utero & vesica consistunt, non alio etiam modo subnascuntur, quam quod sanguis per spasmos & dolores, in abdomine intestinis præsertim, e minoribus vasorum propaginibus repellatur, & inde ad alias partes fortiori appulsu congeratur; unde sæpissime observavi peripneumoniam & pleuritidem, perpesso prius colico dolore, accessisse. Insuper inflammationes illæ dolorificæ, quæ extremas partes cum dolore, & rubore obsident, ut erysipelas in cute vel facie, rheumatismi in membranis musculorum, arthritis in ligamentis nerveis junctura rum, podagra in pedibus, gonagra in genubus, chiragra in manibus, & ischiatis in ossibus ischii, eosdem obtinent natales: quandoquidem ante earundem accessionem, cutim plerumque horripilatio & refrigeratio tangit, vasa detumescunt, vires cum appetentia languent, præcordia anguntur, quandoque etiam vomitus exoritur & feces retinentur, luculento indicio, spasmis extrema ac interiora stringi, ipsumque sanguinem retro agi.

§. XIII.

Graves quidam capitis morbi.

Accedut graves illi capitis & cerebri affectus, insultus sive paroxysmi epileptici, maniaci, apoplectici, paralytici ac soporosi. Dum enim in his sanguinis & humorum impetus ad caput, & maxime ejus interiora, urgetur, neque exitum ibi invenit, cruor vel in vasis membranarum cerebri stagnat, & principia nervorum comprimendo, apoplexiam, leviorem tamen sive spasmodicam, hystericis & hypochondriacis familiarem inducit, vel ruptis plane ob nimiam distensionem plexus potissimum choroidei vasculis, effunditur, ac ventriculis illapsus, fune-

nestam graviorem apoplexiam gignit, vel serum ob moram secedit, ac in substantiam cerebri & spinalis medullæ descendens, paralysin, nec non soporosos affectus & memoriæ imminutionem suscitat, vel denique rapto velocius & cum impetu per cerebrum sanguine, distentis quoque simul nimium canalibus, furor exoritur. Hinc est, quod semper ante incursum horum morborum, in extremis frigus ac horripilatio sentiatur, & maxime in hypochondriacis, iisdem maxime obnoxiis, dolores & spasmi in ventriculo, in dorso, hypochondriis & abdomine, membrorum lassitudo & alvus compressa, advertatur. Quin imo in epilepsia, compressis per spasmum venis externis jugularibus, facies a copiosioris sanguinis appulsu, non modo turget, sed & colore ex rubro nigricante perfunditur, motu arteriarum velociori ac duriori, quam in apoplecticis insultibus visitur.

§. XIV.

Catarrhi & diarrhœæ serosæ.

Porro omnis seri copiosioris & vitiosi in coryza, per glandulosam faucium & narium substantiam, in tussi humida ex pulmonum bronchiis, ac in diarrhœa seri acris, salsi & bilioси largior & salutaris sæpe excretio, cum horripilatione cutis, extremorum refrigerio, artuum lassitudine, corporis languore ac perspiratione suppressa, accedit, & vernali potissimum, nec non autumnali tempore, quo ob aerem frigidum & humidum cortex corporis constringitur, & fluida ad interiora sese recipiunt, solennis est.

Salivatio quoque.

Neque effrenis salivæ profusio argento vivo proritata, quæ mihi aliquoties lethalis visa est, sine ingenti & continua refrigeratione extremorum, cutis constipatione, alvi siccitate & urinæ difficultate, observatur.

§. XV.

Recidivæ morborū.

Omnis quoque febrilis vel alius morbus recidivans, perfrigeratis prius notabiliter artubus, dorso dolente, viribus languentibus, corpore lasso, horroris cujusdam sensu & alvi obstipatione, incipit ac repetit. Inprimis frequentissimæ observationis est, exanthemata in acutis quidem variolas & morbillos, purpuram rubram & albam, nec non petechias, in chronicis scabiem, pustulas vel salsas alias acres & erodentes cutis defœdationes, post spasticam tubulorum cutis crispaturam, incauta perfrigeratione, vel topicis adstringentibus improvide applicatis, inductam, disparere, resiccari, ac ad interiora recedere, gravius damnum certo invectura. Quin sæpius vidi, œdematosos pedum tumores, accessione febris intermittentis, cui horror & extremorum stupor junctus, evanuisse, sed intropulsos, pectoris suffocationem intulisse.

Efflorescentiæ cutaneæ retrocedentes.

§. XVI.

Nec non quæ post suppressas hæmorrhagias sequuntur pathemata.

Neque denique in artis exercitio versantibus ignotum esse poterit, quam sæva pathemata subitam lochiorum, mensium & hæmorrhoidum fluxus suppressionem, consequi soleant, nullam certe aliam ob caussam, quam quod, quæ sanguinem plorant vascula, vehementiori strictura, vel a frigida aura, vel animi affectu, vel etiam medicina præposterе adhibita, afficiantur, quibus compressis, motus antea eò directus retrocedit, & sanguinem ad nobiliora viscera & majores canales trudit, ubi copiosius collectus, varias & difficiles turbas suscitat, in intestinis quidem, acerba tormina, in ventriculo, cardialgiam, in præcordiis, summas anxietates, in thorace, spirandi angustiam & difficilem ad suffocationem usque anhelitum, in dorso dolores, in artubus lassitudinem, languorem & movendi impotentiam, in corde palpitationem ac tremorem, immo syncopen cardiacam, in capite, cephalalgias, aurium tinnitum, scotomiam, quandoque vertiginem, nonnunquam plane epilepsiam, melancholiam, sive anxias & meticulosas cogitationes, cum perversa phantasiæ impressione, ac in universo corpore languores viriumque jacturam.

§. XVII.

Nullus ex his morbis solvitur, quam spasmo sublato.

Et hæc cuncta timoris & periculi plena atrocia mala, in omnibus quos recensui morbis, febribus, inflammationibus, doloribus, profluviis aliisque, prius non desinunt & laborantes deserunt, quam sanguinis ac fluidorum a centro ad peripheriam, ab interioribus ad exteriora & vasorum minima, beneficio naturæ vel congruis remediis, repetat aut restituatur. Quare etiam perfectæ solutionis morbi, quam Græci crisin vocant, certa indicia præbent pulsus mollior & sedatior, calor per omnem corporis ambitum æqualiter diffusus, tepidus ex auctiori perspirationis successu mador ac sudor, somnus placidior, alvus solutior & urina crassior, facile sedimentum ponens, ex quo potissimum Veteres, coctam esse febrilem & morbificam materiam, augurabantur.

§. XVIII.

Morbosi igitur motus nō per se & sua natura sunt salutares.

Quæ quum ita sint, nemo certe, qui allata curatius expendit, facile in eorum sententiam descendet, qui haud verentur affirmare, & febres, & omnes hos plane morbosos motus, in se & sua natura esse salutares, ad vitam conservandam & corpus ab interitu vindicandum, a sapienti natura provido consilio institutos. Qui enim motus ejusmodi spastici, qui circulum sanguinis vitalem, liberum, æquabilem, ad exteriora corporis per minima vascula iter legentem, sistunt, cohibent ac pervertunt, naturæ amici & salubres dici possent? quum non modo excretiones saluberrimas, sine quibus vita consistere prorsus nequit, intercipiant, ac sordes ad interiora reprimant, sed & attenta observatio doceat, sub iisdem lethalem vitæ catastrophen induci. Certe in omnibus chronicis & acutis morbis ipsisque febribus, quando ægri occumbunt, ex iisdem motibus mortis signa desumuntur, quæ inter tanquam ipso eventu toties comprobata referuntur maxime extremorum frigus, horror & rigor partium, sudor frigidus, & exanthematum, si adsunt, retrocessio, facies contracta, nares acuminatæ, tempora collapsa, respiratio anxia & difficilis, summa virium prostratio, cum pulsu inæquali, debili, contracto vel etiam intermittente, insequente demum mentis ac sensuum emotione, aut convulsione. Ipse quoque notavi, eos, qui ex intermittente moriuntur, in ejusdem accessione & frigore, ubi omnia a spasmo constricta rigent, perire, & omnes, qui ex præcedente morbo, ad infestos hos motus, proni sunt, ut hypochondriaci, hystericæ, hæmorrhoidum vel mensium suppressione laborantes, his in morbis acutis per se non adeo periculosis, repetentibus, jugulari.

§. XIX.

Sed tantum per accidens fiunt salutiferi.

Quapropter nulla certe alia ratione, nulloque alio respectu, hi motus, per se morbosi, vocari possunt salutares, quam quod per accidens, licet sæpius, per eosdem, alter iste, revera per se salutaris dicendus, sanguinis nempe a partibus internis ad externas tendens progressus, mechanica quadam ratione excitetur, augeatur, ac per ejusdem appulsum, interventu mechanicorum, quibus a summo opifice machina animalis sapientissime instructa est, motuum, ipsius morbi causa, vel stagnantem materiam resolvendo, vel eandem expellendo, auferatur. Et hoc demum sensu, febris ad Celsi loquendi modum medicina & præsidium corporis appellari, vel ut Hippocrati aliisque Veteribus solenne, denominatio pugnæ naturæ cum morbo, nec non naturæ optimæ morborum medicatricis, admitti poterit, intelligendo per morbum perniciales illos spasmodicos & κατ' ἐξοχήν morbosos motus, vincendos per naturam, hoc est, salutarem illum ab interioribus ad exteriora corporisque ambitum vergentem sanguinis & humorum motum.

§. XX.

§. XX.

Alterius classis morbis ex spasmo particulari, accensendi dolores in capite, &c.

Atque hi sunt natales morborum, quos spasmi, sanguinis & fluidorum motum retro agendo, ingignunt: jam etiam lustrabimus perniciales illos effectus, quos iidem spasmi in partibus, ubi incipiunt & fixam habent sedem, suscitant. Incipiemus a doloribus, quorum caussam plerumque præbent spasmi, dum scilicet nervosas tunicas, quæ acutiori sensu prædi tæ, gravius & pertinacius infestant, & tantum pro diversitate locorum diversam sortiuntur denominationem. Videlicet vehemens ejusmodi spastica strictura, externas capitis membranas, ut pericranium, attentans, cephalalgiam, modo in sircipite, modo in occipite, parit; si dimidiam cranii partem, in siniſtro vel dextro hemisphærio, detinet, dolor vocatur hemicrania; quando vero circumscriptæ tantum certæ regioni insidet, clavus audit. Idem hic spasmus ad ligamenta nervosa dentium descendens, odontalgia, & valde nervosam meatus auditorii membranam exercens, otalgia vocatur. Ventriculi tunicæ nerveæ, nec non orificia, crispata & spastice constricta, cardialgiam, cum ingenti circa præcordia anxietate & angustia faciunt. Intestina quum spasmi exagitant, & quidem tenuia, dolor ilei, circa umbilicum subsistens, urget; si in confiniis hypochondriorum crassa, præsertim colon, tormina vocantur colica; & quando infirmam voluminis regionem, a stagnatione maxime sanguinis hæmorrhoidalis, dolor hæmorrhoidum cœcarum nominatur.

§. XXI.

Aliisque corporibus pavetibus.

In uretheribus reliquisque urinæ evehendæ dictis, & ex tunicis penitus nervosis & musculosis conflatis canalibus, si quando infixus major calculus, hinc distractionem, hinc crispaturam, causſatur, immanis dolor, cum dysuria & aliis gravibus symptomatibus stipatus, gignitur. Stricto autem & corrugato vesicæ sphincte re, ardens urinæ stillicidium, quod stranguriam dicunt, adest. Dolorificus porro hic spasmus, ligamenta, quæ artus vinciunt & continent, obsidens, articulorum morbos excludit, & denominatione a proxima parte desumta, podagræ, gonagræ, chiragræ, vel ischiatidis, vel etiam exstremam tantum musculorum membranam sollicitans, rheumatismi, vel pleuram, pleuritidis spuriæ nomine, in medicorum scholis insignitur. Ipsum periostium ubi lancinatur, & spastice quoad certam partem affligitur, acutissimus crudelisque dolor suscitatur, in lue Venerea & paronychia obvius, cui atrocia non cedit is, qui facta in luxatione ossium dislocatione, ægros angit.

§. XXII.

De noxio spasmi effectu in excretoriis, & 1) cutis emunctorio.

His non minora, sed majora utique sunt damna, quæ perniciales spasmi, locis, quæ saluberrimis excretionibus vacant, firmius inhærescentes, intentant. Nimirum tubulosa & cribrosa cutis substantia, e cujus spiraculis copiosissimi tetri vapores exhalant, spasticam stricturam, vel ab acri frigore improvide admisso, vel per consensum ob affectas interiores partes, ut fit in febribus & doloribus, patiente, excrementitiæ illæ salinæ & sulphureæ activæ admodum indolis sordes, in corporis penetralia resorptæ, vel febres catarrhales ipsamque coryzam ac tusses cient, vel ad intestinorum tunicas latæ, & bile acriori reddita, diarrhœas cum torminibus concitant, vel ad renale emunctorium & urinarios ductus appulsæ, copiosiorem quidem urinam, sed cum difficili mictu, efficiunt; quid? quod eædem superficiales tubulorum in cute strictura, liberam perspirationem sufflaminantes, ad fomitem chronicarum passionum, primis in viis, præsertim duodeno constituendam, multum conferant.

§. XXIII.

2) intestinorum volumine.

Alimentaris ille canalis, ab œsophago ad anum porrectus, ingestorum digestioni & relictorum ex his secum excretioni dicatus, si hostili spasmo stringitur, maxima inde & varia in corporis integritatem redundat noxa. In primis alvi contumax adstrictio plerumque debetur spasmis, qui vel ipsis in intestinis, & maxime inferiori coli portione & recto consistunt, vel per consensum e strictis remotioribus partibus eo propagantur. Suppressa autem hac ratione alvi evacuatione, scybala non modo retinentur, sed & omnes flatus cum ipsis sordibus ad superiora & tenuia intestina, immo sæpius ad stomachum, reprimuntur, ubi propter inflationes inde pullulantes, multa eaque gravia insequuntur symptomata, id quod hypochondriaco vel hysterico malo laborantium exemplo luculenter patet. In medio intestinorum hospitans spasmus, motum peristalticum invertit, & ad superiora non modo flatus, sed & fœces excernendas urget, ut sursum latæ, per os ac vomitum rejiciantur, quod sæpissime fit in passione iliaca, præsertim incarcerata hernia stipata.

§. XXIV.

Speciatim ileo.

Ileon sicuti intestinorum est tenuissimum & sensationis exquisitissimæ; ita hoc modo præter naturam affectum, non solum atrocissima circa umbilicum tormina, sed etiam dejectiones crebras & copiosas parit, ut in colica cum diarrhœa juncta, sive biliosa, aut ubi drasticum purgans fuerit assumtum, contingit. Vehemens quoque strictura spastica, quum occupat inferius orificium ventriculi, ejusque motum subvertit, vomitus vel conatus ad vomendum emergit; quando vero ambo orificia, sinistrum & dextrum observantur, ipse ventriculus flatibus turget & mirum distenditur, unde in hystericis & hypochondriacis truculenta sæpe pathemata. Nonnunquam etiam clauso adhuc pyloro, stomachus superius laxatur, & patefacto exitu, ipsi flatus ingenti copia & cum impetu a faucibus erumpunt & ructus fiunt.

& ventriculo.

§. XXV.

3) In ductibus biliariis.

Et quia totum systema vasorum biliariorum, quæ in hepate & extra illud discurrunt, & motu identidem peristaltico, quem nonnulli recentiorum oscillatorium dicere malunt, biliosum succum demum ad duodenum trudunt, spasmis pariter ex facili patet, ob tunicas, quibus canales biliares instructi sunt, musculares & nerveas, fit, ut pro diversitate strictura in vasa hæc cadentis, variæ affectiones morbosæ resultent. Nam orificio ductus cholodochi constipato, ut sæpe accidit ab ira retenta, nec non in cardialgia, in vomitu, vel ab assumto purgante aut veneno, bilis motu etiam inverso peristaltico regurgitat ad lymphæ & sanguinis massam, & icteritium cuti inducit colorem, simul quoque crasin temperatam & benignam sanguinis & humorum corrumpit ac destruit. Ductus cystici & hepatici, quando ob bilem nimis acrem redditam, vel modo dictas causas arctius adducuntur, ipsa bilis ingenti in copia amandatur ad duodenum, & sedes vel vomitiones admodum biliosas efficit, ipsumque cholericum sæpe parit morbum. Detenta vero in duodeni cavo bilis tam copiosa & vitiosa, cum aliis corruptis ibi flatulentibus male coctis succis facile in corruptionem abit, & gravium symptomatum atque inflammationum fomitem præbet.

§. XXVI.

4) In urinariis viis.

Idem de systemate ductuum, qui urinam vehunt, tenendum. Hi enim quum non minus peristaltico, hoc est, reciproco systoles ac diastoles motu gaudeant, intensiori facta per spasmum systole earum, & quidem ubi uretheres renibus implantantur, urinæ fluxus plane intercipitur, ac retentus salsus latex non modo renale conceptaculum valde distendit, sed & ad sanguinis massam redit, ut si diutius

tius perstiterit malum, gravis ad suffocationem usque anhelitus, vel etiam tumor hydropicus, aut convulsiva quædam affectio, quin non raro mors, ingruant. Clausura uretherum ad ingressum in vesicam, quacunque etiam ex caussa, contingente, urina e pelvi jugiter stillans appensos uretheres cum sæviſſimo dolore mirum expandit, ut instar farciminis diducti post mortem appareant. Quando vero spasmus ad vesicę sphincterem vergit, urina non redditur, sed vesicam implet ac ampliat. Urethra demum a graviori strictura compressa, mictum difficilem cum ardore & dolore, sive stranguriam, conciliat.

§. XXVII.

In secretoriis organis. Uti vero excretoria, sic quoque secretoria corporis organa, detrimentosus spasmus nonnunquam tangit, admisso inprimis externo frigore, vel perpesso graviori terrore. Sic ductus mammarum lactiferi eidem crebrius obnoxii sunt, ut non solum secretio lactei liquoris in glandulosa mammarum substantia impediatur, sed etiam inde tumores, in abscessus & ulcera desinentes, contrahantur. Faucium & palati glandulosa compages, ex qua continuo lymphaticus & salivalis succus stillat, ubi arctius stringitur, quod non tantum in æstu præternaturali, sed etiam febrium accessione, nec non in aliis affectibus internis spasmodicis contingit, fauces arescunt & sitis accenditur. Pariter tunica villosa intestinorum tenuium, quæ tota vasculosa & cellulosa si inflata exsiccetur apparet, spasmodice contrahitur, ob tunicam nerveam cui insternitur, & tunc parum humoris ex ingestis per venas lacteas ad massam sanguinis fertur, unde corpus emaciatur, imus contra venter intumescit, immo durus ac renitens a flatibus intro coactis fit, ac ita tandem tympanitis gignitur. Vicissim quum glandulæ, quæ salivalem laticem in fauces eructant, medicamento mercuriali ad iteratas fortiores stricturas sollicitatur, salivæ ingens exoritur profluvium, quod etiam evenit, in hypochondriacis ab humore stimulante acri acido.

faucibus & palato.

villosa intestinorum.

glandulis faucium.

§. XXVIII.

Superiores & nobiliores corporis partes, quo magis reliquis in œconomia animali præstant, eo gravius detrimentum, si infesto spasmo premuntur, ipsa corporis patitur integritas. Diaphragma, & maxime ejus portio nerveo-tendinosa, quando præter naturam valide contrahitur, asthma nascitur sic dictum spasmodicum, cum sensu coarctationis & compressionis circa præcordia, solenne hypochondriaco malo vexatis symptoma. Quin spasmo hoc diutius septo incumbente, summa spirandi urget angustia, quam haud raro œdematosus, sive hydropicus inferiorum partium tumor, insequitur, eo quod cava vena, ex hepate emergens, ac per diaphragmatis substantiam nerveo-tendinosam transmissa, hoc corrugato, simul angustatur, ut sanguis per adductum ejus alveum difficulter ad cor volvatur, & liberiori transitu excluſus, non tantum in inferioribus partibus, verum etiam in venæ portæ ramis & plurimis abdominis visceribus copiosius collectus, restagnet, ac moram serosam in poros dimittat portionem, unde tumores. Vasa & ramificationes asperæ arteriæ per pulmonum substantiam dispersæ, tunicis musculáribus & nerveis vestitæ, quando vehementiam spasmi experiuntur, quod non raro fit inhærente iisdem intus genita, vel retropulsa quadam acri, serosa, exanthematica materia, ingens pectoris oppressio & respirationis difficultas oritur, quæ, propulsa ad habitum corporis perniciali illa materia, protinus cessat. Laryngis & pharyngis nerveis & musculosis partibus, quum insidet spasmus, constrictivus quidam circa gulam observatur sensus, haud secus ac si palus ibi fixus hæreret, quod hy-

Porro in diaphragmate.

asperæ arteriæ.

laryngę & pharyngæ.

sterici, spasmo ventriculi laborantibus, familiare.

§. XXIX.

Cerebro ejusque membranis, præsertim duræ matre.

Longe magis adhuc terrent spasmi sensibiliorum cerebri membranarum. Nam dura sic dicta mater, per quam sinus venosi feruntur, & a qua, tanquam matre, omnes membranæ nervosæ originem sortiuntur, ob texturam prorsus nervosam ac fibrosam, motu tonico vitali, systole & diastole, pollet, & sanguinis per caput & cerebrum progressum, nec non fluidi tenuissimi in nervorum principia ingressum, quam maxime moderatur. Quapropter læso ejusdem motu eoque per spasmos intensiore facto, non mirum est, perquam sæva pullulare pathemata. Inprimis hoc loco ceu perpetuę veritatis assertum inculcandum: quod animi dispositio, inclinatio, ejusque varii motus, immo impressiones & functiones in judicando, a sanguinis & fluidorum motu ac transitu per cerebrum ejusque membranas, plurimum dependeant; hic vero sanguinis cursus, pro varia duræ potissimum meningis textura, tono, ac motu, succedat atque regatur. Et hanc ob caus. sam mentis emotionem sive delirium, tam melancholicum, quam furibundum, aliaque gravia in capite mala a præternaturali hujus membranæ constitutione quam maxime arcessenda esse judico.

§. XXX.

Unde melancholia.

Scilicet quando ita stringitur dura mater, ut sinus venosi angustentur, & hinc per ipsam sanguis impeditius trajiciatur, in animo variæ anxiæ & sine omni caussa formidolosæ ac tristes comparent phantasiæ, ad desperationem quandoq; accedentes, cum intellectus errore, qui affectus melancholia vocatur, in spasmodico-hypochondriaco malo obvius. Ubi vero durante tali strictiore duræ matris habitudine, sanguis a caussis in corporis interioribus delitescentibus, vel etiam ab iracundia, cum impetu ad caput rapitur, insania furibunda cum lædendi impetu, vehementi odio & ira sine evidenti caussa, nascitur. Et nunc facile intelligitur, quare melancholia facile transeat in furorem, & hunc sæpe melancholia excipiat. Quod si vero sanguinis progressus ob rigidum durę matris spasmum sistitur, & vasa cruore repleta nervorum principia comprimunt, levior species apoplexiæ gignitur, quæ nobis dicitur spasmodica, & crebro visitur in gravi affectione hysterica, ac tempestive admissa venę sectione, repente nonnunquam tollitur.

furor.

& apoplexia levior.

§. XXXI.

In sensoriis sensus lædit.

Neque sensoria a crispatura spastica penitus sunt immunia. Si ad nervos pertingit opticos, quod aliquoties vidimus a vermibus, visus ad tempus perit, vel duplicatur. Si ad interiores auris, quæ labyrinthum, cochleam & meatum auditorium succingunt, tunicas fertur, non modo tinnitus & susurrus molestissimus, sed & intolerabilis anxietas a sono externo acuto percipitur. Nervi linguales spasmo correpti, quod etiam aliquoties in verminantibus observatum est, aphoniam sive loquelæ defectum inferunt. Internum narium spatium, unacum sinubus ossium cranii, tunica valde nervosa & glandulosa, quæ pituitaria vocatur, obductum est, quæ ubi spasmo, sive acri frigore, sive ab austero humore huc delato, aut nimio pulveris tabaci usu, adstricta, non modo muci excretio cum odore impeditur, sed & gustus simul lædituri. Insignis enim est saporis & odoris sympathia, utpote membrana narium posticæ ossi palati parti, quæ columellam apprehendit, appenditur, & ex pari quinto nervi ad palatum & nares etiam mittuntur. A spastica hujus membranæ strictura deducenda etiam mihi videtur ratio, quare feminæ hystericæ, & qui gravibus pathematibus spasmodicis affliguntur, suaveolentia, quæ penetranti agilitate stricturas intendunt, ægerrime ferre queant; adeo ut si factum fuerit, universo nervorum systemate in consensum tracto, sævissima

ma symptomata, syncope, summa præcordiorum anxietas, spirandi angustia, in quibusdam convulsiones, proritentur.

§. XXXII.

In medulla spinali accessiones febrium.

Neque dubium est, quin membranæ, quæ medullam in spina contentam cingunt, & ejusdem sunt structuræ, naturæ & usus cum membranis cerebri, spastica strictura afficiantur, idque secundum meam sententiam sæpissime, maxime omnium vero in principio omnium febrium, præsertim intermittentium cõtingit. Nam illa per universum corpus conspicua horripilatio, refrigeratio, pororum cutis corrugatio, & vasorum ejus cum pallore detumescentia, neque minus oscitatio, pandiculatio, sunt affectus nervorum, qui ex medulla spinali suam accipiunt originem. Idem quoque dolor circa primam vertebram lumborum, qui plerumque ab initio omnium motuum febrilium obvius, id adstruere videtur. Quod argumentum tamen in peculiari dissertatione, de vera motuum febrilium indole ac sede fusius prosequutus sum.

§. XXXIII.

Tertia species motuum morbosorum convulsio.

Supereſt adhuc alia motuum præter naturalium, qui morbos proxime efficiunt, species explicanda, cujus indoles non tantum in intensiori & aucta fortius systole, seu contractione, sed etiam reciproca & successiva vehementiori expansione, seu dilatatione, consistit. Dicuntur hi motus convulsivi, & incipiunt in locis nervosis, sive immediate, sive per consensum valde irritatis, & demum transeunt ad musculos, etiam eos, qui voluntatis arbitrio subjecti sunt, quos dire & horribiliter sæpius agitant, distorqueant, & e situ suo dimovent. Quod si dura mater cerebri, cujus actio & conspiratio cum membranis nerveis universi corporis, inque primis medullæ spinalis maxima, convellitur, universalis hæc est convulsio, particularis magis, si membranæ & nervi medullæ spinalis, in hoc vel illo latere, tali motu afficiuntur. Sæpe ipsa spina, vel antrorsum, ve l retrorsum, horribiliter curvatur, jactatur & distorquetur, modo totum corpus flectitur, modo certi artus, manus, vel pedes, hinc inde agitantur.

universalis epilepsia.

particularis, motus convulsivus artuũ.

§. XXXIV.

Intra corpus palpitatio cordis.

asthma convulsivum.

singultus.

tussis convulsiva.

sternutatio.

Hisce motibus internæ quoque musculosæ, & nobiliores partes obnoxiæ sunt. Cordis quippe palpitatio, qua e sede sua validissime dimovetur, nonnisi convulsionis species est. Diaphragmatis succussus, quo thorax cum impetu ampliatur & rursus angustatur, cum intensiori exspiratione, rectissime etiam ad convulsionem referri potest. In apoplexia, epilepsia & gravibus quibusdam capitis morbis, ipsius thoracis convulsio conspicitur, qua cum intensiori facta respiratione, thorax vehementer diducitur, & repente etiam contrahitur, lethale utplurimum in apoplexia signum. Quando diaphragmatis musculus convellitur, fit singultus, cujus causa utplurimum hæret in ventriculo. Quandocunque larynx valde nervosa, & tunica, quæ bronchia pulmonum cingit, nerveo-glandulosa, a sero acri irritantur, pectoris etiam fit convulsio & succussio, cum vehementi conatu expectorandi, in tussi sic dicta ferina, seu convulsiva. Quamprimum fibræ nervosæ nares oblinentes ab acri quodam stimulo vellicantur, illico, ob commeatum nervi intercostalis, diaphragma per inspirationem altiorem deprimitur, & mox spasmo remittente, violenter retractum, fortiorem exspirationem, cum vehementi aeris exsufflatione præstat. Quin notabile est, quod a titillatione super costas facta, diaphragma motu reciproco agitatum, cachinnos moveat.

§. XXXV.

vomitus.

Percommode quoque in convulsionum censum vomitum referre licet, qui a fortiori strictura pylori & fundi ventriculi, aucta vero nimium expansio-

sione orificii siniſtri & œſophagi, perficitur. Non raro ex inteſtinis tenuibus, ut fit in paſſione iliaca, contenta vomitu rejiciuntur, quod non ſine inverſo motu periſtaltico, qui in ſuccedanea contractione & relaxatione conſiſtit, fieri poteſt. In cholera ac diarrhœa, qua ſordes mucoſæ & bilioſæ brevi tempore ingenti copia ejiciuntur, ejuſmodi convulſivam affectionem, non modo inteſtinorum, ſed & ductuum biliariorum, adeſſe, cenſendum eſt. Ructuum impetuoſa e ſtomacho fortiter contracto expulſio, hypochondriacis perquam frequens, eo quoque referri debet. Præmatura fœtus in utero excluſio, ſive abortus, nunquam ſine ejus convulſione contingere poteſt; neque partus legitimus aliter peragitur, ita tamen, ut convulſiva agitatio non tantum uterum, verum etiam partes vicinas in regione pubis & oſſis ſacri, tangat, & muſculos quoque dorſi & abdominis in conſenſum trahat. Nam ejuſmodi vehementes ſpaſmos, ſive conſtrictivos motus partium, ſubſequitur tandem mira orificii uteri interni dilatatio.

cholera, diarrhœa.

ructus.

abortus & partus.

§. XXXVI.

Expoſitis ſic iis morbis, quorum formalis ratio in convulſione verſatur: tranſeundum nunc eſt ad eam affectuum claſſem, qui ex toni, ſeu potentiæ motricis, in nervoſis & muſculoſis partibus, item in ipſis canalibus, qui fluida vehunt, imbecillitate, ſeu nimia remiſſione, aut exſolutione, quam Græci atoniam, vel ſi gravior affectio, paralyſin, vocant, ſubnaſcuntur, quippe qui non levius periculum ac priores, vitæ intentant, ſed certo reſpectu gravius. Quicunque paullo curatius ipſius mortis theoriam ſcrutatur, is non a vero aberrabit, ſi cenſebit, eandem in plenaria & univerſali reſolutione, ſeu potius extinctione motuum, qui in corde, arteriis, membranis & omnibus muſculis vigent, conſiſtere. Nam ſimul ac motus ille activus ſyſtoles cordis & arteriarum ſilet, vel extinguitur, protinus tota œconomia reliquorum motuum & functionum aboletur. Si ſyſtole cordis ad tempus intercipitur, ſyncope, quæ imaginem mortis præbet, oritur. Sub languida valdeque imbecilli cordis & arteriarum pulſatione, quæ fit ſæpius a metu vel magna mœſtitia, vires naturæ ita exſolvuntur ac proſternuntur, ut anima, cujus operatio in ſenſu & cogitatione conſiſtit, deliquium quoddam patiatur. Mors, quæ venenum aſſumtum ſequitur, ab extincta vi motrice cordis oritur, dum illud vel narcotico quodam vapore hanc ſupprimit, vel ob vehementiam ſpaſmorum, cor quaſſantem, fluidum, quod motum præſtat, penitus diſſipatur, ut ex toto deſinat ſyſtole.

Atoniæ debentur.

Mors ipſa.

Syncope.

Animi deliquium.

§. XXXVII.

Lubet vero ſigillatius damna certarum partium ex atonia exponere. Graves illi cerebri morbi, ſtupor, ſopor, torpor, continua ad ſomnum propenſio, ſenſuum, memoriæ & ingenii abolitio, vix gigni poſſunt, niſi ſub magna atonia & imbecillitate ac ſyſtole deperdita duræ matris, nervorum & membranarum nervoſarum, ſi nempe fluido ſummæ activitatis, tenuiſſimo & puriſſimo, quod veteres ſpiritum animalem vocant, variis de cauſſis deſtituuntur. Gutta ſerena, ſive plenaria viſus obſcuratio, ſalvo oculo, nihil aliud quam nervi optici paralyſin indicat. Sique hi nervi a vicina carotide, ſanguine diſtenta, paullo arctius comprimuntur, vertigo fit, quæ tamen etiam a ſpaſmo nonnunquam ſuam petit originem. Soluto penitus nervorum acuſticorum vigore, quod vel a nimia ibi exundante humiditate, aut occalleſcentia fit, ſurditas eſt. Moleſtus ille aurium tinnitus, qui in interiori aure, intra tympanum & tubam Euſtachianam, continetur, a nimia humiditate membranarum, quæ oſſeas has partes cingunt, demum in vapores reſoluta, producitur. Nervi linguales, uti ſpaſmo conſtricti, ita etiam paralyſi reſoluti, loquelam auferunt. Nimium relaxatæ

Graves cerebri morbi.

Gutta ſerena.

Vertigo.

Surditas & tinnitus.

Aphonia.

ab

Odoris & deglutitionis vitia.

ab incumbente ſero tunicæ nervoſæ, quæ oſſa narium ſquamoſa inveſtiunt, quod frequentius fit in coryza, odoris ſenſum auferunt. Nimia muſculorum pharyngis laxitas efficit, ut difficulter

Catarrhus ſuffocativus.

ore ingeſta deglutiantur, quod etiam fit, ſi tunica nervea œſophagi, ab humore pituitoſo nimium relaxata fuerit. Nervorum pneumonicorum, & qui ad bronchia porriguntur, paralyſis ſpiritum intercipit & catarrhum ſic dictum ſuffocativum infert.

§. XXXVIII.

Varii ventriculi & inteſtinorum affectus.

In primis nimia tunicarum nerveārum ventriculi atonia gravi detrimento corpus mactat; quippe hac præſente, ingeſta non tantum gravativo dolore epigaſtri regionem premunt, verum etiam diutius ibi hærentia & mora corrupta, ſtomachi inflationem & anorexiam cauſſantur. Idem evenit, ſi a tono ſuo admodum dejectum eſt inteſtinum duodenum, quod alter & ſuccēturiatus quaſi ſecundum noſtram ſententiam ventriculus & altera chyli officina; quandoquidem humores ex ventriculo appulſi, moram in ejus cavo nectentes, ſi in corruptionem abeunt, multorum morborum cauſſam præbent, adeo, ut ſedes ac ſeminarium fiat multarum ægritudinum. Labefactatus quoque periſtalticus inteſtinorum reliquorum motus, flatulentias, borborygmos, murmura ac ſonitus in ventre parit, qui ſi in acuto & periculoſo morbo comparent, lethalis internæ ſphacelationis indi-

Urinæ, ſtercoris & ſudoris efflux.

cium præbent. Sphincteris, qui veſicam & anum claudit, paralytica reſolutio, involuntarium urinæ, & ſecum ſeceſſum affert, atque in morbis robur virium naturæ exſolutum ſubjudicat. Laxata nimis atque remiſſa tubuloſa cutis ſecretoria compages magnam imbecillitatem prodit, ac ut ſudores frigidi, vel plane colliquativi, manent, efficit.

De morbis ex atonia in pulmonibus.

§. XXXIX.

Nobiliora porro viſcera robore debito orbata, variis & pernicialibus morbis ortum præbent. Sic pulmones infirmati, copioſo humorum affluxui & collectioni patent, unde tuſſis humida & copioſa, vel etiam aſthma ſic dictum pituitoſum, quin ſic allectus ſalſorum & acrium humorum decubitus, ad abſceſſus, exulcerationes, vomicas, ipſiuſque phthiſici mali generationem quam facile diſponit. Hepatis & lienis viſcus, propter vim motricem tonicam amiſſam, humorum infarctibus, vaſorum obſtructionibus, indurationibus quoque & ſcirrheſcentiis obnoxium eſt, & hinc diræ illæ chronicæ paſſiones, icterus niger & flavus, cachexia, ſcorbutus, hydrops, incunabula trahunt. Ipſa vaſa ſanguifera, præſertim arterioſa, robore haud raro exuuntur, ut languente eorundem motu, ſanguis difficulter curſum conficiat, ſpiſſeſcat, paſſim in alveis ſtagnet, minimoſque obſtruat, & ſic gignatur ſic dicta plethora ad vires, fœcunda morborum matrix, quæ frequentiſſime cauſſam conſtituit morbificam in corporibus imbecillis ab alio morbo brevi liberatis.

Hepate & liene.

Vaſis ſanguiferis.

§. XL.

Et quum nullum viſcus in univerſo corpore ægrius per copioſiſſima vaſa ſanguinem tranſmittat, ſimulque ad dejectionem toni ac roboris & hinc oriundam humorum ſtagnationem ac tumorum generationem, tam proclive ſit, quam hepar, & in fœminis uterus: grave utique & frequens damnum ex iis imminet. Nimirum advehit ad hepar ſanguinem vena ſic dicta portæ, quæ, ſi robur obtuſum eſt, minus expedite ac promte ſanguinem per hoc mere vaſculoſum viſcus trajicere & propellere valet, ſed cruor regurgitat ad illas partes illaque viſcera, quibus vena hæc propagines ſuas inſerit, ſtomachū puto, omentum, pancreas, lienem ac totum inteſtinorum volumen, & propter ſtaſes atque ſtagnationes parit ibi dolores, ſpaſmos, flatus, obſtructiones, indurationes, corruptiones, abſceſſus, hæmorrhagias, aliaſque timoris & pericu-

Speciatim vaſis hepatis.

& uteri.

li plenas paſſiones. Uterus vero mille

ærum-

ærumnarum, juxta *Hippocratem*, mulieribus auctor, si copiosissimi tortuoso ductu per ejus compagem discurrentes canales, ob remissum robur sanguini trudendo non sufficiunt, is pariter relabitur ad vasa hypogastrica arteriosa & ad viscera abdominis reliqua, unde non secus ac in nobiliori sexu pathemata sic dicta spasmodico-hypochondriaca, in fœminis hysterica dicta, subcriuntur. Ipsa quoque uteri vasculosa substantia, stagnante sero ac sanguine farta, immodicum mensium aut seri mucidi profluvium, abortum & sterilitatem, tumores ingentis magnitudinis, carcinomata, quin in ipso cavo, varias concretiones carneas, quæ molarum nomine notæ, contrahit.

§. XLI.

In renibus. In tubuloso renum colatorio, debito robore destituto, serum a sanguine effuse secedit, & diabetes nascitur, qua plus urinæ redditur, quam liquidum assumptum. Ex eodem etiam fonte, destructo nempe renum tono, calculi renalis petenda est generatio. Quod si enim transitus sanguinis per vasa emulgentia languida tarde difficulter succedit, retardatur simul excretio urinosi liquoris, qui in tubulis urinariis prope pelvim subsistens, dimittit crassam, tartaream & mucidam materiam, successive in calculos concrescentem. Pariter si vesica enervis, vi, ut ita loquar, expultrice privata, urinam non reddit, hæc retenta, mora illa crassum ponit ac mucidum sedimentum, quod sensim solidescens, calculo generando ansam præbet. Insuper hebetata vesicularum & vasorum seminalium contractilitas, in causa est, ut lymphaticus & seminalis liquor copiosius in loculis colligatur, ac demum nimium congestus, per pollutionem nocturnam, immo ipsam benignã gonorrhœam, sponte exstillet.

Et vesica.

Vasisq; seminalibus.

§. XLII.

In mẽranis Denique etiam membranæ & nervi spinalis medullæ, variis de causis sæpe penitus a tono ac robore dejiciuntur, quod, si in uno latere accidit, hemiplexia, sive paralysis fit, dextri, vel sinistri lateris, sub qua sensu & motu orbantur partes lateris, ad quas nervi ex spina feruntur. Si autem non in ipsa spinali medulla, sed extra eam discurrentes nervi ac membranæ nervosæ artuum, v. c. brachiorum & pedum obtunduntur, motus affectæ partis remanente quodammodo sensatione, exspirat, & affectus vocari solet paresis.

Spinalis medullæ.

§. XLIII.

Quum itaque omnes omnino morbi ad motus, nimium vel intensos, vel debiles atque remissos ortum referant, ita quidem, ut hi chronicas & rebelles, illi autem acutas & celeres magis passiones invehant; quæstio nunc disquisitione haud indigna incidit: spasmus, an atonia partium sit deterior & negotio vitali magis infensa? Nos ingenue & libere profitemur, atoniam esse pejoris indolis ad sanitatẽ cum vita subruendam, quam spasmum. Nam licet ipse spasmus atroces dolores, ingentes molestias atque anxietates pariat; sæpius tamen per accidens utilissimum effectum præstat, dum motu solidorum & fluidorum aucto, caussæ morbificæ, ex qua ipse pullulat, submovendæ inservit, stases, stagnationes & infarctus dissolvendo, & humores vitiosos, temperie & quantitate peccantes, exturbando, ut hoc facto, morbus ipse feliciter solvatur atque discedat. Deinde longe facilius est, motus excedentes impetuosos componere ac sedare, quam deficientes plane revocare & excitare, quandoquidem atoniæ ea est ratio, ut exhaustis naturæ viribus, sanguine nempe & succo nerveo consumtis, subnascatur, quorum jactura non tam promte resarcienda. Debilitas quoque, sive vis motricis in partibus languor, caussa plerumque est sanguinis in certo loco congestionis, stasis, stagnationis, corruptionis, immo viscerum infarctus, e quibus postea, ceu proximis caussis, febres, spasmi, & præternaturales motus

Atonia spasmo deterior

suc-

succrescunt, vel denuo repetunt ac recidivant. Neque etiam ullus morbus ullumque symptoma gignitur, nisi præcedat eximia generis nervosi infirmitas, aut nobiliorum partium atonia, sive hæc in ventriculo, intestinis, systemate vasorum meseraicorum, membranis cerebri aut medullæ spinalis, sive etiam ipsis excretoriis, consistat; quo etiam fit, ut roborantia & balsamica medicamina, languidam partium facultatem refocillantia, ad morbos arcendos efficacissima sint præsidia.

§. XLIV.

Spasmus atoniam, hæc illum ingignit.

Porro, qui motus microcosmicos eorumque indolem attentius expendit, compertum habet, spasmum, qui truculenter in morbis torquet & exagitat corporis partes, in iisdem semper motus impotentiam, sive imbecillitatem, relinquere, & hanc plerumque causam esse repetentis denuo paroxysmi. Atroces dolores excipit demum partium affectarum intumescentia; inflammationem acutam, sphacelatio, quæ summus atonię gradus. Vehementem illam in febrium insultibus externarum partium strictūram, in declinatione magna cutis relaxatio cum sudore copioso sequitur, æstum antea intensum, cutis refrigeratio, pulsum celerem ac durum, die vacuo tardus ac molliter undulans. Convulsivi truculenti motus, artibus quos exagitarunt, ingentem post imbecillitatem atque languorem conciliant. Ipse quoque observavi, post vomitiones, & dejectiones alvi creberrimas, immo validiorem purgantium operationem, alvum claudi & ventriculi atque intestinorum robur mirum atteri, quod potissimum uber flatuum proventus testatur. Ut adeo perpetua hæc sit microcosmica lex, in pathologicis studiose in primis observanda: quod spasmus relinquat atoniam, & atonia vicissim spasmis ingignendis velificetur.

§. XLV.

Monendum tamen est, quod tam imbecillitas, quæ auctore *Celso*, omnibus morbis patet, quam ipse spasmus, certis ætatibus, ratione partium quas afficit, certis quoque ratione strictūræ corporibus, magis vel minus solennis atque familiaris sit. Enimvero historia medica experientiæ innixa testatur, atoniam & infirmitatem capitis, & quæ ad illud pertinent partium, infantibus & pueris esse frequentissimam, ac inde veram morborum, quæ teneriorem ætatem infestant, & capiti plerumque incumbunt, derivandam esse originem. Hanc enim sæpius achoribus, tinea capitis, aurium & oculorum defluxionibus, glandularum tumoribus, coryza, narium stillicidiis, sanguinolentis & mucosis, epilepsia quoque corripi, res est inter omnes notissima. Currente juvenili & prima virili ætate, spasmodicę strictūræ in præcordiis ac pectore, in universum quoque motus solidorum & fluidorum intensiores, frequentius conspiciuntur. Hinc enim est, quod juvenes ac viri ad inflammationes pulmonum, pleuritidem veram ac spuriam, peripneumoniā, hæmoptysin, phthisin, hecticam, asthma, inflationes ventriculi, affectum hypochondriacum, qui in præcordiis maxime sedem obtinet, immo ad febres ardentes biliosas, tertianas & continuas, admodum sint proclives & crebrius iisdem tententur. In adultioribus tandem, debilitas & atonia inferiores in imo ventre sitas partes magis corripit. Et hanc ob causam ætate ingravescente, morbi, qui in abdomine sedem & originem habent, quam maxime affligunt, quorum in numero sunt renum, vesicæ calculus, colica, diarrhœa, cachexia, hydrops, scorbutus, mictus cruentus, fluxus hęmorrhoidum nimius, tumores pedum œdematosi, atrophia, anorexia & stranguria, infesta senibus pathemata.

De morbis ætatum ex hoc fonte derivandi.

Omnes igitur morbi sunt generis nervosi affectiones.

§. XLVI.

Ex hisce autem omnibus uberius hactenus excussis, perquam dilucide apparere arbitror: quod solus spasmus & simplex atonia, æquabilem, liberum

ac

ac proportionatum sanguinis omnisque generis fluidorum motum, cui excretionum successus & integritas functionum animi & corporis proxime nititur, turbando ac pervertendo, universam vitalem œconomiam subruant ac destruant, atque hinc universa pathologia longe rectius atque facilius ex vitio motuum microcosmicorum in solidis, quam ex variis affectionibus vitiosorum humorum, deduci atque explicari possit, adeoque omnis generis ægritudines internæ, ad præternaturales generis nervosi affectiones sint referendæ. Etenim læsis quocunque modo vel nervis per corpus discurrentibus, vel membranosis quibusvis ac nervosis partibus, illico motuum anomaliæ, modo leviores, modo graviores, subsequuntur. Deinde attenta observatio docet, motus quosvis morbosos, principaliter sedem figere & tyrannidem exercere in nervosis corporis partibus, cujus generis præter omnes canales, qui systaltico, & diastaltico motu pollentes, contentos succos tradunt, universum nimirum intestinorum, & ventriculi ab œsophago ad anum canalem, totum systema vasorum arteriosorum, ductuum biliariorum, salivalium, urinariorum & subcutaneorum, sunt quoque membranæ nerveo-musculares cerebri & medullæ spinalis, præsertim hæc, quæ dura mater vocatur, organis sensoriis obductæ, nec non tunicæ illæ ac ligamenta, quæ ossa cingunt artusque firmant. Nam nullus dolor, nulla inflammatio, nullus spasmus, nulla motus & sensus impotentia, nulla febris, aut humoris ullius excretio, accidit, in qua non hæ partes patiantur. Porro etiam omnes, quæ morbos gignunt, caussæ, operationem suam potissimum perficiunt in partes motu & sensu præditas, & canales ex his coagmentatos, eorum motum, & cum hoc fluidorum cursum, pervertendo; ita tamen, ut sicuti variæ indolis sunt, sic etiam varie in nerveas partes agant, iisdemque noxam affricent. Demum omnia quoque eximiæ virtutis medicamenta, non tam in partes fluidas, earum crasin ac intemperiem corrigendo, quam potius in solidas & nervosas, earundem motus alterando ac moderando, suam edunt operationem: de quibus tamen omnibus, in vulgari usque eo recepta morborum doctrina, altum est silentium.

CAPUT V.

De consensu partium nervosarum generatim & sigillatim cum ventriculo, præcipua passionum & symptomatum origine.

§. I.

Tractationis ratio.

OMnis generis morbos & præternaturales motus ad duo genera, spasmum nempe & atoniam, referri posse, & generis nervosi maxime esse affectiones, superiori capite succincte & distincte docuimus: jam sequitur, ut consensum, sive potius mutuam illam conspirationem & communicationem motuum vitiosorum, quam partes nervosæ motu ac sensu exquisitiori gaudentes, inter se alunt, tradamus, ac in primis quam singularis ventriculo, cum nervosis universi corporis partibus, sympathia intercedat, edisseramus; expositurique simul, quod non modo omnes, quæ motus præternaturales cient caussæ, sed & medicamenta, proxime nervosas partes, & maxime ventriculum cum intestinis, virtute sua ac operatione afficiant. Et hac demum ratione fiet ut genealogia multarum passionum & symptomatum in morbis, quę eo usque abstrusa admodum atque incognita fuit, ipsorum quoque remediorum effectus ac operandi modus, clarius innotescant & perspiciantur.

§. II.

Partes in corpore tanquã machina connexæ.

Videlicet corpus nostrum esse machinam, & artificio & usu omnibus aliis, quæ ab humana arte proficisci possunt, longe superiorem & perfectiorem dudum quidem sagacissimi medicorum

rum agnoverunt; non tamen facile firmius ad idem demonstrandum suppetit argumentum, quam exquisita illa mutua connexio & coordinatio, inque eundem finem conspiratio partium, quæ undiquaque in universa compage conspicitur. Hinc etiam est, quod unius partis vitium, aut læsio, mox, ob arctum hunc nexum, in alias transeat, ut inde omnes machinæ motus inordinati fiant, vel sensibilem turbationem patiantur: haud secus ac videmus, læso vel unico rotulæ dente in machinis artificialibus, protinus earum motus inde reddi inordinatos.

§. III.

Ex partium structura motus.

Sicuti vero omnis machina tantummodo eum in finem constructa est, ut ex sua structura convenientes edat motus: ita animadvertimus, corporis nostri structuram, maxime esse hydraulicam & vasculosam, quo fluida diversi generis jugi & continuo motu, vi & potentia motrice, non modo cordis atque arteriarum, expansiva & contractoria, sed & aliorum ductuum secretoriorum & excretoriorum, per diversissimæ amplitudinis tubulos circulari in orbem motu ferantur, & variæ indolis humores, pro diametro & directione canalium, & secernantur, & excernantur. Animadvertimus porro machinam corporis nostri ex meris fibris ac membranis nervosis elasticis, contractilibus & expansilibus, esse contextam, atque in iis ipsis motus quosdam tensivos, tremulos, oscillatorios celebrari, qui tam motibus vitalibus secundandis, quam ad offerendam materiam principio, quod in animantibus est, sentiendi ac percipiendi, serviunt. Et quia præterea totum systema nervorum & membranarum cohæret ac mirifice inter se connexum est, non aliter fit, quam in chordis tensis, ut fibrilla una pulsa, altera quoque moveatur; in quo quidem mutua illa conspiratio fibrarum & membranarum, qua motus vitiatos & præternaturales invicem communicant, consistit.

§. IV.

Partes specatim consentientes.

Atque hæc harmonia ac sympathia partium nervosarum, maximi momenti & usus est in pathologicis, adeo, ut sine ejusdem accurata notitia, plurima, quæ in morbis accidunt symptomata, quomodo producantur, vix ac ne vix quidem explicari possit. Quapropter merito dolendum esse arbitror, quod hęc doctrina in libris medicis huc usque partim minus recte pertractata, partim etiam penitus neglecta & prætermissa sit. Operæ hinc pretium utique fore duco, si tam utile argumentum pervestigatius paullo & subtilius in præsenti disquisitione agitem atque expendam. Prius vero quam id exsequar, ante omnia in genere tenendum est: quod partes nervoso-membranaceę, inter quas ejusmodi consensus quam maxime viget, sint primo membranæ cerebri & spinalis medullæ, deinde membranæ nerveæ, quæ organa sensuum, oculos, aures, nares, ora & fauces interius investiunt, ac porro membranæ, quæ omnis generis ossa succingunt, caput, dentes, articulos, ipsosque musculos. Tum quoque totus ille canalis, qui a pharynge ad anum usque elongatur, ac œsophagum, ventriculum, totumque intestinorum volumen confi. cit, & mere nervosus ac membranaceus est, conspectius consentit. Idem præterea consensus in universo systemate ductuum biliariorum, urinariorum cum vesica, & qui glandulas constituunt, ac ex iisdem liquorem secretum devehunt, & denique in ipsa cute, quę ex meris fibris tendinosis, & nerveis contexta est, per omnem corporis ambitum, observatur atque succedit. Omnium itaque & singularum harum partium mira invicem est connexio, conspiratio, sympathia, & motuum quoque læsionum communicatio, quando a caussa quadam violenta, sive crassiori, gravius afficiuntur.

§. V.

Quemadmodum vero nobiles hæc par-

Omnis sympathia partium a nervis.

partes motum, sensum atque actionem suam, a nervis eorumque propaginibus sortiuntur, licet emergentes inde singularum functiones mirum differant; ita plurimum utique refert, nervorum conjugationes ac distributiones ramulorum, a quibus singulæ partes animantur atque moventur, probe pernoscere, quo vitiosorum organis ab iisdem impressorum motuum origines rite patescant. Recte enim jam cel. *Ettmullerus*, ex hoc fonte partium sympathiam derivavit, dum *Opp. Tom. II. pag. 36.* ita scribit: *consistit ergo consensus partium in connexione unius cum altera, quæ triplici in primis solet fieri ratione, ita quidem, ut omnis proprie dictus consensus fiat ratione saltim nervorum. Consentiunt nempe partes nerveæ triplici modo: primo, quatenus fibræ nerveæ sunt continuæ, qua ratione imminente vomitu tremit labium inferius: vel secundo, quatenus sunt contiguæ, quarum ratione calculus vesicæ subinde stimulum infert alvi & tenesmum excitat, quia collum vesicæ & intestinum rectum invicem incumbunt; sic affecto orificio stomachi, sequitur singultus. Tertio, consensus partium fit ratione connexionis mediantibus funiculis nerveis; qua ratione consentiunt renes, uretheres & intestina, stomachus & caput.*

§. VI.

In primis a quinto & octavo pari.

In primis tamen necessarium est, exacte cognitas habere illas nervorum conjugationes & propagines, quæ ex cerebri inferiori substantia oriuntur, & extra calvariam delatæ, ad internas partes corporis abeunt; siquidem per has, & partes inter se, & omnes ac singulæ cum cerebro ejusque membranis, consensu fruuntur. Sunt vero hæc paria solenniora & notabiliora, quæ ex cerebro ad partes feruntur, duo, quintum videlicet & octavum. Et quia intercostale ex ramis quinti paris & ramo sexti, item octavi paris, originem suam sumit, & cum pari octavo quoque intra cavum thoracis & abdominis plurimum conjungitur, & ramis ex spinali medulla, intra costarum spatium prodeuntibus, increscit, & hoc ipsum demum fere ad omnes corporis partes, quo motum, robur ac sensum accipiant defertur, ideo ob hunc nervum diffusissimum maxima fit partium inter se & cum capite consensio atque motuum communicatio. Quia vero ut omnium, sic etiam horum nervorum, descriptionem nemo accuratius & excellentius persequutus est ipso *Vieussen*; nolumus eam repetere, sed ingenuum lectorem ad hujus *Nevrographiam*, pro perspicienda & intelligenda varia nervorum distributione, remittimus. Nobis vero jam satis erit ostendere, quomodo per hos dictos nervos partes inter se consentiant, & unius læsio in alias transmigret, variaque symptomata inde progenerentur.

§. VII.

Ad consensum evolvendum sufficit maxima nervorum sensibilitas.

Ut autem hæc omnia, quomodo peragantur, & qua ratione præter naturam affecti nervi tantas mutationes, etiam non sine exitio & periculo vitæ ac sanitatis efficiant, intelligi possint; neutiquam nobis opus est, in subsidium principium quoddam incorporeum, singulari sensu & notitia rerum, quæ corpori insunt & in eo fiunt, instructum, vocare, quia ejusmodi principio ad vitale negotium plane non indigemus, utpote quum non sensus, sed motus tantum, ad producenda symptomata morbosa satis sit. Neque disputare hic nostri instituti erit, quod & quale liquidum in nervis vehatur, & quomodo ejus motus a caussis morbificis præter naturam afficiatur; sed sufficerit saltem nosse, omnes motus vitales cum secretionibus & excretionibus, naturales, placidos & ordinatos esse, si in nervorum ac membranarum systemate omnia tranquilla, & pacata sunt: id est, si nullam vim patiuntur, neque ulla, quæcumque etiam fuerit, violenta motio ipsis inducitur. In genere enim hæc regula perpetuo ac probe, in rationali morborum explicatione, observanda est: nullam vim vel motum tolerare posse nervos, & quæ ex iis prodeunt partes membra-

branosas. Simul ac enim hæ a caussa quadam vehementer commoventur, concutiuntur, vel distenduntur, aut comprimuntur, lancinantur, pungunturque & trahuntur, protinus ratione motus contractio, crispatura, strictura & partium vicinarum, præsertim vasorum, compressio præsto est: unde magnæ in circuitu sanguinis & humorum æquabili turbæ atque anomaliæ exoriuntur.

§. VIII.

Hinc facile afficiuntur, ab animi pathemate.

Sola perversa & minus rationalis cogitatio & impressio, quæ sub animi quodam impetu fit, quæ & directe & proxime nervosas invadit partes, ingentes turbas in tota œconomia motuum vitalium & animalium excitat. Sciendum autem est, vim perversæ cogitationis & impressionis nihil quidem corporei esse; attamen, simul ac influit in corpus, & nervosas partes præter naturam exagitat, meros effectus corporeos, videlicet vel partium vehementem strictu ram, contractionem, aut earum resolutionem, laxitatem & flacciditatem producit. Quare etiam ea remedia, quæ spasmodice contractos nervos molliunt, leniunt, & efferos motus sedant, perquam feliciter acerbis illis symptomatibus, quæ animi impetuosior quidam motus concitat, opponuntur. Eum vero in finem hæc adduximus, ut addiscamus, ab animi motu, ceu ideali atque incorporeo tantum actu, universum genus nervorum ita affici & commoveri posse, ut omnium partium munera inde labem contrahant & periclitentur.

§. IX.

A commotione interna & externa.

Deinceps quanta læsio & pernicies toti corpori accedat ex gravi percussione capitis & cerebri, ac principii nervorum inde facta sola commotione, salva partium internarum textura, sensuum abolitio cum corporis lapsu in terram, nausea, vomitus, omnium virium simul & semel facta convulsio, satis abunde que declarant. Et quod magis mirandum est, a sola commotione corporis & capitis externa, in sano homine, confestim acerba symptomata produci possunt: cujus rei exemplum navigationis insueti præbent, quos navi maris fluctibus jactata, vel in gyrum circumacta, vertigo, nausea, enormis vomitio cum summa anxietate, pallor faciei, virium languor, appetitus prostratio, satis misere excruciare solent, quæ morborum ærumnæ vix ullam aliam agnoscunt caussam, quam quod nervorum in capite principium insolito motu agitetur, & commoveatur.

§. X.

Minimæ molis materiis.

Igitur minimæ molis sæpius materia & leviissima caussa, modo in nervosis partibus insolentem quandam motionem velagitationem excitare possit, magnis præter naturam motibus provocandis apta est. Fumus tabaci, etiam non adeo magna quantitate ore haustus, quas non ingentes anxietates cum sudore frigido, faciei pallore, vomitione, nausea ad animi fere usque defectionem, in insuetis producit? Effluvia stupendæ quanquam sunt exiguitatis, quę ex suaveolentibus, moscho, zibetho & floribus jasmini exhalant; attamen tanta efficacia pollent, ut fœminam, cujus nervi enormibus anomalis contractionibus assueti sunt, id est, quæ secundum veterum loquendi modum sensibiliissimæ est indolis, vehementissime affligant, syncopen inferendo, usum vitæ ad tempus suspendant, corpus humi prosternant, vel graves anxias & suffocatorias pectoris oppressiones, & spirandi angustias concitent, quæ aspectu horrenda symptomata, fętido naribus admoto vapore, ex tempore, & miraculi instar sisti possunt, eam videlicet ob rationem, quod exhalationes tenuissimæ sulphureæ, intimæ ad nervosas partes sint admissionis, & contrarium suaveolentibus effectum, nempe sedativum, in iis exserant. Etenim quando vapor, odore per nares susceptus, nervorum ramulos, ex quinta conjugatione prodeuntes, præter naturam afficit, protinus hujus insoliti motus communicatio, mediante pari intercostali, & octavo, transit ad fauces at-

atque ventriculum, cor & pulmones, unde horum symptomatum ratio petenda est.

§. XI.

Aliisque tenuissimis causticis.

Simili ratione quando a subtilissime causticа materia, sive, venenata, in cute sauciata nerveæ fibrillæ interius tanguntur, quod fit, si cum punctura, vel morsu virus sese altius insinuat, in morsu viperæ, scorpionum, canis rabidi, vel instrumento, succo hellebori albi, oleo tabaci, aut linimento, quod arsenicum ingreditur, imbuto, in quas non horribiles universum systema nervorum commotiones & spasticas stricturas conjicitur? unde acerbissimorum, maxima ex parte lethalium symptomatum, origo, Febris enim, syncope, sudor frigidus, faciei pallor, vomitus, nausea, flavus color faciei, artuum convulsio, mentis emotio, alvi pertinax constrictio, urinæ suppressio, summa anxietas, inquietudo, spirandi angustia, nonnisi affectus sunt præter naturam & supra modum generis nervosi commoti, quibus gravissimis & funesti certo effectus afflictionibus, non alia ratione, nisi mature, & statim inter initia, antequam motuum vitalium œconomia prorsus destructa fuerit, medicina, eaque specifica, succurrere licet. Nam, si unquam tantopere a medicis collaudata specifica locum inveniunt; certe tunc opem conferunt præstantissimam, ubi genus nervosum ex minima, virulenta tamen caussa; in pessimos, vitæ inimicos motus & contractiones abreptum fuerit; si videlicet contrariæ indolis materia, eas maturiori exhibitione cita ope compescunt. Quam gravia & funesta symptomata post medicamentorum septicorum, ut est arsenicum, factam partibus tendinosis & nerveis exterius tantum applicationem sequantur, legi meretur *obs.* 80. *Cent. 6. Hildani*; qui refert: virum robustum, qui tumore cancroso laboravit & cui Chirurgus pulverem ex arsenico applicuit, mox in dolorem vehementem, vigiliam, febrem ardentem & continuum cibi fastidium ac vomitum incidisse, & tandem delirio & syncope exorta, intra paucos dies mortuum fuisse.

§. XII.

Magis commoventur nervi a crassioribus materiis.

Multo magis a solido & rigido corpore, quandocunque nervi portio læditur, acerba & gravia in toto corpore visuntur symptomata. Ita tenuissima acu vel lanceola, ex purissimo chalybe confecta, quando in ferienda vena improvide læditur substratus nervus vel tendo, in corpore etiam exquisite sano, dolor, tumor durus, partis inflammatio cum horrore, febre, vigilia, & quandoque, nisi cito succurramus, sphacelus & mors consequitur. Qualia tristia exempla complura sæpius, non sine dolore, in praxi conspiciuntur. Neque tantum Chirurgi, qui læsionem inferendo primam occasionem malis subministrant, sed & ipsi maxime medici, qui progredienti malo commoda medicina, quæ tantummodo in principio unico emolliente consistit, non satis dextre & mature occurrunt, inculpandi sunt. Anni jam aliquot exacti sunt, ubi juvenis, medicinæ culturæ addictus, subito febre, cum siti, vigilia, summa anxietate levique delirio corripiebatur; quæ quum per sex dies durassent, in consilium vocor. Inquisivi in caussam, edixit: bene se sanum & valentem fuisse, simul ac vero cuspis cultelli scriptorii, de mensa forte delapsi, inciderit in dorsum pedis, ingentem dolorem ibi fuisse excitatum, & ab eo tempore graviter se laborasse. Locus affectus erat durus, tumidus & bruni coloris; applicuimus cataplasma emolliens ex floribus emollientibus, croco etiam, in lacte decoctum: insuper dedimus emulsiones papaveraceas, cum pulveribus bezoardicis, quo facto, mox omnia symptomata interitum minantia ex toto conquieverunt. Quam infeliciter pedum clavi, in senio præsertim confectis & scorbuticis corporibus.

Ut punctura tendinis.

Clavo excisso.

bus,non raro exscindantur, tristissimis exemplis ac historiis in dies fere edocemur. Tendinibus enim cum supersedeant clavi; hinc quo altius adigitur cultelli cuspis,eo facilius fit, ut tendo subjectus pungatur,unde exitialis,ob sphacelum exorientem,corporis ruina pendet. Spina vel levis festuca membranosis, vel tendinosis locis altius, v.g. infra ungues,infixa, brevi etiam in sano homine,similis generis symptomata, dolorem, tumorem, ruborem, partis pulsationem & febrem,cum siti & vigilia parit. *Hildan. Cent.* 5. *obs.* 2. complura exempla proponit,ubi a punctione spinæ in pede vel in digito manus facta,dolor maximus, inflammatio,febris,delirium & sphacelus obortus fuit. Non ita pridem a caustico, ad excitandum fonticulum, in loco incongruo improvide posito, in honoratiori fœmina ingentem totius brachii tumorem doloremque usque ad humeros & pectus pertingentem, cum febricula notavimus;ubi tamen mox externis & internis convenientibus auxiliis, divina sub Numinis gratia, suppetias tulimus. Quod vero sphacelus,in primis in extrema ætate & scorbutico corpore, tam facile nervosis partibus,præsertim extremis membris, insideat, id non tantum propter nervorum læsionem fit, verum quod exinde membranæ nerveæ constringantur, & interpositis numerosis venis & arteriis sanguis immotus detineatur, qui in sphacelosam corruptionem quam facile ruit.

Spina & festuca.

§. XIII.

Quam gravia ex punctura vesparum, præsertim in locis membranosis & tendinosis, ut sunt carpi manuum, tempora capitis, junctura artuum, pathemata suboriantur, compluribus observationibus,hinc inde in medicorum clarissimorum monumentis annotati, edocemur. Inter has notabilis est ea, quam in medium producit *Hildanus obs.*87.*Cent.*4.ubi fœmina a vespa punctionem circa carpum sinistrum accepit,& protinus ingens dolor in loco affecto,cum lipothymia,exortus est, qui ab initio manum quidem, & carpum solum occupavit, mox tamen per totum corpus expansus, acerbior factus est,quin eodem die etiam vesicæ,seroso & pellucido humore repletæ, efflorueruntur; convaluit tamen, inunctione facta ex oleo scorpionum. Et *observ.*80.*l. c.*refert: juvenem robustum & plethoricum,a vespa in dextrum faciei latus, haud procul a minori cantho oculi, punctum fuisse, ubi ingens dolor & inflammatio cum gangræna faciei sequuta est. Idem laudatus auctor *Cent.* 5. *obs.* 25. refert historiam puellæ, cui Empyricus liquorem in aures instillavit,incredibili dolore,postea febre, vigilia & tumore subsequentibus. Et *Cent.* 1. *obs.*4. memorat exemplum puellæ,cui in concavum auris globulus vitreus instar pisi illapsus est,quo facto, mira symptomata successerunt, tota pars illa capitis usque ad futuram nocte dieque doluit, accesserunt etiam sinistro brachio stupores usque ad digitos,pollicem & indicem,progredientes ad lumbos usque, tibiam & pedem, tussicula sicca assidua affuit, menstrua suppressa sunt, accesserunt epilepticæ convulsiones, & ipsum brachium in atrophiam incidit: quæ cuncta acerba pathemata, feliciter extracto globulo, simul & semel conquieverunt. Hæ adductæ observationes satis abundeque id confirmant, læsiones nervosarum partium, quæcunque & ex quacunque etiam causa exortæ fuerint, propter communicationem, quam nervorum propagines inter se habent, mirifice functiones partium etiam dissitarum lædere & conturbare posse.

Punctura vespæ.

Aliisque levibus caussis.

Et inde universum systema patitur.

§. XIV.

Quod quidem quemadmodum in lesionibus partium nervosarum externarum in propatulo est; ita idem gravius affectis internis exquisite sentientibus partibus contingit,ut plane mirandum sit, quam horrenda symptomata exinde subsequi soleant. Insigne hac de re

Ejusdē indolis sunt internæ nervosæ partes.

exemplum prodidit idem laudatus *Hildanus Cent.* 1. *obs.* 34. ubi aciculam grandiusculam forte quæpiam deglutivit, ex quo non ita multo post in fundo ventriculi & circa pylorum exortus est tam intolerabilis dolor, ut dies noctesque exclamare, & ululare coacta fuerit. Sexto die a morbo phrenitica facta est, cum ardentissima febre, lingua arida, vultu inflammato, ut neminem agnosceret, nec cibum, nec potum exposceret. Convulsiones colli, brachiorum & crurum maximæ & horrendæ aderant. Aliquando sese ex una in alteram partem lecti tali impetu projiciebat, ut tres viri, quantumvis robusti, vix illam tenere possent, mox tanquam semimortua jacebat, rursus tamen & repente priora symptomata revertebantur. Huic tam graviter afflictæ, *Hildanus*, optimo consilio, nihil nisi oleosa & jusculæ præcepit. Et quum aciculam tandem egessisset, pristinæ sanitati paullo post restituta est.

§. XV.

In primis ventriculus, qui consentit cum universo genere nervoso,

Utut vero consensus & mutua motuum communicatio inter omnis generis partes, quæ nervosæ sunt texturæ, ipsisque nervis dotantur, perpetua sit, idque in primis in acutis passionibus eluceat: attamen nulla pars in universo corpore est, quæ tam conspicuam ac intimam cum omnibus & singulis nervosis corporis locis & organis harmoniam ac sympathiam alat, quam ipse ventriculus, adeo, ut si ulla pars, quæ exquisitæ sensationis est, etiam longius dissita, præter naturam afficiatur ac moveatur, statim etiam stomachus inde luat & compatiatur. Inde etiam patet ratio, quare in omnibus fere morbis, actio ventriculi, quæ revera est systematica, videlicet appetentia, digestio, chylificatio, vacillet, ac attenta observatio medico-practica doceat, quod ventriculo male habente, vel gravius læso, a quacunque etiam causa id fiat, protinus universum nervosarum partium systema inde offendatur, quo procul dubio permotus fuit acutissimus ille *Helmontius*, ut animæ sensitivæ sedem in ventriculo collocaverit. Et profecto, res est maximi momenti & subtilioris indaginis, quod nonnulli, percusso fortius, pugno vel duro alio instrumento, exterius cordis scrobiculo, sub quo pylorus reconditur, cito ac insperato perierint, inventa post mortem nulla lesionis mortiferæ nota, sed macula tantum ex flavo rubra, circa extremitatem diaphragmatis & inferiorem ventriculi partem, quales casus, ambigentibus de lethalitate medicis, aliquoties ordini nostro ad decidendum oblati.

§. XVI.

Quod testatur venenorum operatio.

Nihil vero clarius & manifestius ventriculi cum omnibus corporis nervosis ac sensibilioribus partibus consprirationem demonstrat, quam actio veneni, e vegetabilium, vel mineralium censu desumti, spiculis acerrimis, causticis, tenuissimis ventriculi & intestinorum tunicas nerveas intime penetrantis, lancinantis ac arrodentis, cujus generis maxime sunt arsenicum, & quæ ex mercurio ac regulina antimonii substantia prodeunt corrosiva, cicuta aquatica, fungorum varia genera, ipsa quoque purgantia, quæ non alio modo necant, quam per fortissimas spasticas universi generis nervosi contractiones. Inde enim cardialgia, inanis vomendi conatus, singultus, præcordiorum anxietas, spirandi angustia, constrictio diaphragmatis, linguæ ac faucium ariditas, sitis inexhausta, alvi suppressio, flatuum retentio, diarrhœa torminosa, perpetuus ad urinam emittendam stimulus, extremorum refrigeratio, sudor frigidus, facies sic dicta Hippocratica, artuum tremor, pulsus intermittens & suppressus, delirium, animi deliquium, epilepsia, convulsio, inquieta corporis agitatio, quæ ordinaria sunt veneni assumpti symptomata, atque ab arrosione tunicarum ventriculi fiunt.

Et

Et tametsi in iis, qui veneno corrosivo necantur, ventriculi & intestinorum inflammatio ac sphacelatio semper post mortem conspiciatur; hæc tamen neutiquam tantorum symptomatum & tam celeris mortis causa est, sed potius horrendi illi per totum genus nervosum propagati spasmi, quorum consequens in intestinis & ventriculo consistens inflammatio est, feralem vitæ catastrophen inferunt. Nam spasmo veluti forti vinculo coarctatis ventriculi venis minimis sanguis immotus hæret, regredi nescit, inque corruptionem transit. Et quo jam facile intelligi potest, quare non præsentius & certius adversus corrosiva venena sit præsidium, quam in copioso lactis, oleosorum atque emollientium usu, quæ non modo ob id mortem avertunt, quod tenuissima veneni spicula obtundant, atque contextu suo oleoso viscoso involvant, sed & quia ad constrictas nervosas partes relaxandas vix ullum melius quam in hisce est auxilium. De quibus autem omnibus meretur certe evolvi *Wepferi*, Medicorum & Anatomicorum peritissimi, doctissimus libellus de *cicuta aquatica*, qui varia experimenta cum venenis, emeticis & purgantibus, animantibus eadem ingerendo, instituit, & quæ ea sequuta sunt symptomata, nec nō internas, quas post mortem deprehendit, læsiones, curate notavit & consignavit.

§. XVII.

Mercurialium præpostere datorum noxa.

Ipsa mercurialia, sicuti dextre præparata & prudenter adhibita, usus sunt longe præstantissimi; ita vicissim minus recte parata & præpostere exigua etiam dosi propinata, universum corpus gravissimo damno afficiunt. Memini præ aliis, Chymicum quendam Empiricum ante aliquot annos jactasse, se incomparabilem adversus podagram possidere medicinam, tam præsentaneę virtutis, ut tribus tantum granis, tertia quavis hora assumtis, omnes omnino dolores, intra 24. horas, ad miraculum usque abigeret. Permotus hac gloriatione generosissimus quidam vir, exquisitissime sentientis naturæ & jam a triginta annis dolore podagrico ex hęreditaria dispositione afflictus, Lipsię periculum fecit, ac per diem sex pulveres deglutivit, quibus usurpatis, omnis quidem dolor simul & semel conquievit, sed subsequente nocte inquietus erat, anxietate summa cum vertigine premebatur, ut caput vix erigere posset, extrema frigescebant, & mane quum e lecto surgere volebat, apoplexia tactus misere interiit. Oblati postmodum a cognato mihi sunt ad examen efficacissimi hi pulveres, ubi, institutis nonnullis experimentis, eosdem mercurialis esse prosapiæ deprehendi, tam corrosivos, ut gustatæ fauces, & linguam instar mercurii sublimati afficerent atque constringerent; quod autem dolor inde evanuerit, procul dubio ratio est, quod suscitato in exterioribus spasmo, materia acris ad interiora repulsa est.

§. XVIII.

Alia noxia in ventriculo detenta.

Porro *Forestus lib.* 18. *de stomach. aff. obs.* 14. ex lacte in stomacho concreto symptomata veneno similia annotavit, quippe ægra nausea sine vomitione afficiebatur, cum ingenti ventriculi dolore, adeo ut syncope subsequeretur & anhelitus prefocatio, adstantesque illam morituram putarent, omnia tamen pathemata, rejecto per vomitum lacte evanuerunt. Et *Galenus* memoriæ prodidit, adolescentem ab humore æruginoso, os ventriculi mordente, sæpius universali convulsione fuisse tentatum, eamque ipsum non deseruisse, donec ærugo ejecta. *Dum aliquid*, inquit, *os stomachi vellicat, mordendo ac æstuando, fiunt fastidia, jactationes, cardiogmus, atque jam vomiturientibus os sputo plenum esse videtur, & labrum inferius concutitur, ventris ore ad vomitum excitato.*

§. XIX.

Pathemata hypochondriaca & hysterica.

Eandem ventriculi cum universo nervorum systemate sympathiam confirmant porro symptomata truculenta, quæ subinde hypochondriacos exercere solent, quandoquidem radix mali sic dicti hypochondriaci omniumque in eodem solennium symptomamatum in ventriculo male affecto fixa est, in quo spasmi incipiunt, postea per propagines nervorum successive serpunt, & consueta illa symptomata ingenerant. Nam si ventriculus, quod sæpissime fit, flatibus prorsus distentus est, ejus orificiis simul spasmo constrictis, tunc nervorum conjugationes, quæ ex pari octavo, item intercostali, ad ipsum feruntur, molesta tractione, tensione in partibus diversis, quas simul transeunt, varia & gravia invehunt pathemata. Ita nervi pneumonici, & qui ad præcordia abeunt, retracti, summas & constrictivas anxietates, cordis tremores, palpitationes, pulsum frequentem, durum & contractum suscitant; sique ii tenduntur, qui ad fauces, ad œsophagum ac cervicem abeunt, faucium constrictio cum deglutitione difficili, tractio molesta in cervice, dolor constrictivus in humeris, regurgitatio ciborum & flatuum ad os; in capite vero vertigo, oculorum caligo, cataracta spuria, capitis dolor, frigoris in eo acerrimus sensus, anxia & tristis cogitatio, hemicrania, animi perpetua anxietas & desperatio maxima, ad timorem ac terrorem proclivitas, nullius rei voluptas, somnus parcus & inquietus, cum virium languore & vitiata in sensoriis perceptione, oriuntur. Et quia simul plexus mesenterici & nervi intercostales in consensum trahuntur, dolores adsunt dorsi, tormina ventris, mensium & hæmorrhoidum inordinatus fluxus, dolor artuum, urinæ tenuis & aquosæ mictio, alvi strictura, quandoque etiam nimia ejus dejectio, extremorum quoque refrigeratio. Quorum omnium & singulorum symptomatum ingens fit alleviatio, discussis ex ventriculo, & intestinis ructibus aut flatibus, spasmodicis constrictionibus per clysteres, per balnea & antispasmodica sedatis, & viscida acida ac biliosa colluvie, per benigna laxantia cum amaris balsamicis juncta, educta.

§. XX.

Necnon intermittentium paroxysmi.

Communicationem quoque ventriculi cum partibus nervosis universi corporis, paroxysmi febrium intermittentium non obscure declarant. Procul enim omni dubio harum febrium minera primis in viis delitescit, & ex universo corpore, per glandulas, ductus biliarios & pancreaticos, in hæc loca descendit, & ex mora, dum firmius tenuium intestinorum valvulis ac tunicis inhæret, corrumpitur, ac pessimam indolem contrahit, & nonnisi spasmis, qui in prima regione incipiūt, omnia illa, quæ febribus solent associari symptomata, absolvit. Nam extremorum frigus, tremor & horror partium, præcordiorum anxietas, pulsus in principio parvus & compressus, postea celerior, nausea, vomitus, faucium & linguæ ariditas, sitis, dolor dorsi & capitis, tensio abdominis, constrictio alvi, urinæ tenuis & flammeæ sine sedimento secessio, pandiculatio, oscitatio, dolor ossa quasi contundens, profecto nullam aliam nanciscuntur originem, quam quod plexus stomachicus & mesentericus, qui ex intercostali & octavo pari concrescunt, vehementi spastica tractione & constrictione laborant. Quare etiam non certior & præsentior intermittentibus medendi est methodus, quam convenienti medicina mineram febrilem temperandi, expellendi, & vehementes spasmos compescendi, postea afflictas & debilitatas partes roborandi. In eo tantum unice latitat intermittentes curandi arcanum, ut pro diversitate causarum, individuorum ac temporum, hæc remedia debito ordine, tempore ac dosi offerantur.

§. XXI.

Sigillatim vero maximus observatur con-

Consensit ventriculus cum capite.

consensus inter capitis membranas, ipsumque ventriculum. Rectissime hinc scribit *Baglivus pag.* 565. *qui laborant animi pathemate, potissimum corripi solent morbis ventriculi, ut inter cetera observavi in mœrentibus, qui conqueruntur primo de languore ventriculi, mox inappetentia, oris amaritie, siti circa horas matutinas, cruditatibus, flatibus & tensionibus hypochondriorum.* Eamque ob rem monet Medicos, ut in morbis ab animi pathematibus præ ceteris ventriculo prospiciant. Ego non semel sed sæpius a diuturno animi angore & mœstitia, in hominibus antea sanis, hilaris animi & sanguineæ complexionis, affectum hypochondriacum, qui potissimum in ventriculo consistit, subortum fuisse, vidi, anxium scilicet dolorem circa præcordia, inappetentiam, languorem, inquietudinem, mœstitiam sine caussa, alvi constrictionem, continuam eructationem & inflationem circa cordis scrobiculum.

§. XXII.

Quod testantur animi pathemata ira.

Ira quoque potissimum operationem suam exserit in ventriculum & duodeno connexos ductus nervosos biliarios, unde frequentissime ii, qui ira excanduerunt, cardialgiam, contractionem circa scrobiculum cordis, cum ardore, propensione ad vomitum, oris amaritie & alvi obstipatione experiuntur. Et tunc nihil deterius est, quam frigidum potum ingerere, quo affectuum perfecte hypochondriacum optime antea valentibus inductum, sæpe observavi. Longe autem perniciosius est, sub tali spastica stomachi ex ira constitutione, drasticum aut emeticum porrigere, quandoquidem ex facili inflammatio ipsaque mors accedit, quod pluribus in *dissertatione de medicina emetica & purgante post iram veneno* asserui ac demonstravi. Quam grave damnum ex ardentiori desiderio ventriculus experiatur, peculiaris ille Helvetis maxime familiaris affectus, nostalgia dictus, testatur, quo apud exteros degentes, tam impenso patriæ desiderio tenentur, ut, si patrios lares non repetant, appetitus prosternatur, digestio lædatur, flatus & ructus e cruditatibus gignantur, cardialgia accedat, & cum languore ipsum corpus emacietur.

Et desiderium,

§. XXIII.

Animi fatigatio per meditationes.

Immoderatiora studia & nimia per speculationes animi fatigatio incredibili modo debilitant ventriculum, ejusque vim digestivam enervant, tonumque & robur auferunt, unde acidæ cruditates gignuntur, quæ ad supprimendam alvum, ad progignendas flatulentias malumque hypochondriacum, primum fere fundamentum ponunt. Quin immo sunt inter exempla hypochondriaco malo obnoxii, qui simul ac impensiore meditatione animi nervos nimis intenderunt, illico anxietates præcordiorum, ructus e stomacho & borborygmos in ventre, persenserunt. Vertiginem ex ipso ventriculo fieri, vel ex eo cognoscitur, quod, si quis jejunus sit, maxime affligat, sumto vero cibo, minuatur, atque post ea, quæ primam regionem clementer expurgant & digestionem juvant, plane discedat. Meminit etiam *Lommius lib.* 2. *observ.* suffusionis seu incipientis cataractæ, ex stomacho proficiscentis, & asserit, talem suffusionem intermittere & remittere, si curata coctione prospectum stomacho est, invalescere & reverti, si is cruditate labefactetur. Ventriculo bene habente, totum corpus alacrius est, somnus fit placidus; si vero onustus est alimentis incongruis, præsertim circa noctem sumtis, somnus deficit, vel insomniis terrificis interturbatur. Nihil frequentius est, quam quod ventriculo vino non adeo bonæ notæ nimis obruto, ex retenta vappa, acorem corrosivum contrahente, postridie atroces capitis dolores oborientur.

§. XXIV.

Capitis dolores, vulnera aliaque phænomena.

Eundem ventriculi consensum cum capite adstruit, quod si caput gravius doleat, omnis ciborum appetentia pe-

reat, multæ cruditates flatuum genetrices crescant, alvo strictiore reddita, & stomacho ad vomitum inclinante. Graviores etiam cerebri morbi ventriculum mox in consensum rapiunt, unde observamus, in iis, qui apoplexia tanguntur, ventriculum ad subversionem stimulari. Ubi mens ægrotat, & duram matrem spasmus corripit, cibi est fastidium, tormina & anxietates præcordia exercent, & ructus cum impetu erumpunt, alvo stricta & magna in pulsibus facta mutatione. Nemini facile obscurum est, quod ii, qui graviter vulnerantur, vel læduntur in capite, vomitu & ciborum fastidio afficiantur; ac quod vicissim ventriculo laborante, ipsum caput gravius luat. Pariter scriptorum medicorum fide constat, a comesto solano, furioso dicto, atque in ventriculo adhuc hærente, maniam productam fuisse, & semen hyoscyami, & maxime daturæ, majori paullo quantitate exhibitum, promtissime ingentem torporem, stuporem, ac omnium sensuum internorum & externorum usum abolere, & phantasiam corrumpere.

§. XXV.

Dentitionis symptomata.

Et quia nervi stomachici & intestinorum, ex intercostali & octavo pari coaliti, cum pari quinto, cujus ramus ad maxillas & dentes fertur, communicationem habent; hinc fit, ut infantibus, ob gingivalis carnis ab erupturo dente lancinationem, non modo in capite convulsiones, vigiliæ & epilepsiæ, in pectore asthma, in corde febris, & inferiori ventre tormina cum alvi adstrictione, vel nimia ejus fluxione, contingant, & quod notabile est, feces virides & corrosivæ secedant, eo quod a spastica harum partium sub dolore contractione, ingesta non alvo exclusa, sed diu retenta, acescant, & corrosivam indolem accipiant. Ex quo judicare promtum est, quam imprudenter & temerarie ii faciant, qui in dentitionis difficultate, ubi spasmi genus nervosum vehementer torquent, & feces virides sunt, purgantia acria & cum mercurialibus mixta, iterum iterumque propinant, tristi eventu præposterum ejusmodi consilium satis confirmante. Atque ob eandem communionem, quam nervi stomachici & intestinales cum pari quinto fovent, accidit in gravioribus stomachi spasmis, qui fiunt a veneno vel validiori purgante aut emetico sumto, faciem fieri Hippocraticam, tempora collabi, vultum pallescere, & nasum acuminari. Neque semel, sed iterum iterumque notavimus, in pathematibus hystericis vultus deformitatem & aspectu horribiles oris, labiorum & oculorum distorsiones.

§. XXVI.

Consensus stomachi cum œsophago.

Proxima vero stomachi est societas atque connexio cum œsophago, proper tunicarum communionem; hinc fit, ut a pluma vel digito tantum faucibus intruso, principium œsophagi irritante, protinus ventriculus, præsertim humorum copia onustus, subvertatur, & vomitio fiat. Fumus quoq; tabaci ore ductus stimulat alvum, nullam, mea ex sententia, aliam ob caussam, quam quod hic fumus sale suo volatili acri tunicas oris & faucium irritet, e quibus propagato ad ventriculum motu, is contenta citatius protrudat ad intestina & anum. Et quando in ventriculo acris residet humor, vel inflammatio est, œsophagus cum faucibus molestе constringitur, ita, ut non raro copiosa aqua in os effundatur, quod unum ex pessimis indiciis est. Infantibus, quorum ventriculus saburra causticæ bilis infarctus est, convulsionis certa species molesta, & fatalis est, dum ii, spasmo gulæ affecti, continuo deglutire coguntur, & certum sonum cum quodam singultu edunt, quæ symptomata identidem ab irritatione ventriculi, œsophago, faucibus & diaphragmate in consensum raptis, oriuntur. Fovet quoque ventriculus consensum cum intestinis: unde sub atrocissimo intestini ilei vel etiam coli dolore, vomitus tam vehementes fiunt, ut non modo in intestinis contenti humores, sed & ipsa stercora haud raro sursum ferantur.

§. XXVII.

§. XXVII.

Cum ductibus biliariis.

Deinceps magna est consensio ventriculi & annexi duodeni cum ipsis biliariis ductibus, eam maxime ob caussam, partim quod ductus cholodochus per duodeni membranas feratur, partim, quod dexter nervi intercostalis & paris octavi ramus, qui ventriculum adit, ramum quoque ad hepar ejusque biliferos canales mittat. Propter hunc itaque consensum fit, ut spasmo ventriculi & duodeni, qui in febre tertiana observatur, item a vehementi vomitorio, vel purgante, aut veneno assumto, nec non ab atroci dolore colico, icterus oboriatur. Infantes tertio vel quarto a partu sæpius die ictero corripi, ex retentione mœconii in testinis, auctor est *Baglivus oper. pag.* 38. Iracundiæ vehementiori icterum supervenire non novum est; siquidem ab hoc affectu patitur maxime fibrosior & robustior pars ventriculi, quæ pyloro adjacet, dum constringitur: unde ordinario in dextro circa scrobiculum cordis latere, ab ira, dolor compressorius, cum ascensu bilis ad os, observatur. Quod si vero vel calculo, vel bilioso alio concreto tartareo humore, in vesicula fellea, aut ductibus biliariis contento, horum tunicæ nerveo-musculosæ, violenter tenduntur, in consensum quoque abripitur ventriculus, & hinc immanis cardialgia, nausea, vomitus, cibique fastidium cooritur. Memorabilis & lectu dignissima est observatio, quam *Misc. nat. curios. A. VI. Dec.* 1. *obser.* 20. referunt: ubi mulier immanem dolorem & lancinatorium ventris per triginta fere annos passa est, cujus originem & caussam sagacissimi etiam Medicorum vix hariolari poterant, post mortem autem inventus est ingentis magnitudinis calculus, qui totam fere vesiculæ felleæ cavitatem implevit. Eandem quoque in rem *obs.* 61. *Sculteti in armamentario*, conferri meretur.

§. XXVIII.

Porro exquisitam ventriculus cum diaphragmate & pulmonibus fovet communicationem. Quid enim familiarius est, quam in infantibus stomacho refrigerato, vel materia acri ejus tunicis inhærente, singultum concitari, qui thoracis est convulsio? Quid solennius est? quam a cruditate ventriculum obsidente, vel sero acri intra ejus membranas detento, tussim nasci convulsivam, in infantibus non raro suffocatoriam, quæ pectoralibus & dulcibus assumtis plus exacerbatur, acrimoniam vero corrigentibus, emollientibus atque discutientibus, neque minus lenioribus laxativis, expugnatur. Quid porro crebrius occurrit in praxi, quam quod a violenta tussi, vitio hærente in bronchiis, vomitus concitetur? Nihil quoque frequentius est, quam quod ab inflatione ventriculi summa fiat spirandi angustia cum suffocationis periculo, quod symptoma in infantibus, quorum ventriculus lacte corrupto farctus est, sæpius visitur, ubi leni emetico, vel quæ leniter alvum ducit medicina, omne punctum curationis absolvitur. Quin in convulsiva tussi ex stomacho tantam pectoris vidi concussionem, ut sternutatio impetuosa & reiterata, cum ingenti sanguinis vel lymphæ profusione e naribus, facta fuerit.

Cum diaphragmate & pulmonibus.

§. XXIX.

Cum renibus.

Præterea magnæ considerationis ea est sympathia, quam renes cum ventriculo & intestinis, propter communionem nervorum, alunt. Nimirum nihil familiarius est, quam quod dolores ex calculo perpetuo fere nausea & vomitus comitetur, & calculosos tormenta intestinorum torqueant. Nam quando ren calculo laborat, abdomen semper multis flatibus turget, qui majores faciunt molestias, quo gravior dolor est, immo ipsæ flatulentiæ sæpissime dolorem renum provocant, & calculum in uretheres urgent. Providendum itaque est calculo obnoxiis, ne abdomen frigori exponant, alias facile dolor renum irritatur. Si quis dolore ex calculo premi-

tur,

tur, digestio turbatur, stagnant ingesta in ventriculo, acescunt, & bilis viridis evomitur. Et faciunt tunc egregium officium clysteres carminativi & emollientes oleosi, nec non omnia ea, quæ citra calorem flatus dispellunt, & dolorem lumborum mitigante facultate pollent. In spasmis flatulentis ventriculi, qui affectione hypochondriaca vel hysterica detentos torquent, molesta crispatura identidem ad renes pertingit, ita prorsus, ut eorum tubulis constrictis, urina alba mingatur, quæ certum fere paroxysmi hysterici vel hypochondriaci imminentis indicium præbet.

§. XXX.

Cum pedibus. Neque exiguus ventriculi consensus est cum pedibus, qui innumeris tendinibus & nervis atque membranis constant. Quum enim nervus intercostalis ad crura etiam pertingat, & nervum cruralem anticum & posticum constituat, mutua hinc inter caput, ventriculum, & pedes consensio nascitur. Ex quo jam facile patet, quare digitorum in pedibus immanem dolorem, quod aliquoties vidimus, spasmus cynicus subsequatur, & quare ex pedis pollice epilepsia non raro originem capiat, dum spasmus ibi incipiens, successive ascendit, & primo ad abdomen, postea ad cor & diaphragma, tandem ad caput delatus, abdominis tensiones, præcordiorum constrictiones, pectoris oppressiones, aphoniam, denique convulsiones & epilepsias producit. Ægroti exprimunt, sensum quasi venti a pollice ad caput sursum ascendere ac elevari, quæ tamen in sensu est fallacia; siquidem nullus datur flatibus locus ita per solidam substantiam ascendendi, sed spasmi sunt, qui oscillatorio quodam motu successive per nervorum propagines ad superiora serpunt. Notum quoque est, ex insessu nudis pedum plantis in pavimentum frigidum, nec non improvida pedum refrigeratione, cutim per omnem corporis ambitum stringi, & tormina ventris, nonnunquam cum alvi fluxu, arcessi.

§. XXXI.

Cum ipsa cute. Tandem nec silentio prætermittere oportet sympathiam, quæ est inter ventriculum & ipsam cutem. Videmus exanthemata, quæ in cute efflorverant, cujuscunque etiam fuerint generis, repulsa, non sine ingenti periculo ad ventriculi & intestinorum tunicas migrare, ubi ferales spasmos, tormina, anxietates, constrictiones alvi & inflammationes efficiunt. Quare etiam omnia, quæ spasmum in ventriculo concitant, ut sunt purgantia & animi pathemata, in exanthematicis morbis admodum pernicioſa esse observantur; quandoquidem constricta ex consensu simul ipsa cute acris illa exitialis materia ad interiora, ipsasque nerveas ventriculi & intestinorum membranas, revocatur. Et sæpius quoque observavimus, ab induſiorum, præsertim si frigida & humida fuerint, mutatione, in sanis etiam, ventris inflationes & inquietas noctes redditas fuisse. Quo patet, quam gravem noxam ejusmodi improvidus ausus in morbis, quorum materia per summam cutim expelli debet, caussetur. Quandocunque dolor ventriculum vel intestina torquet, pori cutis clauduntur, & nihil sudoris effluit, extrema refrigerantur, meatibus vero cutis rursus adapertis, certum indicium est doloris aut alvi fluxus finem adesse. Si variolarum materia subtilis caustica intestinorum membranis insidet, ægri sunt inquieti, jactabundi, loco stare nesciunt, & ne minima pustula prodit in cute, neque sudoris guttula profilit, alvo contracta & convulsiva, adeo ut universum cutis systema contrahatur, quod probe notavit *Baglivus*.

§. XXXII.

Consensum intestinorum testantur pathemata a vermib. Neque tantum ventriculo, verum etiam intestinis, quæ ejusdem cum illo naturæ & structuræ sunt, ex tunicis nempe pariter musculosis & nerveis contexta, cum universi corporis tunicis membranaceis societas est atque

que consensus, ob plexus maxime mesentericum, intercostalem & paris vagi, quem præter alia truculenta universi generis nervosi pathemata, quæ a vermibus, teneras tenuium tunicas arrodentibus, suscitantur, testatum reddunt. Neminem enim, qui leviter in artis exercitio versatus est, fugit, inde pullulare in capite epilepsiam, deliria, vertiginem, sternutationes, guttam serenam temporariam, aphoniam, surditatem & tinnitum aurium transitorium; in spinali medulla, aspectu horribiles motus convulsivos & artuum agitationes; in corde & systemate vasorum, febres, cordis tremores ac palpitationes; in pectore, tusses, dolores, qui pleuritidem mentiuntur; in ventriculo, inappetentiam, inclinationem ad vomitum, ptyalismum & lymphæ ex ore fluxum; in intestinorum volumine, atrocia tormina; in urinariis viis, ad urinam stimulum; in extremis, horripilationes & refrigerationes, manuum pedumque contracturas: quæ cuncta symptomata, primo aspectu admodum funesta, exturbata a specifico anthelmintico, pilulis nempe ex asa fœtida, mirrha, croco & mercurio dulci paratis, verminosa progenie, protinus sedantur & conquiescunt.

§. XXXIII.

Colica sic dicta convulsiva & ileus.

Colica sic dicta convulsiva & passio iliaca, quibus intestina ileon, vel colon, vehementi spasmo constringuntur, quot non atrocia, & nonnunquam lethifera symptomata inducunt? febres, deliria, convulsiones, inquietudinem, summas anxietates, animi deliquia, artuum contractiones, extremorum frigora, cum sudore frigido & pulsu duro & contracto, vomitus, alvi tam insolentem constipationem, ut nec clysterem admittat, vel flatum transmittat. Ejusdem indolis sunt acerbissima pathemata in colica spasmodica metallurgis solenni obvia, quæ sigillatim evolvi & ad rationes revocavi, in dissertatione *de metallurgia morbifera*. In cholera quoque, quando bilis caustica nervosos intestinorum parietes rodit atque gravius irritat, omne nervorum genus compatitur, ac eædem plane, quam si venenum assumtum fuisset, prodeunt passiones, mortem celeriter arcessentes, quæ non aliis, quam quibus venenorum noxæ, demulcentibus nempe oleosis, lacticiniis, tereis & antispasmodicis, discutiuntur; id quod etiam pari modo de dysenteria, ab eadem causa prognata notum est. *Cholera & dysenteria.*

§. XXXIV.

Purgantium effectus.

Accedunt phænomena post purgans assumtum conspicua. Quamvis enim omnis generis catharctica operationem suam nonnisi in intestinis exsequantur, iisdem tamen oblatis, dissitæ etiam partes annuunt. Elaterium quando hydropicis exhibetur, virtutem suam tam late diffundit, ut strictis in extremis quoque partibus fibrillis, stagnans humor ex universo corporis ambitu ad intestina agatur, ac per anum effuse exturbetur, subsidente postea notabiliter in exterioribus tumore. Similiter in tussi humida, qua magna humorum colluvies screatu e pulmonibus ejicitur, nullum certius atque efficacius præsidium est, lenioribus & balsamicis laxantibus, quibus superfluum serum e pectore ad intestinales glandulas allicitur, & per alvum educitur. Inprimis autem imprudens purgantium usus, intestinorum cum reliquis nervosis partibus, ac præsertim spinali medulla, conspirationem prodit. Præterquam enim quod *Solenander* in consiliis & *A. N. C. Dec. 2. A. 7. obser.* 162. fidem faciant, quod grave damnum inde in universum corpus redundarit, ipse quoque aliquoties notavi, propinata in pulvere vel pilulis resina jalappæ, non solum enormes cum acerbis torminibus successisse dejectiones, sed etiam in quibusdam convulsiones, epilepticas commotiones, quin in aliis paralysin dextri & sinistri lateris

ris accidisse, hanc procul dubio ob rationem, quod resina jalappæ, quæ facile in liquido aqueo conglobatur & difficillime liquescit, firmiter parti cuidam nerveæ intestinorum tunicæ adhæsit, eandemque jugiter lancinando, convulsivas ejusmodi in distitis etiam locis spasticas tractiones suscitavit.

§. XXXV.

Viscera sanguinea non cum nervis consentiunt.

Viget itaque consensus inter partes nervoso-membranaceas mutuus, qui an etiam his, cum visceribus sic dictis sanguineis, quorum structura & compages ferme tota vasculosa, ut sunt hepar & lien, nec non uterus, intercedat? jam paucis dispiciendum. Plurimi quidem ex Practicis, quos inter maxime eminet *Willisius*, consensionem uteri cum nervoso totius corporis systemate constanter asserunt, imprimis quum experientia fere quotidiana doceat, quod affectio hysterica, quæ ex vitio uteri & sanguinis irregulari motu in fœminis æque ac in puerperis cooritur, pathematibus spasticis, convulsivis, epilepticis, quæ præternaturales generis nervosi læsi affectus sunt, absolvatur. At vero ipse uterus minime partibus nervosis & exquisitæ sensationis annumerari potest, utut motu tonico suo & interno non destituatur. Nam si talis esset, neutiquam summas illas sæpius a gemellis distensiones in gravidis, item a tumoribus & excrescentiis intra ejus cavitatem ipsamque substantiam prognatis, sine summa molestia & vitæ periculo, ferre posset.

Ut uterus.

§. XXXVI.

Mali hysterici caussa quidem in utero est.

Quare recte distinguendum potius esse censeo, inter sedem morbi, sive spasmorum, quæ nullo modo est in utero, ac inter sedem caussæ morbi, sive pathematum spasmodicorum in genere nervoso existentium, quorum caussam ipse uterus male affectus subministrat. Neque quidem inficiandum est, quod si ob dejectum uteri & ejus vasorum tonum ac robur, sive a puerperio, sive ab aliis caussis externis & internis, sanguinis superflui menstrua periodo non sufficiens fit diminutio, sed fluxus supprimitur & cohibetur, graviſſima inde sæpius in universo corpore, inque primis ejus partibus nervoso-membranaceis, oboriantur symptomata; horum tamen ratio non a nervis, quos sensibiles hæ partes cum utero communes habent, sed potius a sanguine, ad interiora ac sentientes nobiles partes restagnante, petenda est ac derivanda. Et hanc etiam *Hippocratis* fuisse sententiam, auctor nuclei Hippocratis *Cent. III. aph.* 44. clarius exponit: *refluens*, inquit, *sanguis ab utero & premens septum transversum, retracto utero, præfocationem, in caput irruens, insaniam, epilepsiam, catochos, apoplexias; occupans thoracem, tussiculares affectus; irruens in cor, palpitationes & tremores, nonnunquam syncopes, in nervis denique faciei stuporem, immobilitatem & resolutionem.*

§. XXXVII.

Sedes vero in ventriculo & intestinis.

Ego proinde re paullo curatius expensa, præcipuam pathematum hysthericorum sedem in ventriculo & canali intestinorum collocandam esse arbitror. Nam anxiæ illæ constrictiones & angustiæ circa præcordia, dolores cardialgici, qui ad dorsum, ubi sinistrum ventriculi orificium, porriguntur, palpabilis stomachi circa scrobiculum cordis inflatio, continuæ eructationes, nausea & ad vomendum proclivitas, alvus firmiter obserata, cum flatuum retentione, & regurgitatione ad superiora, borborygmi, tormina, convolutiones intestinorum instar globi, molesti dolores in hypochondrio sinistro, dolor circa vertebras lumbares, crebet ad urinam stimulus, extremorum frigus, inquietudo, pulsus celerior, contractus, vel plane intermittens, animi defectio, cordis palpitatio, quæ perpetua fere passionis hystericæ sunt symptomata, nihil certe aliud subindicant, quam nobilissimam & ex præcipuis sensibilem maxime partem, ven-

ventriculum nempe, esse affectam, Quare etiam omnia ea, quæ spasticas strictúras efficaciter leniunt & laxant remedia, ut sunt fotus calidus præcordiis applicatus, interne liquor noster sic dictus anodynus mineralis, ceu summum & tutissimum antispasmodicum, vel solus, vel cum essentia carminativa, aut castorei, re mixtus, & clyster oleosus emolliens, præsentissimæ & fere miraculosæ sunt efficaciæ. Horum quippe atrocium ventriculi spasmorum proxima causa, non sunt acres, biliosi, vel viscidi, crudi succi in stomacho contenti, sed solus sanguis copiose irruens in vasa ventriculi, quæ quum tunicis ejus nervosis intertexta sint, nimia distensione has fortiter premunt, & hac ratione jam memoratas passiones gignunt. Hinc etiam ratio patescit, quare fœminæ, quibus menses post quinquagesimum annum deficiunt, si non sanguinem, vel per scarificationem, vel per incisionem venarum, emittunt, aut etiam consuetas has artificiales evacuationes omittunt, hystericis ejusmodi spasticis affectionibus, præ omnibus aliis excruciantur: & quare vicissim institutæ opportune ejusmodi sanguinis subtractiones, paroxysmos hystericos certis periodis redeuntes, vel minuant, vel penitus tollant.

§. XXXVIII.

Nullus quoque hepatis & lienis consensus.

Idem de hepatis & lienis viscere sentiendum. Nam licet nonnulli inter hæc & nervosas partes consensionem adstruant, & potissimum ad pathemata in malo hypochondriaco, sub quo labes & vitium plerumque in sanguineis hisce visceribus consistit, conspicua provocent; ambo tamen, hepar & lien, præsertim humanus, partes, ut luculenter injectionibus suis cl. *Ruyschius* demonstravit, sunt fere totæ vasculosæ, ex innumeris quippe vasis majoribus, minoribus & minimis contextæ, sensus plane expertes, ut hinc sæpe sine acuti doloris perceptione intumescere ac etiam in magnam molem augeri possint. Interim tamen, si ipsarum compages, & maxime quidem vasa, quæ sanguinem ad hepar, ut est vena portæ, adducunt, convenienti tono ac robore & vi sufficienter motrice impellente destituuntur, promtam spasmorum in nervosis locis causam submini strant. Nam quando sanguis a ventriculo, toto volumine intestinorum, mesenterio, liene, omento & pancreate refluus, per truncum venæ portæ, qui manifesta systole sive pulsu caret, per minimos copiosissimos hujus venæ in hepatis parenchymate propagines, non satis expedite trajicitur, necesse est, ut regurgitans ad viscera unde advectus, in iisdem non modo stagnet & canales faciat atque distendat, sed & ulterius, ut appulsus per arteriam cœliacam & mesentericam a tergo ad has partes sanguis, præcluso in venas repletas transitu, ad vasa minima & lateralia cogatur, & sic undiquaque obhæresens in vasis nervosæ maxime ventriculi & intestinorum tunicæ instratis cruor, molesta pressione strictúras & trunculentos spasmos cieat. Et hac utique ratione omnia illa pathemata, quæ hypochondriacos per certos insultus vexant, affectiones & læsiones generis nervosi sunt, ac ut probe primus *Willisius & Hobockenius* notarunt, exquisitam convenientiam eandem quoque sedem cum hystericis pathematibus obtinent. Minus recte secundum Veteres, ac ut nonnullorum recentiorum adhuc opinio fert, dolores & passiones in latere sinistro, lieni adscribuntur, quum potius stomacho, cujus tres partes in hoc latere conduntur, nec non subjectis coli flexuris, ut inter alios primus cum *Conringio* docuit *Ettumullerus*, debentur. Ipse quoque ante aliquot annos peculiari dissertatione monstravi atque defendi, quod præcipua sedes spasmorum hypochondriacorum in ventriculo sit constituenda.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Hinc cruditates non sunt causa mali hypochondriaci.

Neque etiam ut plurimorum recentiorum est sententia, cruditates vitiosæ primis in viis stabulantes acidæ & viscidæ bilioſæ, primam, originalem & veram causſam pathematum hypochondriacorum ſuppeditant, ſed ſequuntur demum ſpaſmos, & eorum productum ſunt, licet ad eorum recurſum & exacerbationem multum conferant, & ipſe potius ſanguis copioſe circa hæc viſcera ſtagnans, ſive harum partium plethora particularis, accuſanda. Teſtatur hoc inter alia cura affectus hypochondriaci, in qua quidem ea, quæ ſpaſmis placandis, ſtricturis partium fibroſarum relaxandis dicata, inſigne levamen afferunt; niſi tamen redundanti ſanguini exitus paretur, ac is vel per ſanguinis miſſionem in partibus inferioribus, vel fluxum hæmorrhoidum, ſi natura ad eum inclinat valde ſalutarem, exſolvatur, aut ejuſdem progreſſus aquarum mineralium, balneorum & medicamentorum roborantium tonicorum uſu, vel etiam per motum & exercitium corporis, liberior reddatur, ac per vaſa venoſa meſeraica ipſumque hepatis & lienis viſcus reſtituatur, certum & conſtans vix, aut plane non, ſperare licet auxilium.

§. XL.

Consensus restatur medicamentorum operatio.

Is autem a nobis aſſertus nervoſarum partium conſenſus, quemadmodum tam eximius eſt, atque conſpicuus, ut venenum, vel etiam alia inteſta materia, nervoſo, ubicunque ſit loco, inſidens, vel in ventriculo contenta, illico vires ſuas perniciales cum univerſo nervorum ſyſtemate communicet: ita ſimili ratione pharmacum efficacis ac penetrantis indolis, acciſa etiam doſi exhibitum, immo adhuc in ſtomacho verſans, mediante eadem nervorum conſpiratione, protinus vim ſuam in univerſum corpus diffundere poteſt. Liceat

Liquoris anodyni.

in confirmationem producere liquorem a nobis inventum & ex ſulphure mineralium concinnatum, jure dictum anodynum mineralem, gratiſſimæ & penetrantiſſimæ indolis, qui certe, ſi ullum aliud medicamentum, promte, ſine noxa tamen, dolores & ſpaſmos in univerſo corpore levat atque ſedat, & in pathematibus hypochondriacis, hyſtericis, gravi cardialgia, enormi vomitione, commotionibus etiam epilepticis & convulſivis, ſingultu, diarrhœa, ad guttas tantum modo 30. vel 40. ſemel aut bis, oblatus, præſentaneum & mirabile plane præſtat auxilium. Maſſam pilularum ita dictarum de ſtyrace ad aliquot tantum grana deglutitam, in tuſſi ferina, quæ univerſum corpus affligebat & concutiebat, omnibus aliis fruſtra exhibitis, ſingularem plane effectum ſedativum exeruiſſe, ſæpius obſervavi, ſubſequuto ſimul blando cutis, quæ ante frigida, horrida & exſucca erat, madore.

§. XLI.

Aliorum ſedativorum & antiſpaſmodicorum.

Pauxillum laudani liquidi ſi vel ſolum, vel cum liquore volatili Buſſii, aut cornu cervi ſuccinato remixtum, in enormi, etiam cruenta, alvi dejectione, porrigitur, protinus, quando adhuc in ventriculo hæret, atroces cruciatus in abdomine, borborygmi & motus conquieſcere incipiunt, ſomno blando obrepente. Idem medicamentum ſi in pathematibus hyſtericis, quæ univerſum corpus exagitant ſpaſticis, datur, mox mirabile ſequitur levamen. Pariter in enormibus ſanguinis profuſionibus, hæmoptyſi nempe, narium hæmorrhagia, ab aſſumtis aliquot granis maſſæ pilularum de cynogloſſa, vel aliquot guttulis liquoris martialis, ſæpe extemporaneam vidi fluxus adſtrictionem. Oleum amygdalinum bene præparatum, & cum juſculo ad aliquot cochlearia ingeſtum, præbet medicinam in omnibus doloribus & ſpaſmis, etiam diſſitas partes quatientibus, efficaciſſimam; eaque propter in tuſſi convulſiva clamoſa, aſthmate ſpaſmodico, dolore ex calculo, ſtranguria, colica, non ſine inſigni fructu

uſur-

usurpatur. Nitrum saltim vulgare, probe depuratum, ad aliquot grana datum, protinus fervorem præternaturalem extinguit, vel ad sensum refrigerat, sitim sedat, commotiones sanguinis hæmorrhagicas sistit, cutim ad madorem disponit, & alvum lubricam reddit.

§. XLII.

Corticis Peruviani. Corticem Peruvianum, pulverem florum chamomillæ, crocum martis subtilissimum, quem fontes Lauchstadienses eructant, ad sistendos febriles in intermittentibus motus summa pollere efficacia, res est nec leviter in praxi versatis ignota. Longe etiam *Pilularū balsamicarum.* præstantissimus certe est effectus, quem pilulæ balsamicæ, leniter aloeticæ, in omnibus fere uteri affectibus, atque etiam in hypochondriaca passione, exsequuntur, dum ad fœtum, secundinas, molas, immo lochia expellenda in puerperio, præ omnibus aliis purgantibus & uterinis eximie conferunt, non aliam ob caussam, quam quod peculiari ratione, non modo intestina, sed & confines partes atque vasa uterina solentur & afficiant. Has tamen cum plerisque reliquis non facile primarum viarum limites operatione sua transcendere, veri videtur simillimum. Ad vires a *Cephalicorum.* senio vel morbo collapsas restaurandas, nec non animo deficientes refocillandas, balsamum nostrum liquidum spirituosum, exterius & interius usurpatum, singularem præstat opem; contra vero suaveolentia ex moscho, ambra, zibetho, si naribus tantummodo offeruntur, hystericis vel hypochondriacis, totum genus nervosum in consensum trahendo, sævissima symptomata, ut syncopen, cordis palpitationes, anxietates summas, nauseam, vomitum, immo convul- *Et clysterum.* siones quandoque, arcessunt. Clysteres oleosi demulcentes in colica convulsiva & paroxysmis hystericis & hypochondriacis levamen afferunt exoptatissimum, eo quod non tantum in intestina, verum etiam in alias nervosas partes suam maxime distribuunt facultatem.

§. XLIII.

Item specificorū. Neque dissimilis mihi specificorum sic dictorum videtur ratio, ut castorei & asæ fœtidæ in pathematibus hystericis placandis, pulveris secundinæ humanæ, cranii & corii humani, in epilepticis insultibus sedandis; hæc enim dum ventriculi & intestinorum tunicas nerveas ἀνθυμιῶσι sua mulcent ac imbuunt, ex his ad dissitas etiam atque remotas partes virtus propagatur. Fuit nobis a multis abhinc annis in usu singularis quidam mercurius diaphoreticus fixioris naturæ, qui ad pauca grana adhibitus, in lue venerea & morbis a summa lymphæ impuritate nascentibus, sudorem per multas hebdomades eliciendo, mirabilem præstitit opem. Sic quoque sulphur antimonii, si rite præparatum fuerit, quo etiam referenda panacea sic dicta Glauberiana, nec non regulus antimonii medicinalis, duorum vel trium granorum pondere oblata, acres & salsas diu durantes in oculis, faucibus quoque ac pedibus defluxiones reficcant, simulque perspirationem ac respirationem liberiorem reddunt.

§. XLIV.

Externorum quorundam. Et hæ tam singularis & late patens internorum quorundam medicamenum virtus, in externis quoque, ob eandem partium sympathiam deprehenditur, ut miro plane modo in extremis sæpius interiora leventur. Exemplo sit vesicatorium, vel emplastrum Strobelbergeri, quod carpis applicatum, paroxysmos intermittentium, experientia teste, compescit. Pariter vesicatorium nuchæ appositum lippitudinem discutit, & in apoplexia tactis sufflaminatum sensum sanguinisque motum reducit. Oleum terebinthinæ umbilico tantum illitum, in urinæ suppressione efficacissimum est remedium. Unguentum, de arthanita dictum, umbilico inunctum, alvum non solum efficaciter movet,

sed

sed etiam vermes in intestinis necat. Emplastrum anodynum temporibus appositum, non modo capitis dolores placat, sed & vomitiones sæpe enormes sistit. Linimentum spirituosum ex oleis aromaticis paratum, & præcordiis admotum, tam ventriculo, quam toti corpori vigorem præstat. Frictio quoque artuum & maxime præcordiorum asperior, suspensum in syncopticis cordis pulsum revocat.

§. XLV.

Inprimis pedibus applicatorum.

Egregia porro huc trahenda est observatio: quod in morbis capitis, quæ ex atonia & imbecillitate nascuntur, ut memoriæ ac sensuum debilitate, paralysi, quæ sæpe post apoplexiam relinquitur, item somnolentia, vesicatoria & rubefacientia pedibus applicata, efficacissimo sint præsidio. In iisdem morbis capitis ex resolutione ac remissione nervorum subortis, capiti admota spirituosa cephalica aromatica, omnes non æque ferre quidem possunt, ut potius sæpe magis inde lædantur: si vero pedes iisdem perfricantur, ut aqua Anhaltina cum oleo majoranæ & lavendulæ, caput inde allevamentum percipit præsentaneum; & vidi aliquando, hac ratione in affectu soporoso, largiorem pituitæ ex naribus & faucibus effluxum suscitatum, summo subsequente levamine. Rubefacientia quoque plantis pedum applicata, sanguinis e naribus stillicidium comprimunt. Qui difficulter sudant, appositio plantis latere calefacto, sudore perfunduntur, si vero manus & pedes sub sudore nudantur, perspiratio illico sistitur. Et pediluvia temperate calida, quid in capitis morbis & omnibus passionibus spasmodicis efficiant, tam notum est quam quod notissimum.

§. XLVI.

Conclusio.

Sed ne latius evagemur, mittimus alia, ac interim ex allatis insignem consensionem & magnam conspirationem partium in corpore sensibiliorum liquido patere arbitramur. Quo magis mirandum censemus, esse adhuc inter medicos, qui hunc nervorum consensum plane negare, immo pro fabula venditare, haud verentur. Sed videant, rogo, novaturientes hi doctores, qui sapientiam medicam in obscuris, metaphysicis, noviter quoque confictis terminis quærunt; & universam fere pathologiam e molimine naturæ ad hæmorrhagicas excretiones consarcinant, quo pacto cum connexione ac demonstratione, ex spirituali sua natura, hæc vera & per experientiam confirmata phænomena, deducere atque explicare possint. Ego certe, si ullam in rebus medicis doctrinam scitu perquam necessariam & utilem, hanc ipsam de consensu, fructuosam judico, & his egregio *Hippocratis lib. de alimen.* §. 4. effato finem impono: *confluxio una, conspiratio una, & consentientia omnia.*

CAPUT VI.

De fluidorum vitiis ex vitiosa solidorum dispositione.

§. I.

Fluidas solidis vitium patiuntur.

PErlustravimus in superiori capite mutuam illam conspirationem & harmonicum consensum, quem partes corporis nervosæ exquisitioris sensationis & motus inter se fovent; ac pluribus argumentis asseruimus, quam utilis & scitu necessaria in rebus medicis explicandis hæc sit doctrina: nunc porro sequitur, ut solidorum, si vitio laborant, in fluida corporis nostri actionem, & ad pervertendam naturalem eorum constitutionem monstremus ac eruamus operationem: quod certe argumentum, non minus eximiæ in pathologicis erit utilitatis. Jam nemo quidem facile negabit, machinam animalem ex solidis & fluidis esse constructam, & corporis vitam maxime in eo consistere, ut solida agant in fluida ipsaque moveant, & fluida rursus in solida eademque animent: ideoque hisce suppositis, nostra in-

inpræsentiarum meditatio in statu tantum præternaturali & morbido erit defixa, clarius ostendendo, quid patiantur fluida a solidis læsis & præter naturam constitutis.

§. II.

Et quidem sub febrili motu.

Initium autem merito facimus a celeriter aucta reciproca systole & diastole cordis & arteriarum, ac universi generis vasculosi ac fibrosi, quæ pulsu duro & celeri, velociori quoque sanguinis tam progressivo quam intestino motu, stipatur, in quo formalis febris ratio continetur. Sub auctiori hoc & adeo accelerato motu, in omni febre, cujuscunque sit generis vel speciei, sanguinis & humorum crasin, temperiem ac mixtionem incredibili fere modo immutari ac perverti experientia docet. Sanguis, qui antea erat

Succi corrumpuntur.

temperatus & sensu medico dulcis, bonæ consistentiæ, diuturniori intenso solidorum motu quassatus, a blanda sua temperie plane desciscit, salsus, sulphureus ac biliosus redditur, ut demum in excrementa pæne fatiscat. Hinc sudor febricitantium salso-acidus ac fœtidus, urina materia viscida, tartarea, sulphurea admodum saturata & tincta, & feces alvinæ, valde pituitosæ, biliosæ, coloratæ & fœtidæ

Et virtū materia dissipatur.

secedunt. Deinde validiori illa intestina sanguinis motione, partes subtiliores spirituosæ, quæ vires & motum materialiter constituunt, aufugiunt, materia sanguinis γλιχυρὰ, dulcis, rosida, qua nutriuntur solida, & quæ placidum somnum conciliat, consumitur, idque eo magis, quo vehementior ac diuturnior est febris. Quin crebriori observatu constat, commotionibus febrilibus demum vappidam sanguinis & humorum fieri massam, ut corpus aliis chronicis passionibus, cachexiæ, tumoribus œdematosis, exulcerationibus, abscessibus, viscerum scirrhis & infarctui facillime pateat, & profecto res non mediocris prudentiæ sit, febre intermittente vel acuta diu afflictum corpus sanitati & viribus brevi reddere, & commoda medicina atque diæta ab aliis morbis defendere.

§. III.

Inprimis in corpus jam ante impurū.

Sed hæc omnia longe deteriora fiunt, & cum majori periculo eveniunt, si febris apprehendit corpus, cujus vasa sanguine & humoribus impuris, sive particulis salsis, sulphureis, excrementitiis, sive diathesi scorbutica, jam antea imbutis, farta sunt, quippe tum major adhuc partium, quæ mixturam sanguinis constituunt, dissolutio corruptiva metuenda est, quam exanthemata varii generis, purpura miliaris, maculæ purpuratæ & pustulæ acri humore turgidæ arguunt, non sine summo virium & vitæ discrimine. Vidi sæpius in scorbuticis suborto levi tantum febrili a catarrhis motu, præsertim vere vel autumno, materiam arthriticam vel purpuraceam in sanguine delitescentem, commotione ista excitatam & ad exteriora pulsam fuisse, sub atrocium dolorum & gravium symptomatum choragio.

§. IV.

Animi affectūs effectus in fluidis.

Affectus animi, quorum operatio in solidas & nervosas partes impetuosa ac vehemens est, crasin ac temperiem humorum mirifice immutant. A diuturna tristitia, & animi angore, succi corporis spissescunt, & cruditates viscidæ acetosæ ventriculo ingignuntur; quin si diutius durat, a sanguinis spissitudine fiunt viscerum infarctus & chronicæ multæ passiones. Ira, quæ vasa potissimum biliaria stringit, eaq; accelerata systole a bile nimis vacuat, simul quoque ventriculum & duodenum stricturis exagitat, efficit, ut humores biliosi in his coacerventur, corrumpantur, & ad vomitus, febres biliosas cholericas, & cardialgias, viam sternant. Quumque animi pathemata maxime operentur in ventriculum, ejus motum invertant, digestionem & chylificationem lædant, multasque hinc cruditates, fœcundas morborum matrices, ingignant, nihil etiam perniciosius est, quam post omnes animi patheticas commotiones esculenta aut

potulenta capere, vel etiam inter cibum & potum, vel post eum, animo gravius affici.

§. V.

Dolorum operatio ex solidis in fluida.

Vehemens membranarum capitis in atroci dolore spasmus detinet etiam cibos in stomacho, concoctionem turbat, inappetentiam conciliat, & cruditates excludit, quod etiam valet in dolore dentium. In dentitione infantum difficiliori nihil occurrit frequentius, quam quod in paroxysmo feces antea naturales & bene coloratæ, virides & corrosivæ, cum acerbis torminibus & flatuum impetu, non sine convulsionum metu, secedant, dubio procul, quod a spasmis per dolorem in gingivarum excitatis, ipse stringatur ventriculus cum tenui intestino, & lac diutius contentum ingentem corrosivum acorem contrahat, & a bile admixta viridis emergat color.

§. VI.

Alii spasmorum & dolorum in fluidis effectus.

In omnibus porro doloribus & spasmis, cutis poros & spiracula claudi, subinde observamus. Non mirum itaque est, ab excrementis subtilioribus salino-sulphureis, quæ in naturali statu exhalant, intus retentis, valde impuram sanguinis & lymphæ massam reddi, & inde vel morbum augeri, vel ad novos paroxysmos pabulum suppeditari. Alvus quoque, ubi dolores & spasmi urgent, ut videmus in hypochondriacis & hystericis, semper fere clauditur. Quare a retentis sordibus & fecibus istis putridis salino-biliosis, & ad sanguinis massam vergentibus, hanc inde valde inquinari & conspurcari extra dubium est. Præterea in omnibus spasmodicis morbis urinam aquosam & tenuem reddi, ob strictura tubulorum urinariorum, perpetuę fere observationis est; neque dubium, quin vasa in hepate biliaria, quæ ex tunicis valde nervosis & musculosis contexta, hisce in morbis eandem experiantur crispaturam, ut hac ratione plures crassiores excrementitiæ, biliosæ & salsæ tartareæ urinosæ sordes in sanguine remaneant, eumque non leviter deturpent. Et hæc subest causa, quare in malo tam hypochondriaco, quam hysterico, ingens simul cacochymia, sive impuritas humorum scorbutica, succesive ingeneretur, quam ipse sanguis e vena missus, coloris ob alcalium excrementitiorum salium mixturam intense rubicundi, luculenter arguit. Ex hoc autem succorum vitio, plures postea passiones, cachexia, ictericia, dolores, rheumatismi, inflammationes atque exulcerationes fœcundo germine pullulant. Sed omnium pessimum est illud vitium, quando sub vehementi spastica strictura, ut fit a veneno, inflammationibus & doloribus, sanguis firmiter incarceratus in sphacelosam putridam corruptionem abit.

§. VII.

Ex spasmo diaphragmatis hydrops.

Nihil frequentius in artis exercitio obvium, quam quod ab asthmate spasmodico, quod validiori diaphragmatis spasmo potissimum absolvitur, diutius affligente, hepar tandem obstruatur, induretur, ac tumores œdematosi pedum, ipseque dirus hydrops, ascites maxime sequatur. Quod quidem nullam profecto aliam ob rationem evenire arbitror, quam quod vehementi strictura portionis diaphragmatis nervosæ, cui adhæret hepar & emergens inde vas venosum cava, sanguinis recursus ad cor valde retardetur, & cruor, præcluso transitu, ad inferiora relabatur, ibique & maxime in portæ vena & hepatis viscere stagnans, tam truculentos morbos cieat.

§. VIII.

Et sic spasmi succos inquinant.

Quæ quum ita sint, liquido patescit, spasticas in morbis quę urgent affectiones, majorem obtinere succos corrumpendi iisdemque impuritatem conciliandi potentiam, quam ipsa incongrua & intemperata alimenta, paullo largius etiam sumta, modo excretiones, maxime per alvum & sudorem, vigeant. Hæ enim quamdiu salvæ sunt & integræ, ac omne quod superfluum, alienum & mixturæ humorum vitalium minus congruum est, secedit, nul-

nullum ab eo metuendum erit detrimentum. Porro etiam ex dictis prona fluit consequentia, quod sub ejusmodi morbis spasmodicis, & maxime eorum paroxysmis, oppido tutum & consultum sit a copia alimentorum, & præsertim heterogeneæ indolis, abstinere, eo quod his ingestis, ob retentas fordes excrementitias, major adhuc humorum vitalium inquinatio contingat necesse est.

§. IX.

De vitiis fluidorū ex atonia. Ingens vero etiam illa est dyscrasia atque impuritas, quam humores & fluida ex atonia, tam solidorum in genere, quam speciatim viscerum, contrahunt. Sic nimiam sanguinis & humorum redundantiam, quæ plethora vocatur, & tonum ac robur validamque systolen cordis, arteriarum, omniumque vasorum, resistentia sua imminuit & frangit, cacochymiam inducere nemo nescit. Nam sicut ipsa plethora ab imminutis & suppressis excretionibus ortum trahit, ita tardior sub eadem sanguinis cursus & minus expeditus ad excretoria appulsus, non parum sordium secretionem & secessum, tum per varia organa, tum maxime per universale illud omnium præcipuum emunctorium, cutim, minuit atque sufflaminat. Hinc etiam est, quod sanguis e corpore plethorico emissus, crustam gelatinosam & variegatam exhibeat, & frequentius ad minima & lateralia vascula coactus in iisque incarceratus, inflammationes suscitet ægre discutiendas.

§. X.

Ex atonia viscerum & quidem hepatis & lienis. Si hepatis vel lienis viscera, mere fere vasculosa, ex atonia nimium sanguine infarciuntur, vel demum occalescunt, aut indurantur, non modo intercipitur biliosi humoris secretio, ac sanguineus latex bilioso sulphureo excremento inquinatur, sed & sanguinis ac lymphæ motus plane aliter & præter naturam dirigitur. Sanguis enim ad vasa & viscera vicina regurgitans, & appulso arterioso, transitum in venas impediendo, obicem ponens, efficit, ut nimiæ ac pernicioſæ cruoris fiant profusiones, in ventriculo quidem per vasa brevia dehiscentia vomitiones cruentæ, ex disruptis uterinis vasis menses copiosi & uteri hæmorrhagiæ, ex venis ani nimium apertis enorme hæmorrhoidum profluvium & in renibus mictio cruenta. Lymphæ autem itinere per vasa lymphatica, quæ his in viscera discurrunt copiosissima, intercepto, humor restagnat, & copiosius in vasis abdominis collectus hydatides format, quibus tandem disruptis, feralis lymphę extravasatio & partium corruptio inducitur. Hinc attenta observatione patescit, & cachexiam, & scorbutum, & hydropem ex solo hepatis vitio, obstructione & infarctu, incunabula trahere.

§. XI.

Ex atonia uteri. Insuper grave est vitium, quod sanguis tam in crasi, quam temperie, a tono uteri admodum dejecto patitur. Videlicet quando perquam salutaris illa per uteri vasa singulis mensium periodis succedens sanguinis evacuatio, quacunque etiam ex caussa id fiat, imminuitur, supprimitur, vel ob ętatis rationem plane cessat, omnis humorum massa protinus inde vitium capit, & totius corporis malus habitus, sive cachexia, sequitur, languor universum corpus occupat, appetitus prosternitur, facies fit livida & luridi coloris, pedes intumescunt, lassitudo omnes artus infestat, ac demum variæ exulcerationes, item erysipelata, dolores rheumatici, lentæ quoque febres proveniunt. Quin sanguis ipse in tali statu exantlatus, morbidum & pravum exhibet colorem, valde serosus est, quandoque pæne lacteus.

§. XII.

Et debilitate capitis. In affectibus soporosis, item paralyticis & hemiplecticis, progressus sanguinis & humorum languidior, languidam sępe secretionem seri superflui impuri arcessit; unde fit, ut seri summa subnascatur impuritas. Proinde sæpius vidi, post hos cerebri & medullæ spinalis affectus diuturniores,

erysipelata, exulcerationes, tumores artuum, purpuræ morbum, ipsamque cachexiam scorbuticam, accessisse. A longiori morbo tonum & robur ventriculi valde exsolvi, ut cibi assumti in ejus cavo hæreant, dolorem procreent gravativum, acescant, corrumpantur, & materiam tandem ad febrem lentam, nisi medicamento digestivo, emetico, aut roborante stomachico, id avertatur, subministrent, certæ & constantis est observationis.

& ventriculi.

§. XIII.

Ex imbecillitate post paroxysmos febriles.

Intermittentium paroxysmos, qui universum genus vasorum & fibrarum graviter exagitant, sequenti intercalari die ingentem excipere atoniam atque debilitatem, pulsum languidum, cutem humidam ac frigidam, a paucis quidem attenditur, licet res ad oculum pateat. Hanc autem partium solidarum laxitatem, & inde retardatum excretionis salutaris impurarum partium negotium, ego quidem merito pro præcipua caussa habeo, quod nova materia ad insultum febrilem denuo ciendum succrescat. Sub ipso enim paroxysmo, a motu auctiori solidorum & nimio fluidorum attritu, temperata succorum schesis destruitur, plurimaque gignuntur recrementa, quæ si prudens medicus, remittente febrilium motuum impetu, die vacuo, commoda vacuante medicina, per omnis generis emunctoria opportune educit, fomes subtrahitur, & levior incurrit paroxysmus; sin minus, non modo gravior imminet, sed & collectis nimium sordibus, deteriora alia mala sunt metuenda.

§. XIV.

Remediorum virtus ex solidis in fluida transit.

Quemadmodum itaque ex vitio & prava solidorum corporis nostri habitudine, in fluida labes & vitium transit; ita vicissim illis ad meliorem rationem redeuntibus atque erectis, ob communionem inter utrosque mutuam, hæ quoque meliorem schesin, indolem atque efficaciam recipiunt. Sic quando vires naturæ ita collapsæ sunt, ut cordis motus languidior, periculosam in morbis omnium motuum, tam secretoriorum, quam excretoriorum, intermissionem ac cessationem minetur, efficax analepticum ex cinnamomo, vel aliquot guttulæ balsami nostri liquidi, aut potus vini generosi, mox fluidorum progressum & circulum refocillat atq; intendit, & omne abigit periculum.

Ut analepticorum.

§. XV.

Venæ sectionis.

Quando remissa vis tonica & elastica cordis & arteriarum in corpore plethorico, in quo pulsus contractus & compressus est, & excretiones imminutæ, subtractione superflui sanguinis per venæ incisionem, augetur & revocatur, protinus cordis & vasorum systole intenditur, excretiones suppressæ sordium restituuntur, interdum etiam consuetæ sanguinis evacuationes repetunt. Sanguis nimis spissus & glutinosus, qualis est in vitæ sedentariæ nimium addictis, ad graves morbos disponit: sed motu & exercitatione corporis, aut partium frictione, tenuis, fluidus & ad progressivum motum aptus redditur. Id quod etiam, si occasio vel vires ad corpus motu exercendum deficiunt, clara voce & intenso sermone perfici potest, utpote ex diuturna elata voce facta oratione, universum corpus calore & sudore perfundi, perspirationem augeri, pulsum celeriorem fieri, non ignotum est iis maxime, qui brumali tempore sermones ex suggestu in templo perorant. Dum enim sub loquela vox intenditur, citatior quoque fit respiratio, & pulmonum expansio cum reciproco collapsu acceleratur, unde sanguis celerius per pulmonum compagem trajicitur ad cordis ventriculum sinistrum, ex hoc incitatius ad canales appensos per universum corpus traditur, tandemque auctiori facto ubique circulo, velocius ad dextrum ventriculum agitur, pristinumque iter relegit.

Motus corporis.

§. XVI.

Neque id tantum succedit in partibus

tibus externis, sed idem quoque contingit, si partes internæ vehementiori motu agitantur. Nimirum videmus in iis, qui forti & repetita manuum agitatione tympana pulsant, vel globis conos proruunt, universum corpus cum pulsu & respiratione impensiori incalescere, eo quod aucto inde tonico musculosarum partium motu, sanguis vegetius circumagitur. Sola pedum paullo longior & fortior frictio tantum valet, ut universam sanguinis & humorum massam in celeriorem motum, cum intensiori calore ut & perspiratione, adducat; quæ quidem sanguinem commovendi ratio eorum valetudini tuendæ convenientissima est, qui ob senium vel infirmitatem alio motus genere corpus exercere nequeunt. Contra vero si spasmodicæ constrictiones in febribus vel affectibus chronicis vehementer urgent, & sanguinem gravius exagitando æstum atque dolorem inferunt, medicamentum nitrosum, vel nostrum minerale, naturæ amicissimum, universum sanguineum laticem æstuantem placat, fervorem exstinguit, & cutis poros relaxando liberiorem efficit perspirationem.

Frictionis.

Nitrosorum.

§. XVII.

Quando cortice Peruviano febriles paroxysmi, qui totam massam sanguinis fervidam & salino-sulphuream reddunt, sistuntur, protinus id ipsum in urina & fecibus alvi animadvertitur. Nam urina, quæ antea, remittente impetu febrili emissa, erat saturate colorata, & crassum deponebat sedimentum, jam tenuior & limpidior redditur, feces autem valde biliosæ & obscuro colore tinctæ, nunc naturalem rursus colorem acquirunt. Longe vero major & excellentior virtus fluidis valde impuris & turpatis in hypochondriacis & scorbuticis insinuatur, quando viscerum infarctus congruo aquarum mineralium potu tollitur, & obstructiones expediuntur. Et sic quoque solidorum ad immutandam fluidorum scheſin facultas patescet.

Corticis Peruviani.

Aquarum mineralium.

CAPUT VII.

De causſis morborum, & quidem latentibus, recte cognoscendis.

§. I.

Causſarum morbificarum cognitio necessaria.

Si ulla in universa arte nostra doctrina insigni utilitate ac fructu sese commendat, atque etiam ad tutam & auspicatam medicationem expeditam viam pandit, profecto ea est, quæ morborum genuinas causſas perspicue tractat, & quomodo recte eæ cognoscendæ sint, clarius exponit. Quod si enim medici officium potissimum hoc est, ut morbos, vel imminentes arceat, vel præsentes abigat, simulque verum de eorum eventu judicium promat, quomodo ad hunc finem obtinendum certiori ratione pervenire possit, ac si morborum causſas exacte scrutetur ac feliciter quoque inveniat, equidem non video. Sane corpus a morbis ingruentibus defendere, quid aliud est, quam eorum primordia & origines scire, & iis salubri consilio & medicina depulsandis studium operamque conferre? Neque aliud sanare est, quam causſas, veluti fontes graviorum symptomatum, prudenti medicatione removere. Multo minus vero quis rectum de morbi cursu & certum de eventu formare poterit judicium, nisi ejus causſæ veræ & proximæ planius & plenius perspectæ fuerint. Sapienter itaque proditum est ab *Hippocrate*, ejusque fidis sectatoribus: *medicum ad sanandum sufficere, si ad cognoscendum sufficerit*, ut ait *Lib. de arte* §. 20. Id quod clarius exprimit *Lib. de flatibus* §. 2. *Si quis causſas corporis affecti probe cognoverit, potens est valde ea corporibus adferre, quæ corpori commodent, nimirum contraria, morborum natura perspecta.* Atque etiam pulchre more suo *Celsus* scribit: *causſæ morbi investigatio ejusque primordia & occasio in affectionis & remediorum cognitionem deducunt amplissimam.*

§. II.

A medicis tamē plerumque ignoratur.

Verum enim vero, quo majori & plane mirifica utilitate hęc de morborum, quin immo mortis natalibus recte cognoſcendis doctrina, eminet : eo negligentius & incurioſius fere in medicorum ſcholis & monumentis, vel minimum non ſatis exquiſite & ſolide agitatur, vel plane ſilentio tranſmittitur. Plurimos, qui quotidianis in artis operibus verſantur, id tantummodo quærere, ut nomen morbi, quo æger laborat, noſcant, neque multum ulterius de corporis ægrotantis natura, de cauſſæ morbificæ indole ac vehementia, de ſede affecta, deque mali prima origine ſollicitos eſſe, vulgari & ubivis obvia curandi ratione perſpectiſſimum eſt. Perquam paucos profecto Practicorum invenies, qui non prius curam morborum aggrediuntur, quam completam & integram morbi hiſtoriam hauſerint : ſed plurimi audito tantum morbi nomine, mox ad medicamenta præſcribenda ſe accingunt, ſique unum remedii genus non juvat, confeſtim aliud in promtu habent, ac demum inopes conſilii ad practica ſcripta confugiunt. Quin oppido rari ſunt, qui ex hiſtoriis & morborum obſervationibus, cum cura etiam conſignatis, veras cauſſas elicere, vel quod ad praxin tutam conferat, cum certa & fundata ratione eruere poſſunt, vera theoria & philoſophia corporis humani, rerumque, quæ ſaluti vel damno ſunt, deſtituti.

§. III.

Quod teſtantur quorundam indicationes.

Morborum cauſſas certa auxiliorum genera indicare, & ex cauſſis bene perſpectis, aptam curandi methodum ſibi formare debere medicum, conſtans quidem omnium merito tulit ſententia ; ſed ineptæ in ſcriptis obviæ indicationes, eoſdem nec unquam de genuinis morborum cauſſis verum & utilem habere & habuiſſe conceptum, luculenter produnt. Videas, qui magno conatu perhibent, furibundum archeum eſſe ſedandum, & depreſſum ac emortuum excitandum, naturam in opere ſuo deficientem adjuvandam, ejus errorem corrigendum, naturam vel archeum alibi & minus recte occupatum, vel aberrantem, ſui officii admonendum, diſcurſivum ſpirituum motum ſiſtendum, morborum fermenta peregrina ejicienda, viſcerum fermenta debiliora & acido exuberante deturpata reparanda, acidum certis morbis ingenerandis aptum invertendum, lympham fermentificam acido-volatilem tollendam, humorum qualitatem malignam temperandam & expellendam, calidum innatum reſtaurandum eſſe, & id genus innumera alia, quorum meminiſſe piget, immo pudet. Quid vero aliud obſcuræ hæ, ineptæ, nullius conceptus & nihil reale ſignificantes, neque ad vitæ, ſanitatis, vel morborum rationem explicandam, vel ad remediorum inventionem idoneæ, medendi indicationes, quæ proxime ex natura perſpecta cauſſarum morbificarum depromendę erant, manifeſtant, quam genuinas morborum & ſymptomatum, immo mortis cauſſas, ejuſmodi ſpeculatoribus minus eſſe perſpectas planeque incognitas. Quare an quicquam certi vel tuti ab eorum medicatione polliceri ſibi quiſpiam poſſit, æquus & perſpicax quiſque dijudicet.

§. IV.

Cauſſa ignorantiæ ſectionum raritas.

Hæc autem tam utilis tamque neceſſaria veras morborum origines inveſtigandi doctrina, quod adeo incognita ſit, præter alias hæc quoque ſubeſt cauſſa, quod morbis defunctorum diſſectiones rariores ſint, & quod perpauci ex illis utile quippiam, & quod ad morbi mortiſque hiſtoriam explicandam pertineat, apta ratione elicere queant. Non enim certius & melius ad naturam morbificę cauſſę & ſedem affectam pernoſcendam datur ſubſidium, diligentiori cadaverum morbis enectorum inſpectione. Plurima certe in promptu ſunt exempla eorum, qui mirificas ſpeculationes de morbi cauſſa in hoc vel illo caſu habuerunt,

dum

dum alii lienis, alii glandularum mesenterii & hepatis vitia, alii rursus naturam in motibus suis aberrantem, quidam humorum excessivam acredinem accusarunt; ubi dissecto cadavere, apostemata in mesenterio, aut empyemata in pectore, aut polypi in vasis majoribus, vel scirrhositates viscerum aut extravasationes humorum in conspectum venerunt. Et licet accuratior caussæ morbificæ cognitio non semper satis sit ad eam tollendam, si nempe remediorum efficaciam vincat; id tamen efficit, ut medicus, an morbus sanationem admittat, nec ne? & quænam medicamenta in imminenti malo avertendo idonea sint, quæ non? dijudicare possit.

§. V.

Caussarum scrutinium difficile. Interim non diffitendum, arduum & minus firmis conjecturis esse plerumque stipatum caussarum morbi scrutinium, ut inter præstantissimos medicos jure meritoque is haberi debeat, qui in eo excellit. Hoc enim revera est, quod medico nominis famam ac celebritatem quam maxime conciliat, si veraci augurio quæ impervia corporis penetralia recondunt, assequi & felici cum successu ad eadem medicationem suam dirigere, vel si majus arte malum, ipso sub sectione aspectu, ratiocinii veritatem confirmare novit. Et justa certe de caussa *Johannes Langius Lib. 1. Epist. 1.* conquestus est: quod minus celebre nomen sit medicorum Germaniæ apud exteros, quia nempe præcipua medicinæ pars diagnostica, quæ ex suis signis morbi naturam, caussas & substantiam docet cognoscere, vel ignoratur, aut ob desidiam negligitur.

§. VI.

Institutio. Posteaquam igitur in superioribus formalem omnium morborum rationem, in turbato æquabili & moderato solidorum in primis cordis & omni generis vasorum, motu contractorio & expansivo reciproco, contineri demonstravimus, simulque vitia, quæ inde in fluida redundant, exposuimus: transeundum nunc etiam est ad caussarum disquisitionem. Quum vero in *secundo medicinæ rationalis systematicæ tomo* omnes omnino caussarum series, quæ proxime, mediante & remote ad morbos producendos conferunt, cunctas quoque res, quæ sanitati & vitæ infestæ, accurate satis & copiose excussimus: licebit ibi dicta hic tantisper supponere, & meditationi potius subjicere eas tantum morborum caussas, quæ latentes & paullo abstrusioris sunt indaginis, graves tamen ac difficiles morbos, quin ipsam mortem, ingignunt, simulque dispicere, quo pacto Medicus probabili, rationali tamen conjectura, easdem possit investigare atque cognoscere.

§. VII.

Ad caussas latentes referenda malignitas. Placet autem tractationis exordium ab evolutione malignitatis, quæ communi Medicorum consensu compluribus morbis summum adjicit periculum, capere. Jam vero nihil certius est, quamplurimos inter mortales morbis extingui, quibus malignitas assignatur, ceu caussa summi periculi & mortis, & quæ prudentiam medentis & virtutem medicamenti facile superat, quod testantur potissimū febres acutæ & præcipue epidemice grassantes malignæ, purpuratæ, petechiales, catarrhales, pleuritides, dysenteriæ, anginæ, variolæ atque morbilli. Malignitatis itaque in morbis acutis nota est subita & plenaria omnium virium prostratio atque defectio, quæ hisce indiciis se prodit: omnis animi ac corporis vigor dejectus est, artus robur & pristinam ad motum potentiam amiserunt, pulsus arteriarum ob systolen cordis contractiorem & languidam exilior & debilior fit, nullus placidus & qui reficiat est somnus, sed somnolentia quædam magis magisque debilitans, vel assidua vigilia premit, ægri jacent plerumque sine dolore & sine singulari sensu, neque calor in exterioribus partibus adeo intensus est, sunt anxii &

inquieti, mutant ſæpius ſitum, inque eo erecto perquam facile in animi defectionem incidunt, alvus minus recte reſpondet, urina plerumque tenuis, licet crebrius emittitur, reſpiratio eſt difficilior, male cohærentia loquuntur, & ſine ſingulari convulſione valida frequentius intra paucos dies extinguuntur.

§. VIII.

Quæ viribus maxime infenſa.

Ex hiſce liquido apparet, malignitatem viribus, quæ vitam abſolvunt & tuentur, infenſiſſimam eſſe. Quid vero ſit malignitas, & cur tam pernicialis ſit? non alienum erit, hic exponere. In quo quidem evolvendo, ſi quis defectionis virium & malignitatis cauſſam per calidum nativum debile vel extinctum, aut per ceſſationem naturæ vel archei a motu ſuo & directione corporis, aut per ſpirituum vitalium oppreſſionem, explicare velit, is certe nihil, quod concipi poſſit, quod vere exiſtat, & quod in applicatione & in connexione uſui ſit, afferet. Miſſis potius ejuſmodi fictis terminis, ita ſentiendum eſſe cenſemus: vires, quæ corpori noſtro inſunt, non alias eſſe, niſi motrices, & quæ a convenienti boni ſanguinis in partes influxu, ſalvis tamen & integris nervis, proficiſcuntur; atque adeo eos præ aliis eſſe robuſtiores, qui ampliora habent vaſa, qui fibras compactiores & laudabilem ſanguinis apparatum obtinent; imbecilliores vero, quibus fibræ ſunt laxæ, vaſa anguſtiora, & quibus parcior ſanguis ineſt. Præterea corporis noſtri vires a convenienti victu, a liquido ſubtili & ſpirituoſo, ab aere puro & temperato egregie foveri, & depreſſas mox reſuſcitari, & viciſſim a victu incongruo, omnis ſpiritus, & virtutis experte, ab odore vel medicina vaporoſa & graveolenti, ingentem induci virium jacturam. Denique omnibus iis affectibus, qui a conferta crudorum & impurorum humorum, vel ſanguinis copia, originem trahunt, notabilem languorem viriumque lapſum perpetuo fere jungi. Manifeſtæ igitur ſunt virium, quæ vitæ, & omnium actionum vitalium præſides ſunt, cauſſæ: præſente quippe ſanguine temperato, ſubtilibus elaſticis & volatilibus partibus referto, & ſufficiente facto ad quævis organa affluxu, omnes partes ſolidæ & motrices, earumque princeps cor, debitum ſuum tonum, robur, motumque conſtrictionis & dilatationis, qui univerſam œconomiam animalem gubernat, accipiunt.

§. IX.

Ob putridam in interioribus corruptionem.

Has itaque vires proſternit malignitas, cujus indoles atque origo quam optime ex interiorum perluſtratione in iis, qui ex acutis & malignis morbis deceſſerunt, erui poteſt. Nimirum ſi obſervationes & diſſectiones eorum, qui peſte, petechiis, & aliis malignis febribus mortui, conſulimus, & quæ a nobis ipſis hac in re viſa ſunt, recordamur, nunquam non notabilis, vel in ventriculo, vel inteſtinorum volumine conſiſtens putrida, fœtida corruptio, ſive ſphacelatio, ſeſe obtulit; ut inducamur credere, nunquam veram malignitatem periculi plenam adeſſe, ubi non quædam ex ſolidis partibus interioribus ſphacelo & putredine infectæ fuerint. Jam nihil in univerſa rerum natura exiſtit, quod magis animantibus adverſum ſit, quam ipſa putredo. Hæc enim inteſtinus & celerrime vires ſumens deſtructivus motus eſt, qui non modo partium fluidarum texturam ac mixtionem, ſed & ſolidarum ſtructuram invertit, diſſolvit, & ſubtiliores fluidas, impetum ac motum facientes partes, hoſtili vapore contaminat. Videmus certe ſphacelum exterioribus partibus incumbentem ſubito & omnes vires exhaurire, & vitam brevi extinguere; multo magis interior ejuſmodi partium corruptio exitium creabit præſentiſſimum. Et quemadmodum, qui ex cancro maligno, cui teterrima putredo ſemper jungitur, vel ex ſphacelo moriuntur, haud diſſimilibus ſymptomatibus, ac illi, qui peſte & mali-

malignis febribus decedunt, divexantur, ita horum unam eandemque esse caussam, nempe putredinem, merito concludimus.

§. X.

Quæ in acutis & chronicis morbis adest.

Neque vero tantum putredo & sphacelatio internarum partium in acutis & malignis febribus reperitur, sed hæc ipsa etiam funestorum morborum aliorum frequentior caussa est, ac plerumque fert opinio. Proinde nostrum de morbis plurimis feralibus & periculosis judicium hoc est: plerique pro caussa putridam corruptionem internam agnoscunt, & raro homo ex morbis moritur, ubi non putris quædam corruptio in caussa fuerit. Sicuti autem ipsa putredo gradu majori, vel minori, differt, & alia in sero, alia in sanguine est, ipsæ etiam partes, quibus insidet, ratione structuræ & usus valde dissidentes sunt; ita effectus quoque & vis putredinis diversa est, quum quædam vehementius agat & celeriter interficiat, alia mitiori modo incedat, magisque chronica sit. Patet hoc febrium hecticarum exemplo, quæ nunquam non a corruptione viscerum foventur, & phthisi, hydropi, cachexiæ scorbuticæ, in fine ordinario fere accedere solent, similibus quoque ferme symptomatibus progrediuntur. Nemo enim non novit, hecticis, & quæ demum hydropicis, scorbuticis & cachecticis complicantur febribus, ingentem corporis languorem viriumque jacturam, cum plenaria ad motum, & labores impotentia, appetitus identidem totalem prostrationem, necnon somni quieti & reficientis assiduum defectum, & calorem consumentem, cum sudore colliquativo & marcore incredibili pulsusque continua celeritate ac debilitate, perpetuo conjungi; donec tandem alvi profluvium, pedum intumescentia, crebrior animi defectio finem vitæ claudant. Quo facto, sub interiorum lustratione, hepar, lienem, pancreas, maxime omnium vero omentum, interdum etiam uterum, in thorace pulmones corruptos ac putridos, cum extravasato ibi putrido sero, plerumque reperimus.

§. XI.

De sphacelo ventriculi.

Quamvis autem morbi, a putredine, & sphacelo interno orti, plurima signa communia habeant: nihilo tamen secius pro natura etiam putredinis, celerius vel tardius serpentis, peculiaribus notis, quas breviter strictimque recensebimus, distinguuntur. Primo vero notandum est, teterrimæ indolis esse eam sphacelationem, quæ partes ventriculi, & intestinorum nerveas membranaceas occupat, eo quod celerrime interficit & morbos etiam peracutos, immo acutissimos, progignit. Videlicet, si putrida corruptio in ventriculo consistit, præter summam illam virium prostrationem, & signa malignitati communia, singularis nausea, & quædam eructationis lymphæ in os species, ad vomitum inclinatio, itemque singultus, cum sensu quodam frigoris circa præcordia interno, sese exserunt: præcedit summa anxietas corporisque jactatio, & fixus in regione præcordiorum ardor, qui tamen cum dolore subito cessat. Ab hac non differt, quæ a veneno vel maligno pharmaco in robustis & sanis antea corporibus producitur, quippe quæ brevi pariter necat, & delirium ac convulsio, cum plenaria pulsuum per aliquot horas intermissione, mortem antecedit.

§. XII.

Duodeni.

Neque duodeni inflammatio, eique succedens sphacelatio infrequens est. Nam morbis acutis, cholerę & febribus cholericis, ex facili supervenit, & gravissimæ quoque iræ soboles est. Hisce vero notis distinguitur; ingens & valde anxius viresque prosternens cum sudore frigido circa dextrum regionis præcordialis latus constans est ardor, cui facies lurida & flavo colore tincta jungitur, quia per spasticam strictu-ram liber bilis ad intestina descensus præcluditur,

ditur, eademque per vasa lymphatica ad sanguinem regurgitat : comitem quoque duodeni inflammatio plerumque habet singulum, incredibiles anxietates & inquietudines, ob nervosas partes tam graviter lacessitas. Intestina tenuiora ubi sphaceloſa inflammatio adoritur, præter assiduam febrem, dolor cum interno incendio circa umbilicalem regionem percipitur, alvi nimia strictura est, succedit tandem summa virium defectio, cum sudore frigido, pulsu debili & inæquali, sensus doloris simul & semel perit, & excrementa fœtida, interdum sanguinea, sponte feruntur. Quę signa priora inflammationem, posteriora vero sphacelum designant; ubi iterum notandum hoc est, quod, si a causſa violenta externa, ut ab intestino in hernia incarcerato, ab assumto veneno, vel pharmaco virulentiæ non experte, aut ab animi graviori affectu, producta fuerint, delirium & convulsio mortem celeriorem efficiant.

Et reliquorum intestinorum tenuiũ.

§. XIII.

Maxime in dysenteria.

Intestina in deterioris notæ dysenteria, inflammatione acuta & sphacelo quoque corripi, procul ab omni dubio est. Illam atrocia, cum febre, siti, interno ventris ardore, tormina penitius manifestant: hujus vero subita indolentia, quando confestim simul, & semel dolor, qui antea erat intolerabilis, & ardor definit, haud fallax indicium est; majori simul reddito excrementorum pædore & virium decremento adaucto. Rectum etiam intestinorum ex acutissimo & immani, ob profundiorem hæmorrhoidum internarum tumorem, dolore, fœtidissimæ sphacelationi obnoxium esse, non semel sed sæpius experti sumus. Hæc mox latius serpit, & tam intestina, quam partes exteriores nares & scrotum, tetra putrilagine cum nigrore ac tumore inficit. Fæces, quæ sponte plerumque secedunt, intolerabilis, ob iis admixtum putredinis fermentum, sunt fœtoris, tandem febris continua, sed mitior, cum totali virium lapsu juncta, cujus naturæ solet esse putrida, & vere maligna, vitam extinguit.

§. XIV.

De sphacelo viscerum abdominis.

Quando porro putrida corruptio abdomen, inque eo contenta viscera, hepar, lienem, omentum, invaserit, tum non tam cito tragœdiam suam confi-cit. In hydropicis, scorbuticis & cachecticis eandem prodit totale ciborum fastidium, pulsus celer, debilis & inæqualis, somnusque laboriosus. Certum vero ac plane infallibile viscerum in abdomine sphacelatorum signum est, si plenaria appetitus prostratio indesinenter per aliquot hebdomades laborantem premit, & hanc nunquam in ejusmodi morbis fausti ominis esse plurimis experimentis confirmatum habeo. Putredo enim adjacentibus visceribus insidens, non potest non ventriculi robur enervare, & liquoris gastrici menstrualem vim atque activitatem penitus infectione contaminare atque infringere. Neque uterus ab ejusmodi fœtida perniciali corruptione plane immunis est, Hæc in puerperis, vel in aliis, maxime nimio sanguinis profluvio debilitatis, sexus sequioris corporibus, facile contingit. Visitur ab initio inflammatio & febris acuta inflammatoria, ex suppressione lochiorum frequentissima, qua sedata, circa pubem frigoris sensus est, ad alvum maximeque urinam stimulus, & fluxus lochiorum, antea pertinaciter cohibitus, brevi ante mortem sponte sua demum procedit.

Uteri quoque.

§. XV.

De corruptione pulmonum

Phthisicis, & qui ex pulmonum diuturno vitio laborarunt, tandem putredo cum febre putrida sic dicta hectica, quæ vires paulatim opprimit, supervenit, cujus indicia sunt, præter fœtidam ex ore exhalationem, facilis in situ erecto animi defectio, expectoratio cessãs, pectorisque oppressio cum spiritus difficultate. Ætate confecti tandem in similem viscerum corruptionem incidunt.

Et senibus familiari marasmo.

dunt, omnis perit appetitus, assiduus adest calor, unde vires paulatim consumuntur, ut tandem penitus deficiant, qui affectus communiter marasmus appellatur. Cæterum internis viscerum corruptionibus individuus comes est febris continua, cum calore quidem non adeo acri & externo, qui tamen vires & succos sensim absumit: ita quidem, ut certis intervallis remittat, non vero intermittat, postea exacerbetur, donec tandem plenario virium lapsu penitus opprimat.

§. XVI.

De sphacelo membranarū cerebri.

Corripit denique sphacelus ipsas membranas cerebri, ejusque substantiam, qui tamen nonnisi precedente inflammatione oboritur, & hisce indiciis sese manifestat. Primum arteriæ temporum & interiores cerebri vehementius pulsant, facies est rubicunda, oculi feroces, somnus nullus, urina tenuis, omnia furoris plena, quæ notæ phrenitidis sunt. Postea subito compositus fit animus, & ad intelligentiam redit, nihil vero nisi de summa virium defectione ægri conqueruntur, facies ante rubicunda in luridam mutatur, pulsus inæqualis ac debilis est, & sponte sæpe sanguis e naribus, paucus tamen, prodit, & hæc omnia inflammationem in spha. celum transiisse, & mortem adesse significant. Lethalem ejusmodi phrenitidem aliquoties vidi in puerperis, quæ subsistente lochiorum fluxu, accedente febre acuta, nono interierunt die.

§. XVII.

De purulenta sanguinis corruptione.

Præter putridam quæ in sanguinem cadit corruptionem, alia adhuc non adeo tamen exitiosa, ejus species est, qua ille extra vasa consistens, ex inflammatione præcedente, in purulentam substantiam fatiscit, & apostema, quod nihil nisi ingens purulentæ materiæ in quadam parte collectio est, efformat. Prout vero ejusmodi abscessus variat, easque vel internas, vel externas, prehendit partes, ita differentibus etiam & peculiaribus signis cognoscitur. Et quum subinde apostema longo artis usu exercitatos Medicos fallat, non incongruum erit, hoc loco exponere, quibus indiciis in universum & speciatim etiam sese prodat. Igitur in genere sciendum est, omnibus abscessibus, ubicumque etiam lateant, febrem continuam, lentam quotidianam, cum remissione & exacerbatione, pulsu debili & celeri, quæ tandem vires & succos depascit, nec non sudorem continuum, præsertim nocturnum, conjungi, adeo, ut corporis partium marcor nunquam non sequatur.

§. XVIII.

De abscessibus in abdominis integumentis

Primum vero apostema non raro abdominis regionem obsidet, atque inter peritoneum ejusque musculos sedem fixam habet. Cognoscitur, si vel supra, vel infra umbilicum, aut ad latera, circa costas spurias, versus dorsum, fixus cum tumore duro dolor per longius tempus persistit. Præterea inappetentia, calor lentus cum insigni marcore, pulsuque celeri adsunt, urina sedimentum ponit, & vires in dies decrescunt. Quæ symptomata, valde dissidentes Medicorum conjecturas subinde peperisse meminimus, quum alii malum pro inflatione intestini coli, alii pro glandulæ omentalis tumore & scirrho, nonnulli pro dolore calculi habuerunt: adhibitis vero externis mollientibus cataplasmatibus, tumor durus tactui renitens, mox pure repletus valde increvit, & apertus copiosum cum fœtore pus effudit.

§. XIX.

In thorace.

Si quando abscessus thoracem occupat, quod sæpius ex male curata pleuritide, & vera & spuria, aut ob graviorem casum, vel etiam ex morbillorum aut variolarum reliquiis accidit, tunc identidem continua lenta adest febris, sed tamen specialibus indiciis ejusmodi abscessus se prodit. In dextro vel sinistro thoracis latere dolor est obtusus & pressorius, cum anxietate inexplicabili,

bili, tuſſi nocturna, ſpirādi difficultate, pulſus eſt celer, & languidus, partes marcore confectæ, & inter has maxime pectus emaciatum, quin ſano lateri vix incumbere poſſunt. Si vero ingens puris quantitas ad plures ſæpius libras in thoracis cavo fluctuat, tumor in latere affecto circa dorſum ſatis manifeſtus, a ſcapulis uſque ad illa, ſæpe prominet.

§. XX.

Pure effuſo. Quando pus extra vaſa effuſum fuerit, id diuturniori mora acre factum, diaphragmatis nerveos proceſſus vehementius lancinat, & dolor intolerabilis non procul a lumbis oritur, qui ſæpe ſagacioribus Medicis imponit. Redit præ ceteris in memoriam exemplum ſereniſſimi Principis juventutis, qui poſt variolas lenta febre, ſpiratione difficili, cum virium languore & macie afficiebatur, quibus demum accedebat atrox circa regionem lumbarem ſiniſtri lateris dolor, appetentia proſtrata, ſomnum cum viribus penitus conſumens, ægro poſt aliquod tempus occumbente. Medicus curæ præfectus dolorem naturæ eſſe errorem quidem volebat, ſed aperto poſt mortem abdomine, ex diaphragmate, acie cultri læſo, ſanies copioſa ſtillabat, & diſſecto demum thorace, ingens puris quantitas in conſpectum prodibat, totuſque ſiniſter pulmo ad vaſa uſque conſumtus & tabe diffluens deprehendebatur. Ubi vero purulenta ſanies conceptaculo adhuc includitur, vomica appellatur, quā fixus diuturnus ac comprimens in pectore dolor prodit, qui nec per ſputa, nec per ſanguinis detractionem, neque per infuſa calida reſolventia placatur, ſed cum pulſu celeri, tuſſi ſicca, anhelitus fœtore, marcore, virium languore, inappetentia, & largo debilitante ſudore, continuat. Ipſa magnitudo vomicæ ex majori ſpiritus anguſtia, ingenti anxietate, pulſu duro, quandoque erecto collo intermittente, dijudicatur. Ubi demum pus perrumpit & vomica aperitur, tuſſi fœtidi quippiam puris ejicitur.

Et vomicæ incluſo

§. XXI.

Abſceſſus meſenterii

Evenit quoque non raro, ut variis ex ex cauſſis, præſertim vehementiori in terram lapſu ac contuſione, intra meſenterii membranas abſceſſus colligatur, cujus notæ non ſemper cognitu adeo faciles ſunt. Sentitur in medio abdominis quædam gravitas, ſine manifeſto dolore vel tumore, febris eſt lenta, virium languor & animi crebrior defectio cum ſudore frigido urget, quandoque vires melius conſtant, interdum ſanies cum excrementis per alvum ſecedit, inhorreſcit ſæpius æger, & hæc ſymptomata diutius detinent. Si ex diſrupto abſceſſu ſanies in abdominis cavum ipſamque pelvim deſcendit, dolor acutus cum crebriori ad urinam ſtimulo affligit, ſed parum redditur, quandoque etiam puris acrimonia, inteſtinorum tunicas rodendo, immanem dolorem cum febre ac tumore procreat.

§. XXII.

In muſculis dorſi.

Ubi vero in dorſo, intra peritonei membranam, & muſculos pſoas uſque ad os ſacrum, tabis copia colligitur, præter alia conſueta abſceſſuum ſymptomata, dolor cum tumore ardens in lumbis continuus, & ſatis gravis ac fixus, qui ſitu in dorſo exacerbatur, percipitur, & tunc urina, pauca tamen, variis fibrillis repleta, cum ſtranguria emingitur. Obſervatum quoque a nobis eſt apoſtema in utero, poſt abortum, ab aſſumto vehementi emetico productum ita quidem, ut poſtquam diutius laborantem dolor circa os ſacrum & pubem cum febre, alvo adſtricta, urinæ difficultate, exercuiſſet, facta ſectione, pus fœtidiſſimum circa uterum ad libram & ultra fluctuans, totus uterus pure ſcatens, eroſa paſſim per cuniculos perforatos ejus ſubſtantia, deprehenderetur.

Et utero.

§. XXIII.

In renibus.

Renes porro patent pariter abſceſſibus, qui totam eorum ſubſtantiam non adeo raro ita conſumunt, ut teſte

ana-

anatome, nihil præter membranosum concrementum, sacculi in modum contractum, relinquatur. Tali in casu mingitur urina mox cruenta, mox ob puris miscellam lactescens, interdum glutinosa, crassa, tenaci materia mali odoris referta, quæ in fundo hæret, neque ad vitri agitationem dissolvitur. Nonnunquam sanies ex rene putri in pelvim stillat, subsequente vix tolerando in regione pubis dolore, ob rosionem, quam in vesica & adjacentibus partibus efficit. Ejusmodi abscessus in plethoricis & scorbuticis feminis, cessante circa quinquagesimum annum mensium fluxu, item in viris, quibus hæmorrhoidum fluxus substitit, vel consueta sanguinis missio omissa, notavi, in primis si Medici diureticis calidioribus, vel etiam imprudenter thermis Carolinis ad calculum dissolvendum & ejiciendum, usi fuerunt.

§. XXIV.

In capite. Neque caput ab asceſſibus penitus immune est, quandoquidem intra parotides, præsertim apud infantes, si pus detinetur, intolerabilis circa aures cum tumore fit dolor, vigilias cum febre ad delirium usque producens. Intra cavitates ossis frontis abscessus quoque delitescit, qui intensissimum in fronte & circa radicem nasi dolorem, totum caput in consensum trahentem, excitare solet, sed pure tenui, flavo, fœtido, successive ad aliquot cochlearia per nares sive sponte prodeunte, sive ab applicato convenienti errhino subducto, tandem conquiescit.

§. XXV.

Tumores sero-so-lymphatici in thorace. Accedit aliud genus abscessuum, sive potius tumorum, qui non purulentum, sed lymphaticum, & serosum humorem continent, neque ex præcedente inflammatione, sed potius ex lymphæ cursu impedito originem trahunt, quorum sedes minime in visceribus vel in partibus sanguine plenis est, sed intra membranarum tunicas consistit, neque humor, quem condunt, erodentis, ut pus, est naturæ, inde etiam non partium quibus inest substantiam depascit. Hi tumores non raro prægrandes fiunt, ut vel plures libras seri puri, quod calore in offam, ut albumen ovi, abit, complectantur, ac sæpissime hærent intra duplicaturam pleuræ, & cavitatem thoracis replent; quibus disruptis, ingens pectoris fit inundatio, quæ pulmonum expansionem & motum diaphragmatis impediendo, ægrum suffocatione tollit opprimitque. Vidimus talem casum ante aliquot annos in generoso militiæ præfecto, qui de dolore in pectore continuo, fixo & compressorio sinistri lateris conquerebatur, paulo difficilis cum tussi sicca perpetuo aderat respiratio, quæ intervallis, præsertim noctu ab incongruo maxime situ, ita ingravescebat, ut summa anxietas cum suffocationis metu per aliquot horas adesset, pulsus continuo frequens, mollis tamen, sine siti, vel notabili calore, neque appetitus, neque somnus plane deficiebant; pedes frigidi & una cum scroto tumore œdematoso laborabant, exterius in thoracis regione nihil tumoris, nihil roboris animadvertebatur. Accidit demum, ut a paulo fortiori thoracis commotione a cachinno confestim in maximam & continuam spirandi angustiam atque anxietatem, quæ ad quindecim horas durabat, incideret, qua etiam infeliciter miserque suffocatus periit. Aperta thoracis cavitate, latus sinistrum totum seri minimum octo libræ inundabant, quod largius, levi saltim incisura facta, effluebat, eodemque penitus effuso, membranaceum receptaculum disci majoris magnitudine, tenue tamen, ad latus sinistrum in conspectum venit, quod sine omni dubio ex membrana pleuræ productum erat, & collecta intra duplicaturam ex vasis lymphaticis disruptis lympha, talem capsulam sibi efformaverat. Reliqua viscera satis erant integra, nec alio, nisi quod ex morbi diuturnitate contraxerant, vitio laborabant. Causam vero & ortum

hujus

hujus affectus æger in acre ac intensum frigus, quod in expeditione Rugiensi passus, rejecit.

§. XXVI.

In abdomine. Neque dubium est, quin ejusmodi serosi abscessus & tumores in abdominis cavitate sæpe occulti lateant, & vel in mesenterio, aut in dorso, intra duplicaturam peritonei, vel intra uteri membranas, quandoque etiam intra ipsum ovarium contineantur, qui dehiscentes, secto semper affluxu majori, seri copiam in abdominis cavitatem ingentem fundunt, quod corruptione dum inficit viscera, fatalem diem arcessit. Non quidem sine difficultate ejusmodi tumores cognoscuntur, & a posteriori magis & noxio eventu atque effectu demum se produnt, si videlicet in mali habitus corporibus & diutius infirmis subito hydrops gignitur, abdomen intumescit, & fluctuantes aquæ vario in latera decubitu percipiuntur; id quod etiam concludendum est, si quis diuturno pectoris dolore & respirandi angustia affectus, confestim in suffocativam spirandi angustiam non superabilem incidit, ubi certe subiti ejusmodi hydropis generatio non aliam caussam, quam rupturam ingentis aquosi tumoris & effusionem copiosam seri in cavitates agnoscit. Quod vero intra membranas tumores, quibus extra vasa positus humor insidet, gigni possint, evidenti testimonio est ille tumor, qui salvis internis visceribus intra duplicaturam peritonei hospitatur, & mole sua abdomen ejusque musculos mire distendit, adeo, ut verum hydropem mentiatur. Quo in casu *Nuckius* aliique paracenthesin, quæ in anasarca nunquam non plus exitii quam salutis affert, summe proficuam observarunt.

§. XXVII.

Exulcerationes internæ. Ab abscessibus ad partium exulcerationes transimus, quæ ab illis non parum differunt, tum quod abscessus copia materiæ, & purum, album, coctum pus, ulcera vero parum ichoris & seri fœtidi fundant, illi magis partes sanguineas succulentas, hæc vero membranaceas, frigidas & siccas adoriantur ibique sedem fixiorem habeant. Ipse ventriculus, qui partium membranacearum facile princeps est, ab his nonnunquam attentatur. Meminimus olim civem Mindensem, ob nimiam spiritus vini ingurgitationem & frequentiorem iram, acerbissimo dolore ac tumore circa præcordia correptum fuisse, qui sumto cibo increscebat, utut vomitu non ita multo post rejiceretur. Accedebat universi corporis marcor, frequens erat lipothymia, alvi excrementa nigricante colore interdum tincta erant, quumque per dimidium fere anni misere decubuisset, tandem fato contractus, crassus tamen & albicans inventus fuit, rugis & etiam punctulis intus obsitus, quibus incisis, materia saniosa fœtida exstillavit, & in corde ac omnibus vasis parum sanguinis repertum. *In ventriculo.*

§. XXVIII.

Vesicam quoque non raro chronicum & molestum ulcus, sive ex luis Gallicæ contagio, sive ex calculi grandioris attritu, aut ex cessante consueto hæmorrhoidali fluxu fovere, non novum est. Id vero magnus urinam emittendi stimulus, cum ardore & difficultate manifestat. Urina mingitur crassa, quæ subinde instar albuminis ovi cohærens, simul ex vase effunditur, inque ea non modo pelliculæ & furfuracea quædam natant, sed & serum viscidum ac purulentum in fundum dejicitur. Dolor etiam valde gravis pubis ac perinæi regioni incumbit, cujus tanta sæpius sævitia, ut partes extremæ inde inhorrescant, qui tamen remittit, si largiorem quotidie ac tenuem potum ægri assumunt, quippe tunc urina facilius prodit, cum copioso mucido sedimento. Ab ejusmodi ulcere vesica densatur & corrugatur, exterius albicat, fibræ contractæ, nigricantes ac sphacela- *In Vesica.*

latæ apparent, & pus in ea cuniculos format. Quin si materia fœtida acris in pelvim descendit, vicinæ etiam partes putredine inficiuntur, qualem observationem *Miscell. Natur. curios. Dec. 2. Ann. 6. observ.* 100. commemorant. Si calculus in vesica ejus exulcerationis caussa est, tenesmus, cujus vehemētia non raro rectum propellitur, perpetuo urget, urina est purulenta & arenosa, inque pelvi pruritus percipitur, & sub erecto situ dolor augetur.

§. XXIX.

In prostratis. Si vero prostratis & glandulosæ urethræ multis lacunis præditæ tunicæ, quod sæpius a male curata gonorrhœa, nec non in lue venerea infectis accidit, exulceratio insidet, ut plurimum in consensum collum vesicæ trahitur, crebrior ad urinam est stimulus, sed cum intenso ardore & dolore mingitur, & difficulter ob urethram spasmo contractam redditur. Ex glande etiam membri subinde liquor, qui consistentia, colore & acrimonia differt, stillat, vel manu exprimitur, atque in urina sedimentum albicans, cum filamentis natantibus, quæ vermiculorum figuram referunt, conspicitur.

§. XXX.

Funestis morborū caussis annumerandæ effusiones sanguinis in capite. Ad caussarum, quæ valde difficiles & plerumque lethales affectus inducunt, classem referendæ porro sunt sanguinis vel etiam seri extra vasa factæ effusiones & stagnationes. Inter has ea, quæ intra cerebri ventriculos, ob plexum choroideum disruptum, contingit sanguinis extravasatio, periculosissima est, & apoplexiam fortem, brevi enecantem, efficit. At vero quum alia etiam sit apoplexiæ non infrequens species, qua ægri salvo pulsu & respiratione facie florida & rubicunda, diu sine sensu & motu jacent, & tamen servantur, non immerito indicia, quibus utraque distinguatur, desiderantur. Fortis quum a sanguinis effusione immedicabili fiat, has habet notas: jungitur illi ut plurimum vel paralysis, vel convulsio. Illa visitur, si unum latus frigidum & quasi mortuum torpet, alvusque sponte fertur: hæc vero vehementi thoracis motu, & elevatione cum stertore, roncho & sonitu, neque minus artuum distractione, elevatione, aut ventriculi per vomitum subversione, manifestatur, & sanguis interdum e naribus profluit. In mitiori vero, secus res habet, quæ in hystericis, hypochondriacis, plethoricis, a vasorum cerebri, ob copiosius per spasmos eo congestum sanguinem, distensione reponenda est, ne pernicialis canalium ruptura accedat.

§. XXXI.

Rarius in thoracis cavitate, nisi a violenta vasorum dilaceratione, sanguinis effusio contingit; in abdomine vero id evenisse recordor. Ante viginti circiter annos nobilis in hac urbe fœmina triginta annorum, elegantis formæ, quartum mensem gravida, præter omnium opinionem de subito virium languore conqueritur, facies contrahitur, livida & frigida fit, ad vomitum adest inclinatio, erecto capite animi defectio invadit, quæ crebrius repetens intra decem horas cum magno dolore mariti uxorem a vivis abripit. Dissecto abdomine, in ejus cavitate ingens sanguinis congrumati ad libras aliquot copia reperiebatur, qui ex disruptis ovarii multum tumefactis, & grumis sanguinis adhuc obsessi, vasis effusus erat. *In abdomine & quidem ex ovario*

§. XXXII.

Nullibi tamen canales sanguiferi facilius dissiliunt, quam in sinistra ventriculi parte vasa sic dicta brevia, quæ tenui membrana obducta, ab irruente copiosius cruore, non solum ex facili dilacerantur, sed etiam demum perforantur, hanc potissimum ob caussam, quod intercepto sanguinis per lienis vasculosam ac raræ molliſque texturæ compagem progressu, is per brevium emissaria exitum sibi paret. Hoc autem si evenit, vomi- *Ex vasis brevibus ventriculi.*

tus

tus ſequitur ſæpe effrenis ſanguinis nigri, fœtidi atque grumoſi, qualis etiam per alvum ſecedit, & clyſteribus educitur. Et licet rejecta ſtomachum aggravante ſanguinis mole, ſymptomata tantiſper levari videantur; repetit tamen utplurimum vomitio, & ægri intra paucas horas inter lipothymias placide obdormiſcunt. Cognoſcitur hic morbus ex inappetentia, animi dejectione, magna circa præcordia anxietate, vomituritione ad animi uſque deliquium, ardore ac æſtu in regionis epigaſtricæ ſiniſtro maxime latere, & familiaris eſt fœminis poſt quinquageſimum annum, diuturno mœrore confectis. Dici enim vix poteſt, quam gravem labem lienis viſcus ex longa contrahat triſtitia, quæ uti ira hepar, & ductus biliarios potiſſimum afficit, lieni noxam affricat, ita quidem, ut præter imbecillitatem, quæ inde in univerſum corpus redundat, huic potiſſimum robur & vim reſiſtentem adimat, illudque ad concipiendos infarctus diſponat. Ut adeo Veterum ſententia, qua hepar iræ & lien melancholiæ ſedem eſſe volunt, ratione & experientia non deſtituatur, modo melior & rationalis accedat explicatio.

§. XXXIII.

Ex ruptis interne hæmorrhoidalibus.

Pariter quandoque lethalis ruptura vaſorum internorum hæmorrhoidalium accidit. Novimus primipilum quendam, natione Gallum, qui liberalius utens vino adſtringente Francico, quod vocant PontacK, ſubſiſtente conſueto hæmorrhoidum fluxu, in atrocem dolorem dorſi & cruciatus infra umbilicum incidit, cum febre lenta, purpuracea etiam, largo ſudore & alvi tam firma conſtipatione, ut clyſtere injecto nihil redderet, ſed tormenta potius augeſcerent. Secta fuit vena, propinata nitroſa, oleoſa, demulcentia, mannata, aliaque plura, demum ſimul & ſemel aliquot menſuras ſanguinis fœtidi & grumoſi per anum ejecit, ipſeque lipothymia correptus diem obiit. Neque alia hujus affectus & eventus fuit cauſſa, quam quod farta nimium & diſtenta coli ac recti vaſa, dolorem, & rupta, funeſtum profluvium intulerint.

§. XXXIV.

Extravaſationes ſeri variæ.

His frequentiores ſunt ſeri intra cavitates effuſiones, ac inter has ea, quæ fit in capite, & ætati infantili infeſta, immani magnitudine ac tumore, quem hydrocephalum dicunt, & aliarum partium marcore, in conſpectum venit. Eadem ſeri intra cavum thoracis collectio & ſtagnatio, quæ hydrops thoracis audit, iis, qui polypum grandiorem in corde, & majoribus ejus vaſis gerunt, & aſthmate convulſio laborant, ſatis frequens eſt, & nunquam fere non, ubi magna ſpirandi difficultas jungitur, extravaſati ſeri copia in thorace, inſtituta anatome, viſitur. Hæc ipſa vero ſic dijudicanda eſt: reſpiratio antea difficilis ſi longe difficilior redditur, paroxyſmus quaſi ſuffocatorius diutiſſime affligit, parumque remittit, non fallax ſeri in thorace copioſius collecti indicium præbet, præſertim, ſi, quod exſpuitur ſanguineis ſtriis diſtinctum, eo quod ob nimiam pulmonum compreſſionem & diaphragmatis motum ſufflaminatum, ſanguinis libercurſus ex uno cordis ventriculo in alterum intercipitur, & is ex arteria pulmonali vehementius contracta, in arteriam aſperam exprimitur, quod ſignum in funeſtis præcipuum eſt. In abdominis cavo ſerum vaſorum alveis elapſum tum ex murmure, fluctuatione, tum etiam ex majori virium proſtratione & lenta febre, quum viſcera corrumpi incipiunt, in hydropicis dignoſcitur, quæ corruptio per paracentheſin, aeris atmoſphærici liberiori acceſſu facto, magis magiſque promovetur, & mors acceleratur. De purulenta materia ex abſceſſibus diſruptis in cavitates exſtillante, quibus nimirum effectibus ſe prodat, jam in ſuperioribus mentio facta eſt.

§. XXXV.

§. XXXV.

Rupturæ partium internarum.

Quid? quod quandoque plane pars quædam interna disrumpatur, & subitam insperatam mortem afferat, id quod potissimum de liene & utero annotavimus. Erat quondam Hemipoli fœmina viginti & quod excurrit annorum, sanguineæ constitutionis & floridæ faciei. Hæc venæ sectionem nunquam passa,& sexto jam mense uterum gerens, non solum ob matris obitum gravi afficiebatur mœrore, sed etiam incendio suborto terrore percellebatur, eoque excitata, præcipiti lapsu e scala cadebat,post quadrihorium exspirans. Inquirentibus autem in tam subitæ mortis caussam,facta sectione, aliquot libræ sanguinis corrupti,ex disrupto in convexa parte tumido & friabili liene, effusæ, in abdominis cavo sese obtulerunt, licet exterius ne vestigium quidem sugillationis compareret. Oblatus etiam haud ita pridem ordini nostro ad ferendum judiciũ est casus de viro,qui inverso rastro forte percussus, paullo post obiit, inventa sub sectione nulla externa macula,aut læsionis mortiferæ nota, sed abdomen cruore ex liene, ad costas usque spurias infimas elongato, discisso, plenum. Uterum vero perrumpi, sæpius quam quidem putatur accidit. Videlicet quando fœminæ per aliquot dies graviter ex partu laborarunt, & retento fœtu, subito occumbunt, post mortem plerumque uterus ex ruptura perforatus deprehenditur, propendentibus,ex hiatu,infantis pariter extincti, pedibus.

§. XXXVI.

De scirrhis viscerum & glã. dularũ.

Dantur adhuc aliæ chronicorum & rebellium affectuum caussæ, quæ licet aliquanto rarius occurrant, eo plus tamen habent in sanando & cognoscendo difficultatis. Sunt autem hæ ipsæ partium scirrhosæ indurationes quæ tum viscera, ex innumeris tenuissimis vasis conflata,tum etiam glandulas,quarum structura identidem mere vasculosa & nervoso-membranacea est,potissimum invadunt. Quum enim ex obturatione tubulorum trahant incunabula, facile colligitur,eas partes, quæ fere penitus ex minimis, & capillaribus vasculis constructę sunt,ejusmodi malis ex facili patere. Sicut autem in abdomine copia glandularum, & varia viscera continentur, ita etiam hæc vitia crebrius ibi conspiciuntur. In primis pancreas, quod totum mere glandulosum est,immo corporis glandula maxima, crebrius quam ullam aliam partem, scirrhosis indurationibus expositum invenimus. Profecto diuturniora illa mala ac vitia,quæ circa digestionem & primas vias in hypochondriacis & hystericis frequenter occurrunt, ut plurimum pro caussa pancreatis inexpugnabilem obstructionem, teste anatome, agnoscunt;unde fit,ut ejus succus deficiens,vel heterogeneo acore imbutus, non solum digestioni & dissolutioni ciborum minus recte infervire possit, sed etiam perpetuus sit acidi corrosivi proventus,qui famem caninam efficit. Denique pancreas etiam penitus induratum in iis, qui ex quartana diuturna laborarunt, sæpius vidi.

In pancreate.

§. XXXVII.

Pylorus & duodenum.

Quumque pylorus eique annexum duodenum copiosis & eximiis glandulis obsideantur, accidit quandoque, ut scirrhosus tumor etiam in iis deprehendatur,qualis tumor,si aliquanto major fuerit, circa dextrum epigastrii latus renitentia se manifestat, & ad tactum digitis comprimentibus, utut non sine dolore,cedit. Pylorum & duodeni principium dum ambit,idque angustat & fere occludit,alimentorum in ventriculo digesta massa neutiquam ad intestina descendere, inque corpus distribui potest,unde fit, ut hoc marcore consumatur. Diutius vero alimentorum massa ibi subsistens,& acidior reddita, ventriculum ad vomitum sollicitat. Præterea ejusmodi duodeni exquisite sentientibus membranis inhærescens tumor,distensione acerbissimum & indesinentẽ dolorem circa ventriculi regionem per

aliquot menses concitat, cujus sævitia somnus impeditur & vires consumuntur.

§. XXXVIII.

In vesica. Vix ulla vero in abdomine contenta pars facilius scirrhis infestatur, quam vesicæ corpus membranaceum & ex parte glanduloſum, cui, præsertim circa cervicem, neque tantum externe, sed & interne, accrescunt. Ita *Miscell. Nat. Curios. Cent. 1. & 2. Obs. 186.* memorat: scirrhosum tumorem exterius vesicæ tam insignem adnatum fuisse, ut totam pelvim impleverit. Produnt ejusmodi tumorem, præter dolorem in pube gravativum, dysuria cum tenesmo, alvi difficultas; in fœminis fluor albus sanguini permixtus. Neque novum est, vesicæ ostio interius tumorem scirrhosum appendi, vel interiorem ambitum orificii in magnam crassitiem excrescere. Hæc difficilem producit mictionem, sique incrementum capit, pæne supprimit, ut urina retenta & vesicam & uretheres farciminis in modū cum exquisito dolore distendat, abdominis sequatur inflatio & febris, quale exemplum notavimus in illustrissimo Comite *de Harrach*, in Carolinis mortuo. Occlusi vero orificii scirrhoso tumore indicium est, catheteris plane negata admissio. Interdum etiam exterius circa ipsum vesicæ collum atque ejus ostium glandulosa surgit excrescentia, quæ urinæ effluxum & catheteris in vesicam ingressum plane impedit, unde abdomen attollitur; de quo videatur *Riedlinus obs. 2. Anno 1697. mense Febr.*

§. XXXIX.

In prostatis. Quandoque scirrhosus tumor non vesicæ cervici adhæret, sed in prostatis consistit. Hic plerumque ex gonorrhœa male curata oritur, & non modo in urina emittenda difficultatem parit, sed & magnitudine increscens, collum vesicæ ita comprimit, ut in totum urina supprimatur, quo casu neque remedia interna & externa urinam prolicere possunt, sed vomitus, & convulsiones supervenientes fatalem diem arcessunt. Quod vero tumor in prostatis consistat, ex eo judicandum, si gonorrhœa præcesserit, ac ad radicem penis renitentia quædam observetur. Frequentissime enim accidit, a coitu impuro & fluxu seminis maligno, inter initia præposterа medicatione excepto, pessimum prostatas cōtrahere vitium, ac induratas in scirrhum densari, qui demum sæpe longo post exulceratur, inque fistulam abit, partes vicinas exedentem, eoque facto, gonorrhœa redditur inveterata ac rebellis, quæ Chirurgos, æque ac medicos, ipsosque potissimum ægros, miserrime exercet.

§. XL.

In mesenterio. Porro mesenterium, in cujus centro copiosæ exstant glandulæ generandis ingentis magnitudinis tumoribus quā maxime opportunum est. Qui atrophia affliguntur, præter abdomen inflatum, quod subinde in pueris conspicimus, obstructas & valde tumidas in mesenterio, testantibus id anatomicorum observationibus, delitescentes glandulas gerunt, quæ liberum iter ac transitum chyli impediendo tabem & marcorem corpori inferunt, intestina humoribus replent, qui fluxuum & frequentium dejectionum causæ fiunt. Nonnunquā accidit, ut ingentis magnitudinis scirrhus, vel plures etiam, mesenterii membranis inhæreant, quibus venter in molem attollitur, ut vel ingravidationem, vel molam, vel hydropem mentiatur; reliquas vero partes corporis tanta sepius absumit macies, ut ossa atque pellis videantur cuncta, qualia exempla passim in observationum medicarum scriptoribus leguntur. Tali in casu id tantum vitandum est medico, ne in prognosi imprudenter delinquat, suamque existimationem lædat. Differt enim ejusmodi tumor ventris a scirrhosa glandularum mesenterii intumescentia productus, a graviditate, magnitudine ingenti & magis magisque increscente, reliquarum partium contabescentia, & quod tumida moles non tam ad ilia & versus dorsum, quam potius

tius ad medium abdominis sese extendat, nec non quod in prægnantibus motus infantis vividus persentiscatur. Ab hydrope autem distinguitur, dum huic tumores pedum œdematosi cum facie plumbea & lurida, urina pauca & rubicunda complicantur, aqua quoque in scrotum descendit & in abdomine impressi digiti vestigia relinquuntur, quæ in tumidis mesenterii glandulis non conspicua sunt. Sed multo difficilius est, a mola, quæ ab auctoribus vocatur nutritionis, & quæ potius excrescentia fungosa utero adnata est, hunc tumorem in fœminis discernere, nisi quod in ejusmodi carnosis molis magnum pondus in regione pubis percipiatur, alvi & urinæ fiat difficultas, & humor peregrinus cum sanguine interdum ex poris & glandulis uteri exprimatur, quod mesenterio affecto non facile accidit.

§. XLI.

In hepate. Præterea scirrhosi tumores frequentius etiam duo illa in hypochondriis magna viscera sita, hepar & lienem, adoriuntur, quia ob singularem venæ portæ structuram, dum vasis advehentis & arteriosi munere fungitur, infarctibus, obstructionibus, & ex iis pronascentibus scirrhis, quam maxime sunt exposita, quibus generandis adhuc eorum structura vasculosa plurimum vel ificatur. In hepate si consistit, & magnam ejus partem occupat, gravativus in dextro hypochondrio percipitur dolor, sæpius etiam prædurus, ac renitens tumor exterius conspicitur ac sub costis spuriis & scrobiculo cordis tangi potest, præsertim si quis ventri incumbat. Cæterum color faciei flavus & luridus est, eademque cum oculis tumida, pedes quoque intumescunt, respiratio est difficilior, & compressione ventriculi post cibum, præsertim flatulentum, anxietas circa præcordia augetur.

§. XLII.

Liene. Quandocunque lien intumuerit, vel etiam in scirrhum abierit, in latere sinistro versus dorsum sub costis spuriis gravativus & pressorius est dolor, qui usque ad præcordialem regionem sese extendit, cachexia quoque in facie conspicua, & ructus ac flatus molestant, languet appetentia, & spiritus difficulter trahitur. Accedentibus doloribus & strictu is, ex animi graviori affectu, vel aliis de caussis spasticis, vomitus cruentus nigricans, vel solus, vel ejusdem coloris dejectionibus conjunctus, quem morbum *Hippocrates* nigrum appellitat, ut plurimum funestus nascitur: id quod sæpius vidi in fœminis adultioribus, sanguineæ complexionis, diu mœrori indulgentibus, immo etiam post paralysin sinistri lateris, post quam & atonia & infarctus lienis incessit. Scirrhum quandoque etiam uterum invadere, ita ut fere totus in illum mutetur, observationum fide constat, & de ejusmodi casu vid. *Misc. Nat. Curios. Cent.* 1. *obs.* 120. Hæc vero adsunt symptomata: premitur vesica & intestinum rectum, hinc urinæ ardor, stranguria, alvi evacuatio atque eximius dolor fixus & stabilis circa pubem, & circa lumborum regionem, vomitum, cibi fastidium & præcordiorum anxietates excitat. *De utero.*

§. XLIII.

Sed transeamus jam ad morborum alias caussas, non ita quidem obvias, misere tamen, & variis modis ægros torquentes, quin ipsum lethum inferentes. Hæ sunt massæ ex variis pelliculis & fibris concretæ solidiores, cordis, & vasorum cavitatibus præcipue majoribus inhærentes, quæ medicis polyporum nomine veniunt. Morbos, quibus sese jungunt, sive acuti sive chronici fuerint, perpetuo fere immedicabiles reddunt, & diligentior cadaverum morte sublatorum anatome nos facit certiores, vix tria cadavera occurrere, ubi non infesti hi hospites conspectui sese offerant. Domicilium vero suum maxime omnium in cordis thalamis, inque principio arteriæ pulmonalis & arteriæ aortæ, rarissime in vena pulmonali habent. Obversatur adhuc animo sereniss mi Holsatiæ Principis, anno ab hinc e vivis sublati exemplum. Hic *De polypis.*

quum de dolore comprimente fixo in ſiniſtro thoracis latere ſupra papillam conquereretur, cum anxietate & anguſtia ſpirandi, pulſu inæquali, cordiſque palpitatione, quibus ędomatoſa pedum accedebat intumeſcentia, ego per litteras in conſilium anno ante obitum adſcitus, polypum adeſſe prædixi, & difficilem fore medicationem, quod præſagium ſectio cadaveris confirmavit, dum quatuor polypi, duo in dextro, unus in ſiniſtro cordis ventriculo & quartus in arteria magna, inventi. Sinus cerebri quando a polypoſo concremento obſidentur, atrociſſimi affligunt capitis dolores, & ad hemiplexiam, quin apoplexiam, via panditur. Præterea polypi non modo ſubitæ mortis, ubi canalium alveos, præſertim dextro ventriculo appoſitorum, claudunt, ſed & ſi pulmonalibus vaſis inhærent, graviſſimæ & ſæpe funeſtæ hæmoptyſeos, catarrhi ſuffocativi, aſthmatis convulſivi, nec non hydropis thoracis, cauſſa ſunt.

§. XLIV.

Signa polypi. Plurimum itaque intereſt, ut medicus hos occultos, infenſiſſimos motuum vitalium hoſtes exploret ac detegat. In quo quidem ſcrutinio tenendum eſt, temperamentum ſanguineum, & habitum corporis anguſtioribus vaſis, fibriſque mollioribus donatum, vitæ genus laboris & motus expers, parciorem potum & uſum eorum alimentorum, quę glutinoſum ſuccum præbent, facileſque ſunt ad coagulum ſubeundum, liberaliorem uſum vini acidi, & ſpirituoſorum, cœnam quoque largiorem, ad generationem ingratorum horum hoſpitum ſymbolum conferre. Proximiora vero & manifeſta indicia, e quibus ipſorum præſentia conjici & dijudicari debet, huc redeunt. Polypi initium arguit compreſſio pectoris & fixus circa cor dolor; ſi vero jam incrementum cepit, præter hæc frequentius, vel levi de cauſſa, recurrit cordis palpitatio, pulſus miris modis inæqualis, & varius eſt, ſæpiuſque notabilibus intervallis intermittit. Tum a motu corporis fortiori, vel medicamento ſanguinem exagitante ſumto, aut ab affectu animi vehementiori, diſpnœa & incredibilis cordis anxietas urget. Poſtremo, lipothymiæ frequentia, ſine cauſſa evidente, vel quæ a certo corporis decubitu provenit, eſt in ſignis polypi præcipuis commemoranda, quibus accedit, quod ſanguis emiſſus in aquam calidam, mox inſtar gelatinæ concreſcat & in filamenta alba mucilaginoſa fatiſcat.

§. XLV.

A polypis uteri hydrops uterinus. Nonnunquam ejuſmodi carnoſæ & membranoſæ involutæ concretiones vaſa uterina opplent, & hinc varia circa uterum & menſium negotium inſolita pathemata occurrunt. Notum ex pathologicis eſt, certam hydropis ſpeciem, quę maxime inferiorem abdominis regionem petit, utero veluti cauſſæ adſcribi, neque male. Etenim ſi libera ſanguinis per ejus vaſa progreſſio impeditur, quod promtiſſime fit, canalium alveis a polypoſis maſſis obſtructis, non poteſt non fieri, quin ingens ſeri copia ſecedens, aut in uteri, aut in abdominis cavitatem, deſcendat. Cl. *Payerus in Hiſt. Anat. p.* 127. fœminam tumore hydropico demortuam diſſecuit, ubi uteri vaſa copioſis molis carneis intus obſeſſa invenit. Ante aliquot annos fœmina generoſa Berolini peculiari laboravit affectu: per aliquot nempe menſes ex utero limpidiſſima aqua, quæ intra viginti quatuor horas interdum libram æquabat, ſtillavit, ægra tandem marcore & febre confecta. Poſt ſectionem uterus magna ex parte etiam polypis quoad vaſa obſeſſus, inventus fuit. Accidit etiam, ut ſerum in hydatides ſive magnas veſicas concedat, quæ ſi fuerint intra uterum ruptæ, aqua ex orificio uteri exſtillat, ſi vero exteriorem uteri ſubſtantiam obſident, humor in cavum abdominis funditur. Referenda huc eſt hiſtoria, quam *Veſalius Lib.* 5. *de corporis humani fabrica cap.* 9. de quadam muliere Auguſtana refert, ſe in ejus

uteri

uteri cavitate serosæ materiæ supra sexaginta mensuras Augustanas reperisse, reliquis visceribus ab inundatione plane immunibus. Et *Mauritius Cordæus Comment. in Lib. 1. Hippocr. de morb. mulier.* notabilem affert historiam mulierishydrope uteri laborantis, in cujus utero & reliquis corporis partibus, plurimæ vesiculæ aqua citrina plenæ, inventæ fuerunt.

§. XLVI.

Hæmorrhagiæ uteri & abortus

Neque dubium est, quin polypi uterini caussa profusissimæ sæpius sint hæmorrhagiæ, non secus, ac qui vasa pulmonum obsident, incoercibilem hæmoptysin proferunt. Quæ frequenter abortiunt fœminæ sanguine redundantes, iis solenne admodum est, ut paullo ante abortum cum ingenti lumborum dolore primo sanguinem, deinde massas carneas ovi gallinacei magnitudine, numero plures, excludant. Has enormis non raro cum animi defectione sanguinis effusio sequitur, & paulo post embryo. Perperam autem hæ massæ habentur pro molis, quæ nihil aliud sunt, quam polyposæ ejusmodi a mucido stagnante intra venas uterinas sanguine concretiones, quibus ejectis, ob vasorum nimiam distensionem & apertionem, largissima sanguinis effusio sequi necessario debet. Id tamen interdum accidit, ut aliquot placentulæ abortivæ in uteri cavitate maneant, ibique auctæ ac induratæ, varia symptomata producant, quorum caussa mola a medicis communiter dicitur & adstruitur, cujus indicia sunt, si intumescit abdomen, tumor vero magis ponderosus & durus est in ventre, nec versus umbilicum extenditur, sed in inguine subsistit, nullus se exserit motus infantis, nec verus, nec calcitrativus, neque circa umbilici regionem, nec exterius percipitur, sed interius debilis & tremulus est, cui multæ præcordiorum anxietates cum tensivis doloribus junguntur. Quandoque cum sæviissimis partus doloribus ejusmodi molæ, quæ nonnisi membranacea concreta sunt, excluduntur, unde venter mox in totum subsidet.

§. XLVII.

De calculis in renibus.

A polypis ad alias res fere leves & ludicras, nihilo minus sæviissimorum, quin lethalium, affectuum caussas nos convertimus, inter quas jure meritoque calculus ex materia tartarea, terrea, mucida concretus, si infelicissime canales vel cavitates eximias & notabiles obstruat, refertur. De renum calculo illud perquam notatu dignum est, eum, quamdiu renum incolit substantiam, nihil molesti sensus creari, simulac vero incipit e sede sua moveri & uretherē ingredi, tunc protinus incredibilis se primo in lumbis, postea in lateribus circa ilia, secūdum uretherum ductum se exserit dolor, quem ordinario fere nausea, vomitus, summa anxietas, extremorum frigus, stupor partis affectæ, ardor urinæ, calor præternaturalis, alvus constricta, contractio testiculi & vigilia, comitantur. Quandoque etiam atroces in ventre cruciatus complicantur, qui, si calculus subito per uretheres transit, atrociissimi fiunt, ut medentum imperitiores, & qui prima vice cum hoc malo conflictantur, morbum potius pro convulsiva & funesta colica, quam pro calculo, habeant. Neque inficiandum est, dolores ex calculo plura habere cum colica spasmodica communia; in eo tamen differentiam esse experientia docet, quod calculus subito & cum atrocia invadat, principium in lumbis habeat, ventriculum ad nauseam & vomitionem sollicitet, & in urina crassius sabulum conspiciatur. Tandem nec hic prætereundum est, quod, si ren male affectus & prægrandibus calculis obsessus fuerit, flatus in intestino colo ejusdem lateris stagnantes dolorem ibi satis molestum procreent, vel quod eum e sede sua dimoveant, vel quod mutuo contactu & attritione intestini flatibus distenti, & renis calculis expansi, dolor ille suscitetur.

§. XLVIII.

In uretheribus. At vero longe majores moleſtiæ ſũt, quas calculus uretheribus firmius ac diutius impactus, efficit. Dum enim urinæ liberum in veſicam fluxum intercipit, pertinax fit dyſuria & feralis urinæ ſuppreſſio, quæ etiam pro diverſo ſitu calculi certis ſuis notis ac indiciis dijudicanda eſt, quas hoc loco exponere, non erit incongruum. Ubi urina ſupprimitur & calculus uretheris cavitatem obſtruit, veſica eſt vacua, catheter poteſt immitti, ſed parum humoris elicit, tantaque eſt doloris circa illa atrocia, ut ſpaſtica conſtrictio etiam alterum uretherem in conſenſum rapiat. Si vero calculus, vel etiam ſanguinis grumus, circa orificium uretheris, ubi obliquo ductu per veſicæ membranas tranſit, hæret, veſica etiam ab urina vacua eſt, immanis cruciatus in inguine ſentitur.

§. XLIX.

In veſica. Deinceps ſicut calculus in renibus, ita etiam qui in veſica deliteſcit, & urinæ egreſſum impedit, certis dignoſcitur indiciis. Videlicet ægri de tumore & dolore in pube conquerunrur, urina guttatim ſtillat, quando q; cum horrendo cruciatu, & ſæpius craſsũ ac puriforme ſedimẽtum deponit, permixtis moleculis, nunc carptam lanam, nunc vermiculos, referẽtibus. Interdum accidit, ut urina copioſiſſima reddatur, quandoque alvus & urina ſupprimatur, & abdomen ad lapidis duritiem cũ dolore circa pubem acutiſſimo, & horrore moleſto diſtendatur. Nonnunquam alvus ſubducitur cum flatu & larga lotii emiſſione. Si atrox dolor adeſt, anorexia, febris & conſtrictio alvi urget, & urina pauca, pallida tamen, cum magno niſu & moleſtia excernitur. Hæc ſymptomata potiſſimum affligunt, ſi quando lapis ſcaber, non adeo magnus, & figuræ complanatæ ac ovalis, orificium tegit obſtruitque, & ab aſperitate, & attritione dolorificus ſpaſmus fit, qui tam atrocia gignit ſymptomata. Per intervalla veſicæ calculo laborantes, præſertim ſub boreali aeris ſtatu, itẽ flatibus retentis, & alvo obſtructa; graviori cruciatu & pondere laborant, mictio fit ſæpius purulenta, in ſenibus jungitur teneſmus, membri pruritus, & alvi cum urina ſuppreſſio eſt, quandoque etiam ipſe anus procidit: pro ſitu vero corporis variante levamen accipiunt.

§. L.

De calculis veſicæ felleæ. Quod attinet ad veſiculam felleam, neque hæc a calculoſis concretionibus libera deprehenditur, ſed ſæpiuſcule calculi ingentis magnitudinis ejus cavitatem totam replẽt, interdum numero plures, varię figurę ac magnitudinis in ea deliteſcunt, & gravibus ſymptomatibus corpora affligunt, quæ tamẽ non eadem, ſed diverſimode comparata, prout vel ingens calculus veſicam ipſam male afficit, vel plures per ductum cholodochum tranſitum moliuntur. Quandocunque fellis veſica tota fere lapillis turget ac repleta eſt, pertinax cum gravativo & continuo dolore dextri hypochondrii icterus, omnium remediorum efficaciam eludens, corpus flavedine tingit, cui ſi diuturnior fuerit, morbus aquatus adjungi ſolet. Quibuſdam continua nauſea vel etiam ciborum vomitio, in aliis atrociſſimus iſchiadicus dolor & aſthma diuturnum conjunguntur. Præterea quibus ingens in fellis veſicula calculus eſt, ab iracundia inſolentia ſymptomata patiuntur. Nam quando a vehementiori iracundiæ affectu ſpaſtica, ut ordinario ſolet, ductuum biliariorum conſtrictio fit, liber bilis in duodenum effluxus impeditur, ipſaque regurgitat ad vaſa biliaria felleamque cyſtidem, inde efficitur, ut, quum calculis cyſtis jam repleta ſit, a bilis copia ductus valde ſenſibiles diſtendantur, hinc ob conſenſum non modo acutiſſimus abdominis dolor, præcipue in dextro hypochondrio oriatur, ſed & tanta reſpirandi fiat anguſtia & difficultas, ut ſuffocationis periculum appareat, alvo ſimul adſtricta & extremis refrigeratis.

§. LI.

§. LI.

Et per ductus biliarios rendentibus.

Si vero ipse calculus transitum per ductum cysticum & cholodochum, qui intra membranas duodeni fertur, affectat, fixus & intolerabilis circa eam regionem, qua ductus cholodochus duodeno inseritur, in dexto hypochondrio est dolor, cum molestissimo vomendi conatu, nausea, appetitus dejectione, colore cutis intense flavo, membrorum lassitudine, alvi duritie: quæ symptomata una cum flavescente cutis colore, repente & ex toto solent remittere, excretis per anum calculis pondere levissimis, & tunc ipsa cutis nitorem suum recuperat. Confirmatum hoc habemus notabili exemplo. Erat quippe honoratior quidam vir, sexagenario jam major, qui post diuturnum in dextro hypochondrio comprimentem ac obtusum dolorem, in spiritus difficultatem incidens, paulo post œdematoso pedum primum ac postea hydropico crurum, scroti & abdominis tumore afficiebatur, & aliquandiu affligebatur. Huic præscribebat medicus infusum purgans, cujus basis cortex medius sambuci, a quo efficaciter purgabatur, & plures lapillos, planæ & acuminatæ sexangularis figuræ, nigricantes ac leves, plus quam viginti numero, per alvi secessum excernebat, quo facto, asthma disparuit, tumor subsedit, & cum valetudine in gratiam redire visus est, quæ tamen, sive ob ætatem, vel priorem longum morbum attritis nimium viribus, minus constans erat, sed hydropi paullo post iterum implicitus, naturæ debitum solvit.

§. LII.

De vermibus.

A calculis progredimur jam ad alias ludicras res, quæ tamen potentissimæ sunt ad corpora humana tam misere affligenda, ut non majora propemodum tormenta possint excogitari. Et hę sunt varia ratione figuræ & magnitudinis insecta, sive vermes, qui maxime ventriculum & alimentorum magnum illum canalem inhabitant, ibique nidos & hospitia sua habent. Non eadem vero, sed diversa pro locis, quibus insident, & prout varię eorum sunt species, pathemata observantur. Si rotundi proboscide & pedunculis quasi totidem uncis instructi fuerint, graviter rodunt, lancinant, & interdum membranas perforant. Hi quando ventriculum obsident, incredibilis ejus morsus cum inexplicabili dolore, anxietate, inquietudine, nausea, salivæ fluxu infestat; fœtidus ex ore vapor halat, vultus mox pallet, mox rubet, narium adest pruritus, vomendi cupiditas sicca ac molesta tussis per intervalla affligit, animique defectio frequentius jungitur. *In ventriculo.*

§. LIII.

In ileo lubricis.

Si in intestinis, præsertim ileo, cui lubentissime insident, eo quod amarorem bilis minus ferre possunt, nidum suum habent, hæc sunt indicio symptomata: venter mirifice, præsertim in infantibus, distenditur, ut tympanitide laborare videantur, alvi subinde nimia jungitur dejectio, qua feces fœtidæ coloris cinerei, stercori bubulo similes, secedunt, partes superiores tabescunt, ita prorsus, ut nonnisi ossa cohærentia conspiciantur, licet multum appetant. Facies plerumque pallet & tumida est, cum excrementis ramenta quædam, seminibus cucumeris vel cucurbitarum similia ejiciuntur. Lumbrici dicuntur hujus intestini incolæ, qui plerumque lati sunt & longi & mirifice se convolvunt, neque tam alacres sunt, quam rotundi, sæpius quoque obtussim, febrem & lateris dolorem pleuritidem mentiuntur, quæ tamen a vermium symptomatibus, dolore sub costis spuriis, febre acuta & tussi sanguinolenta distinguenda.

§. LIV.

In vrasitis ascaridem.

Quod attinet ad ascarides, neque hæ obscuris indiciis se produnt. Hospitium suum quam maxime in intestinis crassis.

sis quærunt, & frequentius ac copiosissime recto insident, similesque tineis sunt, & manipulatim sæpe alvo ejiciuntur, quin ex ano non raro prorepere & muliebribus pudendis se insinuare solent, ut cum urina in matulam descendant, sæpiusque incautioribus medicis imponant, ac si ex vesica prodiissent. Utut vero multa cum reliquis insectis communia habeant, si inflationem abdominis, si maciem, si nauseam respiciamus; in eo tamen quædam est differentia, quod multus ac gravis pruritus in ano percipiatur, & alvus ad deponendum frequentius sollicitetur, odoremque identidem fœtidum excrementa exhalent. Hæ vermium species natu etiam majores, præsertim fœminas luxui & otio indulgentes, divexare solent.

§. LV.

Insolita inde symptomata.

Præter memorata hactenus e vermibus gravia symptomata illud adhuc notandum est, quod febres subinde eos invadere soleant, qui vermibus exercentur, quę ex lentarum & putridarum sunt numero & similes quotidianis, nullumque servant typum, sed sunt erraticæ, cum pulsu inæquali, frequenti & obscuro. Neque dubium est, quin ex vermibus in putredinem fętidam colliquescentibus exsurgant. Porro etiam non prætereundum, quod vermes præsertim minuti, quos sex pedibus cum nigro capite instructos vidimus, si nerveas tunicas intestinorum graviter lancinant, arrodunt, mirabilia atque insolita, quæ ab imprudentiori vulgo incantationibus solent adscribi, symptomata producant. Videlicet sunt inter exempla verminantes, quos convulsivæ artuum ad stuporem usque tractiones, distensiones & incredibiles circumgyrationes, miro torquent modo, mox aphonia tentantur, mox aliena, & male cohærentia cum mentis turbatione loquuntur, stridentdentibus, in furorem agitantur, dœmonia se videre asseverant; remittit tamen sæpius hęc symptomatum sęvitia, si nimirum vermes a rosione desistunt. Tam valde gravis vero symptomatum violentia non aliunde repetenda videtur, quam quod universum genus nervosum, a vehementi rosione tunicarum intestinalium, mutua consensione & communicatione in exorbitantes hos motus rapiatur.

§. LVI.

De flatibus.

Neque in hac latentium caussarum morbificarum consideratione silentio transmittendi flatus, qui utut res levissimi momenti videantur, tantas tamen anxietates, cruciatus & insolentia in dissitis etiam partibus symptomata concitant, ut vitam in summo discrimine positam credas. Caussa horum utplurimum est tenax & viscida copioso aere plena materia, quæ a calore in halitus, quibus inest magna expansiva vis, resolvitur; accedit tamen etiam atonia, sive paralytica quædam resolutio, tunicarum ventriculi & intestinalium, qua fit, ut nimium a contentis vaporibus expandantur, præter naturam huc illuc trahantur, demumque per consensum atroces passiones accedant. Discrepant tamen symptomata a flatibus pro differentia locorum, quæ patiuntur. *In ventriculo.* Ventriculus quidem ab iis inflatus, & per omnem ambitum fortiter expansus, summas præcordiorum anxietates & spirandi ad suffocationem usque angustiam, cum faucium constrictione efficit, atque inferior ejus pars sub cordis scrobiculo versus latus dextrum, instar vesicæ turgidæ, ovi gallinacei magnitudine, sensibus & tactui sese offert, demum ructus superveniunt, quibus flatibus exitus conceditur, & anxietatum fit allevatio. Et hæc ventriculi inflatio frequentissima est hypochondriacis, nec non hystericis, in quibus sæpe tanta ut ea affectæ, ob interceptum diaphragmatis descensum sine omni sensu & motu jaceant, & respirationis successus vix observetur.

§. LVII.

In intestinis.

Sæpius quoque intestina torquet flatuum

flatuum proventus. Si quando accidit, ut tota intestinorum moles flatibus mirifice distenta, ingentem abdominis tumorem efficiat, dolores atroces cum alvi adstrictione exsurgunt, qui affectus colica flatulenta vocari solet. Quæ distensio ubi est diuturna, ob intestinorum quandam paralysin & viscidæ materiæ copiam intus hærentem, abdomen instar tympani expanditur; tandem jungitur cachexia & tabes, ac morbus vocatur tympanitis. Frequentius vero contingit, ut tantummodo partes quædam intestini, præsertim coli, flatu dolorifice diducantur, quod circa hypochondria utraque sæpissime obvium, quia colon ibi in flexuras curvatur, quæ impediunt, quo minus & flatus & alia contenta promte transeant, sed stagnent. Familiarissime id in hypochondriacis evenit, & perperam dolor ille tensivus sinistri lateris, pro tumore & inflatione lienis a medicis anatomes ignaris habetur, eo quod lien in homine non hypochondrio, sed in dorso, sub diaphragmate situm obtinet. Testatum etiam faciunt observationes, quod in osse ilei dextri ingens & dolorificus tumor quandoque diutius per intervalla affligat, & a cibis flatulentis sumtis exacerbetur, hanc ob caussam, quia principium coli satis capax & membranis robustis motricibus instructum, ut sursum excrementa propellere possit, hic constitutum, quod adeo ampliatur, ut cum exquisito dolore ipsa integumenta extrorsum urgeat, & periculum ruptionis sit, quod etiam quandoque factum observationes practicæ & anatomicæ confirmant. Ejusmodi vero flatulentos tumores exinde licet cognoscere, si ad emissionem flatuum vel ejectionem materiæ tenacis copiosæ, per vomitum aut secessum, tumores cum dolorum alleviatione minuuntur. Dolores lumborum, pulsuum intermissio, dolores in osse coxendicis, tumores pedum œdematosi, sæpe solis flatibus intestina distendentibus & vasa vel nervos comprimentibus debentur, & datis carminativis ac clysteribus, conquiescunt.

§. LVIII.

De erosione vēntriculi & intestinorū.

Restat demum alia caussa abstrusa memoranda, quæ in ventriculo neque minus in intestinis consistit, rariusque animadvertitur, mortis tamen & gravissimorum morborum genitrix est. Est hæc ventriculi vel etiam intestinalium tunicarum erosio, quæ vel ab erodentium acidorum succorum copia in hypochondriacis, vel ab iracundia vehementi & frequenti, vel a sumto veneno emetico vel purgante acriore accidit, vel etiam post choleræ, dysenteriæ aut diarrhœæ morbum relinquitur, & affectus est chronicus, ab inflammatione, quæ celerum passionum præcipua, distinguendus. Ventriculus & duodenum, quando erosa, continuus & fixus dolor est circa præcordia, tensivus, tractorius, interdum cum ardoris sensu, qui usque ad dorsum porrigitur, & summas anxietates circa præcordia parit, ipsum quoque jugulum petit, mirumque vires atterit, atque nauseam & inclinationem ad vomitum suscitat. Post omnem medicinam aut cibum aliquanto intemperatiorem, qui salsæ, calidæ, acidæ, spirituosæ, acris est naturæ, exacerbatur, ac inprimis a purgantibus atrocissimus redditur; demulcentia vero, humectantia atque emollientia, & optime medicamenta ex chamomilla & millefolio ferre potest: pulsu demum accedente celeri hectico, res est conclamata. Quod si in intestino quodam ejusmodi erosio fuerit, identidem dolores in abdomine ac dorso cruciant, qui semper assumtis calidis, salsis, acidis mirum exacerbantur, dejectiones alvi sunt creberrimæ, & varia caloris & frigoris est in corpore vicissitudo, urina mox tenuis & aquosa, mox rubicunda & crassa mingitur, malum etiam admodum diuturnum est, vires depascit, corpus consumit, longum certe tempus & accura-

tam

tam ac demulcentem diætam, plus quam medicamenta, præsertim activiora, desiderat. Et affectus senibus cessantibus hæmorrhoidibus non adeo rarus est.

CAPUT VIII.

De damnis ex cohibita cuticulari excretione.

§. I.

Sed & excretiones sunt necessariæ.

QUicunque artificiosissimam corporis nostri machinam, partiumque in ea admirandam configurationem paullo curatius perlustrat, eandem ex numerosa organorum secretoriorum & excretoriorum congerie maximam ex parte coagmentatam esse animadvertit. Tanta enim secretionum & excretionum ad vitam cum sanitate tuendam utilitas est atque necessitas, ut sine iis corpus nec vivum, nec sanum, nec robustum, nec ad exsequendas animæ actiones idoneum esse, neque etiam augescere, & ad legitimum incrementum pertingere possit. Videlicet corruptibile est corpus humanum, nec a putredine immune durare potest, nisi perennis sanguinis omnisque generis fluidorum, mediante vigore systoles atque diastoles in solidis, progressivus motus libere succedat, cum quo simul intestina partium sanguinem constituentium calida agitatio augetur. Sub hoc autem progressu maximeque intestino mutuo attritu sanguinis, moleculæ aliam figuram, texturam ac magnitudinem nanciscuntur, & a blanda temperata schesi descisentes, salino-sulphuream, vel etiam viscidam, utramque vitæ adversam naturam, induunt. Quare opus est, ut succi intemperati, nutritioni & motibus vitalibus continuandis inutiles facti, a purorum connubio segregati proscribantur, ac in eorum locum temperati, blandi satisque fluidi, per congrua solida & liquida alimenta, denuo substituantur. Quod quidem quum per saluberrimas secretiones atque excretiones perficiatur, earundem utique necessitas, neminemque diu sine cibo & potu vivere posse, luculenter patet.

§. II.

Ac egesta respondere debent ingestis.

Deinceps hæ ingestiones atque egestiones reciproce certa proportione sibi respondere, in iis autem, qui legitimam corporis firmitatem jam adepti sunt, æquales esse debent. Hinc est, quod adultum corpus lance libratum, elapsis octo diebus eandem gravitatem exhibeat, licet interea a robusto & laboribus operosis occupato, vel centum alimentorum libræ ingestæ sint; quin si pondus increvit, nec omne quod ingestum iterum egestum, restibile in vitio est, ac morbus certo præstolatur. Etenim universa œconomia animalis non solum certo numero pondere & mensura, sed etiam debita proportione, ac moderamine, tam ratione materiæ, quam motuum, maxime gaudet, ab omni autem excessiva qualitate & quantitate, motuum æque ac materiæ, sive humorum, læditur atque offenditur.

§. III.

Quod a Medico observandæ.

Quapropter ad sanitatem ipsamque vitam tuendam, plurimum utique refert, ut Medicus & ingestorum & egestorum curatam habeat rationem. Nam profecto optimum corpus a præmatura morte & morbosis varii generis afflictionibus defendendi modum, in eo quam maxime versari cum *Hippocrate lib. de diæta*, censeo: ut mensura ingestorum ad vires, immo ad motum & exercitationem corporis, exacte accommodetur, tenendo, corpus quo robustius, quo magis viribus pollet, majora vasa firmioresque fibras obtinet, & plus ferre posse atque subigere. Ex ingestis autem quæ facilius solvuntur, & vasa atque excretoria promte subeunt, aliis salubritate præstant; viciſſim, quæ ægrius digeruntur, minusque expedite emunctoria pervadunt, sed passim restitant,

vale-

valetudini infensa, hæc interdicenda, illa suadenda. Quin, is demum, qui ex ingestorum & egestorum natura, indole ac mole, morborum caussas & primordia derivare novit, prudens Medicus dicendus est atque peritus.

§. IV.

Excerniecula hunc in finem sunt varia.

Quum vero ea, quæ in pabulum assumuntur, non unius sint ejusdemque, sed admodum dissidentis naturæ & facultatis, alimenta quippe viscida, salsa, acria, acida, sulphurea, spirituosa, texturæ quoque compactioris, excessivæ omnia indolis, sapientissima certe summi opificis providentia factum est, ut varia emunctoria in corpore fabrefacta sint, quæ singulorum genio, cunctisque heterogeneis evehendis, apprime respondeant. Nimirum residuæ ex alimentis feculentiæ per alvum secedunt, ac cum his non solum scoriæ bilioſæ, plurimis salino-sulphureis recrementis refertæ, sed etiam mucus in glandulosa crassorum tunica secretus. Sero recrementitio, crassioribus & terrestribus sulphureis moleculis onusto, urina dicto, renale dicatum est colatorium. Et copiosa aquea portio, tenuibus salino-sulphureis particulis imbuta, ex cutis spiraculis sub perspiratione, quæ sensibili & insensibili modo jugiter in corpore succedit, exhalat atque difflatur. Tacemus mucida illa purgamenta, quæ in narium, palati & bronchiorum glandulosa substantia secreta & collecta, screatu & munctione rejiciuntur.

§. V.

Perspiratio suppressa maxime noxia.

Per omnia hæc organorum excernentium emissaria, recrementa jugiter e corpore eliminantur. Quod quemadmodum si debito tempore & sufficienti copia perficitur, integritatem corporis & functionum in eo fulcit atque tuetur; ita vicissim si segniter minusque sufficienter succedit, plures & gravissimas, præsertim chronicas passiones, pullulare atque excludi prona eluescit consequentia. Quam grave autem detrimentum & saluberrimarum excretionum defectu in valetudinem redundet, speciatim & accurate in *tomo secundo Medicinæ rationalis systematicæ*, & quidem *Part. III. cap.* 4. de excretionum defectu præcipuo morborum fundamento; *cap.* 6. de perniciali eorum, quæ excretiones cohibent indole; *cap.* 7. de epidemicorum morborum origine ex transpiratione impedita, exposui. Quapropter ibi dicta heic lubens mitto, & potius id maxime jam excutere ac demonstrare allaborabo, ex omnibus evacuationibus suppressis, vel deficientibus, nullam esse, quæ majorem noxam ac periculum corpori minetur, & caussa sit innumerarum passionum, quam perspiratio & insensilis illa subtilissimarum sordium, per universi corporis corticem porulis pervium succedens emissio, si impediatur, cohibeatur, materiaque excernenda in corpore remaneat, vel ad exteriora jam appulsa, ad interiora relabatur.

§. VI.

Quia excretionū præcipua.

Enimvero depuratur in universali corporis emunctorio, cute, universa sanguinis & humorum massa, & tam copiosa per istud contingit excretio, ut ex *Sanctorii* calculo, omnes reliquas quantitate superet. Hac itaque suppresa maxima recrementorum pars restitat, omnes corporis succi sorditiem contrahunt, corrumpuntur, ad putredinem disponuntur, ut valetudo inde gravissime luat. Quod vero maximum est, ipsæ sordes, quæ sub perspiratione exhalant, valde tenuis salinæ sulphureæ & aereo-æthereæ activæ indolis sunt. Hæ enim in corporis penetralibus retentæ, vel ex cutis tubulis retrocedentes, haud secus ac mortiferum venenum, quod exigua mole & summa partium tenuitate acri caustica pernicialem vim in nervosis maxime partibus exsequitur, ob penetrantem subtilitatem, promte per universum corpus infesta semina spargunt, intimæ ad partes exquisite sentientes sunt admissionis, easdemque atro-

Et sordes maxime pernicias evehit.

atrociſſime adoriuntur atque exagitant, ut vehementiſſimæ, immo lethales, in nervoſarum potiſſimum partium genere, oboriantur affectiones.

§. VII.

Defectus perſpirationis cauſſa potiſſimum aer.

Inter ea vero, quæ ad ſufflaminandam ſaluberrimam perſpirationem faciunt, aer potiſſimum connumerandus. Hic enim ſicuti purus ac temperatus ſanitati egregie patrocinatur; ita viciſſim exceſſiva qualitate prædituſ, eandem graviſſime labefactat, hanc maxime ob cauſſam, quod immediate corporis corticem ambiat, ejuſdemque tonum varie alterando, ſuccedentem per ſubſtratos tubulos ſordium excretionem dirigat ac moderetur, intendat, vel frequentius cohibeat. Nimirum ſi nimis frigidus, nervis inimicus eſt, ſuccos coagulat & fibras rigidas reddit, unde non ſolum ad affectus ſpaſmodicos diſponit, ſed etiam cutis poros & vaſa nimium coarctans, ad interiora urget humores, ſtagnationem demum ac ſtaſin concipientes. Nimis humidus tonum ſolidorum laxat ac ſolvit, ut liquida languide circumagantur & ad emunctoria ipſoſque ſubcutaneos tubulos non vegete appulſa ſordeſcant, morbique ex atonia & humorum impuritate oriundi pullulent. Nimis calidus rarefacit & diſſolvit corporis ſuccos, ac inteſtinum motum augendo, acres & bilioſos reddit, licet perſpirationis ſucceſſui non officiat, niſi ſimul humidus ſit, & ſic ad morbos malignos viam ſternat. Potiſſimum autem cuticulari excretioni obeſt frigido-humidus, quippe qui humores incraſſando & fibrarum elaterem minuendo, efficit, quo minus ſucci ſpiſſeſcentes per minimos canales ad corporis corticem trudi, & remiſſo nimis colatorio, ſordium ſecretio atque excretio rite perfici poſſit.

§. VIII.

Unde morbi anni temporibus familiares.

Inſuper aeris tempeſtatumque inſalubris conſtitutio, ac inde pendens in perſpirationis ſucceſſu mutatio, plurium morborum cauſſa eſt, qui certis anni temporibus, quandoque etiam epidemice, graſſantur. Sapienter hinc ab *Hippocrate lib. de humor.* §. 7. proditum eſt: *qualia ſunt tempora, tales etiam ſunt morbi & conſtitutiones ex ipſis. Si tempora tempeſtive & ordinate ſe habuerint, morbi judicatu faciles fiunt. Vernaculi autem temporum morbi indicant mutationes, & prout variaverit tempus, ſimiles aut diſſimiles erunt morbi, qui in hoc tempore oriuntur.* Qui vere enaſcuntur, ita ſunt comparati, ut ob atmoſphæram inæqualem & mutabilem, elater fibrarum & maxime tonus cutis mirifice labefactetur, & retardato ſanguinis circulo, excluſione quoque ſordium per halitus diminuta, & plethora & impuritas, proximæ morborum cauſsæ, ingignantur. Æſtatis morbi non tam calori, quam potius aeri frigidiori & humidiori, qualis tunc ſolet eſse nocturnus & matutinus, poros occludenti, debentur. Autumnus omnium morbiſiſſimus eſt, nullam aliam ob cauſsam, quam quod ob crebriorem cœli ex frigido in calidum, humido in ſiccum, & vice verſa, mutationem, æqualis ſanguinis progreſſus & libera ſordium exhalatio intercipiatur. Et hiems ob frigus, tam ſiccum, quam humidum, tranſpirationem impedit, eaque propter variis morbis inducendis favet, quos una cum vernalibus, æſtivis & autumnalibus ſigillatim recenſet *Hippocrates Sect. 3. aphor. 20. ſeqq.* nec non *Celſus lib. 2. cap. 1.*

§. IX.

Morbi quoque epidemii.

Inprimis autem nocent aeris tempeſtatumque viciſſitudines, & ſi diu durant ſæpiuſque repetunt, morbos qui populares habent circuitus excludunt; eo quod æquabili cutis tono, ſub quo maxime viget libera perſpiratio, nihil magis adverſum eſt, eumque deſtruit, quam repentina mutatio aeris calidi in frigidum, vel humidi in nimis calidum. Hinc certa & conſtanti experientia in comperto eſt, quod ſi calefacto per fervidum vernum vel

æſti-

æstivum æstum corpore, & resoluta, sub calore intestino motu intenso in excrementitias sordes humorum massa, tempestas postea subito aquilonaris & frigida succedat, qua constrictis spiraculis sordes reprimuntur, accumulantur, mutuo quasi confermentantur, iisdemque nervosis, ac membranosis partibus inhærescentibus, febriles, spastici & convulsivi motus, varii generis febres, sæpius exanthematicæ, variolosæ, morbillosæ, purpuraceæ, alvi quoque fluxiones plus vel minus cruenæ, oboriantur, ac plures corripiant. Etenim id ceu perpetuum in genere est observandum: quo major materiæ impuræ salino-sulphureæ tenuis, perspiratione eliminandæ, in corpore proventus est ac copia, eo magis infestum & periculosum est, si ejusdem excretio impeditur, intercipitur, vel cohibetur.

§. X.

Nec non endemiis. Ex eodem porro fonte morborum, qui certis locis familiares sunt atque vernaculi, origo arcessenda. Testantur quippe Medicorum commentaria, Hungariam & Italiam preferre febres pessimæ indolis acutas, cum vehementi cephalalgia & delirio junctas. Jam vero identidem constat, eam Hungarici cœli esse qualitatem, ut æstus diurnus sit ferventissimus, eundemque frigus excipiat nocturnum satis horridum. Huic itaque si corpus prius æstuans incautius, maxime ab iis, qui in castris excubias agunt & sub dio morantur, committitur, perquam facile febris illa Hungarica dicta acuta accedit, quam perperam vulgo liberaliori vini Hungarici, quod stipendia merentes vix degustant, potui tribuunt. In Italia autem & maxime Romæ, idem febrium acutarum & malignarum genus sæpius stragem edit, nullam pariter aliam ob causam, quam quod interdiu æstus vehementissimus, & noctu algor regnet, cui si improvide sese exponunt incolæ, vel fenestras aperiunt, ut aer nocturnus, qui ob copiam insectorum atmosphæram incolentium, identidem valde insalubris, corpori allabatur, illico postero die mutatio in corporis functionibus & inclinatio ad febrem præsto est, quæ nisi præscinditur, vires sumit, & non raro funestum sortitur eventum.

§. XI.

Pariter ac scorbutus. Neque vero tantum acutas, verum etiam chronicas endemias passiones, interceptus cuticularis excretionis successus, affert. Certe genesis scorbutici mali, quod nonnisi maximus impuritatis gradus est, non aliunde quam ex hac origine repetenda. Quo magis enim in humoribus vitalibus crescit impuritas, ex incongruis & minus temperatis assumtis, eo plus vigere debet excretionum, inque primis perspirationis negotium, eoque sufflaminato, eo gravior metuenda est noxa. Jam vero in confesso est, in regionibus maritimis & borealibus incolas crassiori victu uti, copiosius carnibus ac piscibus salsis, infumatis ac induratis vesci, & densa, frigida ac humida atmosphæra frui. Sub hac itaque cœli victusque ratione, non modo crudi & multi male cocti succi ingignuntur, sed & ob perspirationem segniorem, quam plurimæ excrementitiæ salinæ viscidæ sordes in corpore remanent, quæ simul alia emunctoria obstipant & occludunt, præsertim si vita sedentaria motus expers, animi crebrior perturbatio & mœstitia accedit, quo demum fit, ut humores benigni, serum & lympha, a miscella particularum varii generis salinarum inquinentur, putridi fiant, corrumpantur, & pro diversa corporum & temperamentorum conditione, vel vappescant ac lente putrescant, vel etiam summam fixam & volatilem acredinem contrahant. Et hac ex sentina, omnia pathemata scorbuticis solennia manant, oris fœtor, maculæ lividæ, gingivæ putridæ, ulcera fœtida ichorosa, inclinatio ad sphacelum, artuum dolores fixi & vagi, spasmi & convulsiones, tormina ventris, tremores & contracturæ artuum, aliaque id genus plura.

§. XII.

§. XII.

Febres & defluxiones catarrhales.

Quæ omnia ſicuti vitam in grave diſcrimen adducunt; ita quid ſubitanea aeris, ac inde facta excretionis per cutis poros mutatio, ad ſanitatem labefactandam valeat, quotidianis adhuc experimentis confirmatum habemus. Nimirum quando ex conclavi valde calefacto, vel ex lecto calido, in auram frigidiorem ſubito concedimus, horrore corpus e veſtigio corripitur, & ſuppreſſa perſpiratione, materia acris excrementitia in interiora maximeque glanduloſas tunicas faucium, oris, narium & bronchiorum vergens, tuſſim, coryzam, defluxiones & febres catarrhales conciliat. Pariter frequenti experientia edocemur, nihil ad ingenerandas acutas paſſiones & febres magis conferre & aptius eſſe, quam ſi quis graviori iræ affectu, vel liberiori ſpiritus vini potu, aut fortiori corporis exercitio æſtuans, in auram humidam & frigidiorem, præſertim veſpertinam, delatus, paulo diutius in ea verſatur; quandoquidem hoc facto, facilis admodum in febres, & intermittentes, & acutas inflammatorias, eſt lapſus.

§. XIII.

In Carolinis febres ab ecclufis poris gignuntur.

Nihil vero eſt, quod ſubitam febrium generationem ex perſpiratione cohibita clarius demonſtrare & illuſtrare poteſt, ac intempeſtivus & imprudens thermarum Carolinarum uſus externus in balneo. Nam ſi quis corpore paulo pleniori & impuriori, ante ſanguinis miſſionem vel debitam aliam præparationem, deſcendit in balneum nimis calidum, & aliquandiu in eo commoratur, non tantum inde experietur inſignes cordis tremores, languorem & cephalalgiam, verum etiam febrem intermittentem plerumque, nonnunquam continuam, cum præcedente horrore, dolore dorſi & anxietate ſumma. Quod vero hoc balneum præ aliis id ſingulare habeat, quod tam facile, atque ex tempore quaſi ſuſcitet febres, hæc vera mihi videtur ſubeſſe ratio: tum quod nulla alia tam fervidi caloris thermalis aquæ reperiatur, tum etiam quod largiorem quam ulla alia terræ martialis ochreæ & calcareæ adſtringentis, in lapidoſas concretiones pronæ, copiam in ſinu foveat, quo fit, ut uſu externo ſubito tumores œdematoſos intro repellat & abigat, diuturna ulcera conſolidet, puſtuloſas & ulceroſas cutis deſœdationes & eroſiones ſiccet, & ſic efficacem poros & tubulos ſubcutaneos conſtringendi facultatem luculenter prodat. Si quis itaque in balneum hoc nimis calidum corpus immittit, ab externo calore ſanguis æſtuatur & in magnam inteſtinam agitationem, præſertim ſi jam copioſus & impurus, abripitur, exterius vero ob conſtrictos poros particulæ aereo-ſulphureæ non exhalare poſſunt, ſed eædem inſultantes in partes nervoſas, arteriarum ipſiuſque cor ſyſtoles & diaſtoles motum valide intendunt, & ita febrem accendunt.

§. XIV.

A tranſpiratione cohibita excerbantur morbi ex impuritate.

Præterea excretionis per cutis poros rite ſuccedentis utilitatem, & ſuppreſſæ noxam luculenter teſtatur, quod qui impura habent corpora, ſive humores excrementitiis partibus refertos, ut ſunt podagrici, arthritici, æſtivo tempore, quo liberius & copioſius ſordes per ſubcutanea ſpiracula difflantur, a paroxyſmis & ſymptomatibus immunes degant; brumali autem & autumnali, gravius affligantur, quia aere circumfluo denſo, atque cõpreſſo, perſpiratio imminuitur, ſordeſq; excrementitiæ magis retinentur, gravius detrimentum corpori certo allaturæ. Eadem ratio ſubeſt, quare ſenes, quum ob cutis poros & vaſa minima ſtrictiora, non tam liberam & copioſam per cutis poros experiantur evacuationem, quam viri & juvenes, ab impuritatibus reſtitantibus morbos ætati ſenili infeſtos incurrant, ut ſunt maxime ſcorbutus, calculus, ulcera veſicæ, ſcabies, tormina inteſtinorum, diarrhœæ, ſtranguriæ, oculorum & aurium vitia.

Et ſenibus familiares gignuntur.

§. XV.

§. XV.

De damnis a repulsa materia perspiranda.

At vero licet magni & graves morbi a prohibita perspiratione & remanentibus intus sordibus originem ducant: longe sæviora tamen, & quæ plus periculi habent, pathemata pullulant, si quando materia excrementitia, a cõnubio sanguinis jam tum segregata, & ad cutis peripheriam tubulosque subcutaneos salutariter propulsa, foras non ejicitur, sed ibi subsistens ac ad interiora recedens, cum succis vitalibus denuo nupta fuerit. Hæc enim certe materia veneni vim & naturam obtinet, ac licet mole valde exigua, dum tamen sub penetranti & adversa subtilitate partium valde heterogenearum, in partes nervosas sensibiliores agit, truculenta instar veneni symptomata excitat. Id quod jam ulterius excutiamus, & luculentis fide dignis exemplis ac observationibus confirmemus, operæ certe erit pretium; quo rerum medicarum cultores perspiciant, plures & sævissimorum affectuum causas, non tam in mole & quantitate nimia, vel intemperie crassa sanguinis & humorum, quam sæpius in parva & exilis molis materia, nervosis, tamen partibus summopere infesta, esse quærendas.

§. XVI.

Ex achoribus tinea capitis &c. repulsis.

Ut itaque ab ipso capite ordiamur, sæpius observavi, eos, qui capillamentum gestare sueverunt, demto improvide operculo, exquisitum capitis dolorem, cum tinnitu aurium, nec non vertiginem incurrisse; alios vero his malis afflictos, tecto falsa coma capite, ab iisdem liberatos. Nihil porro frequentius in infantibus visitur, quam a crusta lactea, solo frigore repulsa, febrem continuam excitari, qua desinente illa revertitur, quæ quoties repulsa fuit, toties de novo febrem accensam annotavimus. Nihil quoque periculosius est, quam in tinea capitis improvide exterius unguenta vel lavamenta applicare. Repulsa enim materia corrupta acri ad cerebrum ejusque membranas ac nervorum principia, epilepsiæ, præsertim in infantibus, aliique graves capitis morbi, accidunt. *Amatus Lusitanus Cent.* 1. *obser.* 36. in puella undecim annorum, obesa & sanguinea, a capitis lotione apoplexiam, elapsa nondum hora, supervenisse, memoriæ prodidit. Ex capitis ulceribus obsessi lotione, surditatem concitatam, *Misc. nat. cur. Dec.* 3. *Ann.* 3. *obser.* 9. commemorant. Et nos a linimento tineæ capitis præpostere adhibito, in infante decem annorum oculi dextri inflammationem observavimus, quæ in suppurationem & perfectam demum cœcitatem transiit. Vidi quoque ab achoribus & favis linimento inconsulto siccatis, asthma convulsivum subortum, ad quod abigendum, vesicatorium in nucha insigni cum levamine applicatum.

§. XVII.

Ex abscissa plica Polonica.

Singulare etiam salutaris & criticæ in capite excretionis genus est, plica sic dicta Polonica, qua serum excrementitium viscidum cum sanguine ad caput copiose delatum, ex poris capitis exsudans, ac per crinium tubulos descendens, capillos in cirros conglutinat inexplicabiles, per quos tanquam peculiare organon excretorium, vitiosum serum eliminatur, non sine summo levamine & sanitatis emolumento. Quod si vero plica molesta abscinditur, graves, immo mortiferi morbi, corpus impetunt. Hoc enim facto, atroces capitis dolores, insultus epileptici, convulsivi, item phrenitis, mania, melancholia, vertigines, oculorum lippitudines & gutta serena, consequi solent. Interdum ad alias inferiores partes serum excrementitium retentum defertur, & dolores arthriticos aliaque symptomata luis venereæ naturam æmulantia excludit. Quin nonnunquam pleuritis, peripneumonia, hæmoptysis ac phthisis inducitur.

Ex scabie siccata graves capitis morbi.

§. XVIII.

Scabies fœdum quidem est atque molestum malum; corpus tamen a sal-

falsi, acri & corrupto humore liberat, & præpostera medicatione repulsa, vel quo minus effloreſcat impedita, gravi damno mactat, quod differt, prout maligna interiora repetens materia, diversas impetit partes, in iisdemque sedem figit. Quod si enim ad caput defertur, periculosissimi morbi ibi suscitantur, apoplexiæ, epilepsiæ, vertigines, sopores sensuumque vitia. Sic *Misc.nat.cur.Dec.* 1. *An.* 1. *obs.* 58. ex hac scabie imprudenter abacta, lethalem apoplexiam annotarunt, quod etiam *Mœbius instit. pag.* 65. testatur. Cæcitatem exinde profectam identidem *Misc. nat.curios. D.* 2. *A.* 8. *pag.* 255. & *Sennertus prax. part.* 3. *s.* 2. *c.* 43. fidem faciunt. Et *Riedlinus in lin. med. ann.* 1696. *mens. Maj. obser.* 1. narrat de ancilla, quæ sordidissima scabie laborans, post inunctionem bis factam, in epilepsiam incidit, cui assurgit quoque *Sennertus l. c.* Potissimum in infantibus pernicioſum est conamen scabiem abolere, quandoquidem hoc facto, præter suffocationem alioſque gravissimos morbos sæpius epilepsiam succreviſſe, auctor est *Hildanus Cent.* 3. *obs.* 10.

§. XIX.

Asthmata. Quando scabiosa materia relabitur ad pectus, periculosum asthma oboritur, quod in juvene viginti annorum a scabie intempestive & empirice externis inunctionibus deleta, vidit *Hildanus Cent.* 3. *obs.* 39. ubi ægrotus tanta pectoris angustia affectus est, ut vix spiritum trahere posset, & pulsus vix appareret, tandemque catarrho suffocativo extingueretur. Frequentissime vero a retrocedente scabie febris continua in corde & genere vasculoso accenditur, cum magna vi- *Febres.* rium prostratione. Vidimus, hac cessante, septimo die scabiem rursus ad habitum corporis salutariter fuisse propulsam. Senes scabies, maxime sicca, infestat, quæ si reprimitur, quartana fieri potest: & porrigine rursus apparente, hæc cedit. Hinc perite *Langius in Ep.* 16. *Lib.* 1. inquit: *ego scabiem & crurum œdemata, cum post aliarum febrium, tum præcipue quartanæ febris crisin obortam, sponte exolescere, citra omne medicamentorum subsidium pluries centies vidi.*

§. XX.

Hydropici tumores. Sæpius virulenta scabiei materia e cortice corporis ad interiora retrusa, tumores œdematosos, hydropicos & tympaniticos, in pueris præsertim cum tumore scroti, quod aliquoties observavi, affert. Notavit etiam idem jam *Hippocrates in epidemiis*, idque luculento exemplo confirmat. *Erat*, inquit, *Athenis homo quidam fœtidissima scabie laborans, atque ut sanaretur accessit Milos, ubi calidæ sunt thermæ, quarum usu convaluit a scabie, sed paullo post incidit in hydropem, & exinde mortuus est.* In intestinorum *Tormina & alvi fluxus.* membranas si recumbit, gravia ventris tormina vel etiam dysenteriæ fieri possunt. Notabile hac de re exemplum extat in *Riverio Cent.* 3. *Obser.* 85. ubi arthriticus, ab usu aquarum medicatarum, magnam stomachi refrigerationem passus est, ac deinceps scabies pruriginosa, admodum molesta, totum corpus invasit, quæ confestim curata est unguento quodam mercuriali, carpis manuum & plantis pedum admoto, quam inunctionem mox secuta est ingens diarrhœa, per viginti dies perseverans, cum gravissimis ventris tormentis, ita ut ab iisdem alvi fluxus dysentericus apparuerit.

§. XXI.

Ex consolidatis antiquis ulceribus. Quemadmodum igitur scabiosæ cutis defœdationes præpostere topicorum usu deletæ, ob acrem causticam materiam, internas nobiles partes repetentem, plures perniciales morbos adducunt; ita pariter, ulcera antiqua subito consolidata, eandem ob causſam detrimento sunt & quandoque exitio. Nam *Misc. nat.curios. Dec.* 3. *Ann.* 2. *Epilepsiæ.* *obs.* 29. ulcus in crure sanatum epilepsiam induxisse perhibent. Et *Tulpius obs. lib.* 1. *cap.* 8. binos infantes per manantia capitis ulcera ab epilepsia liberatos,

ratos, iisdemque improvide siccatis, diris iterum nervorum tractionibus correptos esse, testatur. Neque minus ex ulcere in crure consolidato, epilepsiam accessisse, eodemque rursus aperto cessasse, consignatum legimus ab *Amato Lusitano Cent.2. histor.6. Bartholino Cent.3.hist.20.HildanoCent.2. obs.*10. *Misc.nat.curios.Dec.3. Ann.2. obs.29. Lentilio miscell. Part.1. pag.3.* Pedes quoque ulcerosos præsanatos guttam serenam adduxisse, auctor est *Timæus* in *oper. posth.* item *Forestus l. 1.obser.* Et *Hildanus Cent.3. obser.39.* vetus purulentum apostema coalitum, atrocem capitis dolorem & cæcitatem induxisse, putrida materia tussi rejecta, prodidit.

Oculorum vitia.

§. XXII.

Pleuritis. Idem porro auctor *l. c.* præter alia adhuc exempla memorat: quod vir sexagenarius, quum ulcus, quod per plures annos gestarat, ab Empirico ad consolidationem perductum fuisset, post aliquot menses in sinistro latere pleuritide, cum maximis doloribus & punctionibus correptus sit, talemque sanies sputo rejecerit, qualis ex ulcere antea manarat. Nec non *Cent.5. obs.91.* historiam narrat: quod quispiam curato per thermarum usum veteri ulcere, in maximam virium prostrationem non modo, sed & nauseam & frequentem eructationem inciderit, ac iisdem pathematibus, quam si venenum sumsisset, attentatus sit. Nobis inter exempla inprimis est vir generosus, Principi a consiliis, qui quum singulis fere annis, verno maxime tempore, salsam acrem defluxionem cum excoriatione circa malleolum dextri pedis experiretur, molestiæ pertæsus, ex chirurgi consilio, ut applicato camphorato vini spiritu reprimeretur, permisit; sed non ita multo post ingentia tormina & dolores in hypochondrio sinistro, cum lenta febre, inquietudine, anxietate & alvo pertinacissime obstipata, eundem invaserunt, quæ tamen tandem pulverum cinnabarino-nitrosorum & infusi usu cessarunt. Et quum fonticuli sint quasi ulcera artificialia, quæ ad impuram noxiam materiam nervosis maxime partibus subtrahendam in capitis morbis egregii usus: hinc quoque iisdem occlusis, priores morbos rediisse, vel novos accessisse, multarum observationum fide constat, quæ evolvi possunt in *Misc. natur. curios. Dec. 2. An.3.obs.*213. *An.6. obs.*201. nec non apud *Pechlinum lib.2.obs.*30.

Veneni symptomata.

Tormina ventris &c.

Ex fonticulis coalitis.

§. XXIII.

Dum etiam adhuc de noxa, quæ post effloreſcentias & exulcerationes in corporis cortice præpostera per topica medicatione excepta, in corpus redundat, sermo est: adjungenda iisdem etiam sunt exanthemata, quæ in acutis morbis comparent, quippe quæ, si ad interiora retrocedunt, eo deteriora magisq; funesta mala invehunt, quo magis materia repulsa virulenta est ac putrida. Sicuti enim vigorem naturæ indicat promta ad partes externas variolarum, morbillorum, petechiarum, purpuræ & bubonum, sive carbunculorum, in peste secessio; ita res periculi pleniſſima est, si deficiente hoc robore, vel non prodeunt, vel relicta in cortice stagnatione redeunt. Contingit id facillime a refrigeratione, a potu frigido, terrore, animi affectu, vel erecto corporis situ, in corporibus præsertim, quæ viribus destituta, & ubi pulsus ac renisus cordis, arteriarum & motus a centro ad peripheriam langueſcit. Et plerumque hanc fatalem repulsionem funesta consequitur mors; eo quod maligna materia ad meninges cerebri, vel ventriculi & intestinorum membranas, aut præcordiales nervos si transfertur, harum partium inflammationes, spasmi, vel convulsiones, imbecilla jam a morbo corpora adoriuntur. Quod vero materia exanthematica repulsa majorem quam antea virulentiam exferat, hæc videtur subesse causa, quod quamdiu humor, sive putredine, sive caustica natura alienus, succis & sanguini immixtus

Exanthematum retrocedentium noxa.

est, involutus & quasi coercitus, ingenti noxa vacet, quando autem sui juris factus, & ab involucro sanguinis liber, tunc naturam suam pernicialem prodat, & veneni similem in corpus edat effectum. Accedit etiam, quod hæc materia, dum in glandulis cutis diu hæret, sub mora, ob perpetuam & intestinam fluidi ætherei agitationem & transfluxum, subtilior & malignior reddatur, ut postea repulsa, penitus respuat illud, quod ante habuit cum lympha & sanguine connubium, & potius instar veneni subtilis, nervosis sese partibus insinuet ibique spasticas atroces strictura efficiat.

§. XXIV.

Quam zestatur experientia.

Jam si experientiam consulimus, nihil certe frequentius, quam quod post inconsultam linteaminum frigidorum & loturam adhuc redolentium, corpore sudore diffluente mutationem, nec non ægris in alium perfrigeratum lectum translatis, exanthemata, variolæ, morbilli, petechiæ ac purpura dispareant, & rebus extemplo conversis, in pejus abeant symptomata, anxietates, inquietudines, deliria, tremores & convulsiones accedant, quin ipsa paullo post mors subsequatur. Inprimis etiam crebrioris observationis est, ægros, acutis exanthematicis morbis laborantes, post diuturniorem erectum in lecto, vel etiam extra illud situm, mox in virium languorem, animi deliquium, extremorum refrigerationem & cutis horrorem cum pulsu debili incidere, ac evanescentibus in cortice effloreseentiis, delirio, convulsione vel epilepsia correptos, interire. Rarius quidem, quod mirandum, hoc phænomenon a Practicis annotatum, ratio tamen effectus in proclivi: quandoquidem dejecto in ejusmodi morbis robore, cordis etiam systole minuitur, & sanguis corpore erecto difficulter ad superiora maxime & caput expulsus cor obruit, segnius quoque per cerebrum ejusque membranas fertur, & hinc tam truculentorum symptomatum origo. Huc quoque referenda memorabilis observatio, quam *Alpinus de medic. Ægypt. pag. 76.* consignavit, memorans: fœminam in peste tumore inguinis laborasse, quo minuto, delirium accesserit, & per cucurbitulas iterum revocato, cessarit.

§. XXV.

Ex erysipelate repul.

Idem periculum, eademque, si non major, noxa est metuenda, quando in affectu arthritico, in podagra vel etiam erysipelate, materia, quæ in vitio est, corrupta vel acris, ex habitu corporis, vel ex artubus, ad interiora repellitur. Ac de erysipelate quidem sapienter *Hippocrates Lib. 6. aph. 25.* pronunciat: quod malum sit foris introverti. Novimus senem fere septuagenarium, qui erysipelate totam tibiam & femur occupante correptus, applicatis exterius saturninis & camphoratis epithematibus, in lethargicum affectum incidit, quem quum medicus calidioribus cephalicis & balsamicis interius & exterius adhibitis exciperet, febris accensa est, cum magnis maculis purpureis, accessit delirium ipsaque mors. Vidi quoque accessionem erysipelatis, quæ cum horrore & subsequente intenso æstu contingere solet, in viro erysipelaceis inflammationibus crebrius obnoxio, medico imposuisse, ut paroxysmum intermittentis esse putaret, & ad eandem præscindendam postera die vomitorium porrigeret, quo oblato, æger quidem strenue vomuit, sed sequuta est inflammatio ventriculi, quinto die lethalis.

Lethargus.

Ventriculi inflammatio.

§. XXVI.

Ex arthritide, podagra &c. repulsa symptomata.

Frequentioris observationis est damnum, quod imprudens medicatio per topica in morbis articulorum & arthritidis speciebus, arcessit. Quam gravia autem quamque multiplicia pathemata morbosa inde resultent, compendiose, graphice tamen arthritidis vagæ scorbuticæ exemplo tradit *Drawizius* in vernacula lingua ante C. jam annos *de scorbuto*, conscripto libello, verbis *pag. 62. seqq.*

sepq. latine redditis sic habentibus: *maxima cautione opus est, ne dum dolores leniuntur atque sedantur, gravius & magis perniciosum malum ingruat: quod quidem inprimis facile contingit, quando volatile scorbuticum sal in corruptione sua eo processit, ut virulentam indolem contraxerit. Hoc enim si factum fuerit, arthritis scorbutica maximam cum erysipelate induit conventientiam, & haud secus quam in erysipelate, levi tantum repercussione, virulentum volatile sal ad interiora corporis recedit, ibique longe periculosiorem statum, quam in externis artubus inducit. Nimirum quando hoc sal intestina adoritur, exquisita ventris tormina, quin ipsa passio iliaca, non facile deerunt. Si ad cerebrum scandit, ager vertiginem, epilepsiam, apoplexiam, aliosque truculentos capitis morbos incurrit. Ubi cor opprimit, illico lipothymia adest, vel subita plane mors sequitur. Ad diaphragma & pleuram quum vergit, periculosus pleuriticus sese exserit morbus. Ad pulmones delatum, spirandi angustiam, anxietates præcordiorum, sternas & suffocatorias tusses, hæmoptyses &c. affert. Verbo: quamcunque perniciem in genera alias venenum in internis corporis partibus suscitare valet, eandem etiam pessimum hoc & virulentum sal creare aptum est. Novi etiam, si sponte recessit, aut incongruis medicamentis exterius exceptum fuit, quod totum corpus brevi horarum spatio cum omnibus partibus sub magno cordis angore intumuerit, eodem modo ac in Hungarica febre aliisque ex corruptis succis oriundis morbis non nunquam contingere solet.*

§. XXVII.

Asthmata. Mala itaque, quæ metastasin materiæ arthriticæ consequuntur, sunt plura, & tantum pro natura corporum ægrotantium & partium, quas illa invadit, & periculo & indole valde differunt. Quando enim ad supremam capitis regionem vergit, materia retropulsa, perquam facile suscitatur epilepsia, sicuti hac de re egregium exemplum prodidit *Riverius Cent. 3. obs.* 85. ubi quidam, doloribus arthriticis cessantibus, correptus fuit insultibus epilepticis, qui per stata intervalla redibant, & post exactum biennium, prorsus desinebant; cum eodem tempore dolores arthritici reverterentur, qui per totum illud tempus, quo insultus epileptici sæviebant, omnino delituerant. Ex podagra emanente apoplexiam fieri, auctor est *Wepferus in Lib. de apoplexia pag.* 2. & 3. Et *Simon Pauli in Quadrip. Botanico pag.* 215 refert historiam, ubi quidam in levicula podagra, spretis medicamentis internis, repellentibus usus est, qui mox de dyspnœa conquestus & cordis palpitatione ac lipothymiis correptus est, insequente epilepsia, quæ tandem in apoplexiam lethalem abiit. *Apoplexia.*

§. XXVIII.

Asthmata. Ubi arthritica materia intempestive retroagitur & pectus invadit, convulsivum asthma excitatur, quod a linimento alias egregio, ex camphora, opio, spiritu vini rectificato composito, vel solo etiam camphoræ pulvere exterius applicato, in cachecticis non semel observavimus; accessit quippe præcordiorum anxietas & summa spirandi difficultas atque angustia, ut strangulari sibi ægri viderentur, quibus postea tumor pedum successit & hydrops. *Crato in Consiliis pag.* 1015. *Consil.* 367. ex abusu narcoticorum & stupefacientium podagram transisse in asthma refert. Et *Trincavellius de rat. cur. part. hum. corp. Lib.* 12. *cap.* 1. scribit: *nihil gravius est, quam usu adstringentium & repellentium, præcavere in podagra consuetam fluxionem, inde asthmate gravissimo cum febre continua duo nobiles Veneti affecti, cum tremore totius corporis & omnium sensuum stupore.* Id quod etiam pluribus exemplis docui in dissertatione: *de podagra retrocedente in corpus pag.* 12.

§. XXIX.

Cardialgiæ, singultus, stomachi inflammationes.

Eadem vitiosa materia incumbente ventriculi membranis, singultus, cardialgiæ, lipothymiæ & lethalis ventriculi inflammatio sæpissime sequuntur. Ita *Cramerus Diss. de podagra* memorat, quendam podagricum nudos pedes ventis frigidis exponentem continuo & lethali affectum esse singultu. *Mœnichen in obser.8. pag.*245. prodidit, dolore arthritico per frigida repulso, cardialgiam & lipothymiam accidisse,& post frictiones & vesicatoria genubus applicata, cessasse. Et in *Misc.Nat.Cur.D.3.A.7.obs.*147. casus affertur de quodam, qui frigida aqua pro potu dolores arthriticos supprimens, emetico assumto, integro mense enormesvomitus expertus est,intercurrente singultu,appetitu abolito,siti aucta,febre continua, urina suppressa: post mortem ventriculus inflammatus repertus. Anno ab hinc & quod excurrit accidit, ut fœmina generosa quinquagenaria podagrica, ipso in paroxysmo ad levandam dolorum atrociam,pulverem ex camphora & minio dolenti parti applicans, discusso dolore, illico incideret in maximam virium jacturam,cum æstu febrili, appetitu prostrato, ingenti anxietate circa præcordia,vomituritione & inquietudine, quam tamen propinata emulsione ex semine papaveris & amygdalis dulcibus, oblato quoque pulvere nitroso cinnabarino, adjuvante Deo ex ancipiti levavi,repetente simul pedes podagra. Sic quoque novi malum ischiadicum balneis adstringentibus repulsum, ventriculum & pectus invasisse, & cardialgias, febrem lentam, hecticam & tussim siccam, tandem lethalem, suscitasse.

§. XXX.

Calculus.

Neque minus multiplici compertum est experientia, materiam arthriticam tartaream, in senibus præsertim, sæpius ad renes & urinarias vias transire, & sic arthritidem in calculum mutari. Unde *Solenander Sect.1. conf.*20. perite, *qui uno*, inquit, *laborat ex iis, alterum vix effugere potest, & pauci arthritide affecti sunt, qui non in renibus calculum ingenerant.* Et *Stisserus in Tr. de podagra* testis est, podagricos dolores in nephriticos, colicos æmulantes, hos vero, vice versa, in arthriticos & podagricos, non semel abiisse. Facilis quoque arthritidis,vel podagrę retropulsę in acerbum colicumdolorem est transmutatio. Nam materia arthritica, propter affinitatem texturæ & ad stricturas dispositionis, quam ligamenta articulorum nerveo-tendinosa ac glandulosa, cum membranis intestinorum invicem alunt, expedite ex articulis ad intestina,& ex his rursus ad articulos, promptissime transfertur. Meminit hujus metastaseos jam *Hippocrates Lib 6. epid. Part.*4. *text.* 30. scribens: *qui articulari morbo detentus intestini dolore vexabatur, quietior erat, hoc autem curato, magis dolebat.* Quod etiam *Solenander in Consil. pag.* 77. confirmat, dum inquit: *fœmina arthritide semper laborabat, quando a doloribus coli libera erat, & cessantibus coli doloribus, misere ex juncturis afficiebatur.* Et *Raygerus in Misc.nat. Curios. D.I. An.6.& 7. Obs.*208. scribit: *notus est mihi quidam, qui colica immani torquebatur, superveniente autem podagra,nihil penitus sentiebat.* Et quæ plura adhuc exempla memoriæ prodita sunt in *Miscell. nat.curios. Dec.2.A.4.ob.*42.item a *Dravvizio in Tr.de scorbuto pag.*244.

§. XXXI.

Damna podagra ob imbecillitatem.

Quandoque etiam accidit, ut podagricum recrementum, in senibus, vel tracto per varias animi afflictiones aliisque de caussis corporis robore, ad exteriora salutari motu propelli nequeat, sed restitet,ac partibus nervosis insidens, capitis dolores, ingenii ac memoriæ debilitatem, virium & appetitus prostrationem, anxietates, spasmos ac dolores varios, stranguriam & crebriorem ad urinam stimulum cieat. Ejusmodi exemplum notavimus in primario hujus civitatis

viro

viro quinquagenario, qui tamen externo & interno Carolinarum usu, relegata ad pedes iterum podagrica materia, perfecte curatus fuit. Hinc ex vero *Hoffmannus instit. lib. 3. pag.* 107. scribit: *videmus podagricos moritum, si humores influentes repellantur ad viscera, aut si viscera tam sunt debilia, ut humores ad superficiem pellere non possint.*

§. XXXII.

Vel intempestivam venæ sectionem retentæ.

Pariter a sanguinis missione in corpore minus plethorico intempestive administrata, podagram repressam novi, & res certe magnæ prudentiæ medicæ est, venæ sectione recte uti posse, in morbis quos salutaris quædam & critica ad cutim excretio stipat. Nam uti nimia sanguinis redundantia quandoque vires naturæ opprimere, & expulsionem materiæ ad corporis corticem impedire potest; ita etiam, si sanguis non redundans præpostere exantlatur, pariter naturæ robur infirmatur, ut excrementitiæ sordes ad minima vascula cutisque poros pelli nequeant, sed retentæ gravissima cieant pathemata. Quare perite *Jo: Langius lib. 1. epist. 16.* inculcat: ne, quando natura, per habitum corporis materiam peccantem ut propellere velit, intenta est, phlebotomiam administremus, aut pharmaca exhibeamus, ne ingens inde periculum enascatur, nec per eas venas, per quas materia morbi expulsa fuit, rursum ad interna viscera retrahatur. Quod quidem monitum inprimis nostro hoc ævo probe observandum ab iis, qui tam promti & liberales in sanguine mittendo, quasi vero tantum non omnes morbi a plethora, & hæmorrhoidum vel mensium fluxu imminuto, aut deficiente, ortum traherent.

§. XXXIII.

Sudoris axillarii &c. critici.

Præterea salubberrima in quibusdam sudoris fœtidi in pedibus & sub axillis succedit excretio: qua quum corpus, pædore teste, ab exitiali & putrido humore liberatur; patet utique sanitati maxime obesse, si imprudenti consilio eadem supprimatur; licet id frequentius limatura ferri, aurichalci & terris calcareis ustis insperfis, perficiatur. Novimus enim inde vertiginem, aut capitis gravitatem, aurium tinnitum, difficilem respirationem, ventris tormina, atque vagos artuum dolores subortos, nulla arte nulloque consilio expugnabiles. Id quod etiam *Simon Pauli quadripart. botan. pag.* 215. memorabili exemplo confirmat, narrans, quendam deleto pedum fœtido sudore, in gravem primum cordis palpitationem, ac postea atrocem & nodosam podagram incidisse. Eadem ratio est critici quorundam nocturni sudoris, quem per multos annos largiter cum singulari valetudinis commodo manasse, postea vero vel ob naturæ debilitatem retentum, vel præpostero consilio siccatum, atrocia pathemata, affectus soporosos maxime cum sensuum & memoriæ debilitate, rheumaticos affectus, erysipelata, asthmata, febres lentas & languores, invexisse, experientia compertum habeo, neque symptomata prius cessarunt, quam salubberrima hac excretione integre restituta. Eundem adhuc in censum referendi diuturni pedum tumores, variis artificiis compressi & ad interiora coacti. Hoc quippe facto, asthma & catarrhum suffocativum, diabetem & febrem lentam, summa cum virium prostratione accidisse aliquot exemplis confirmatum habemus.

Necnon tumorū repulsorum nexa.

§. XXXIV.

Bubones repulsi.

Accedunt pathemata, post conceptum inquinamentum venereum, prepostera medicatione tractatum & intro coactum, conspicua. Nimirum bubones venerei, ubi glandularum ductus tenaci caustica lympha infarcti sunt, quando imprudenter a chirurgis vel medicis adstringentibus & repellentibus excipiuntur, humor ex mora & stagnatione virulentior redditus, & cum lympha ad vasa lymphatica translatus, universam ejus mas-

sam inquinat, ut hinc non modo ulcera & pustulæ in facie efflorescant, sed & atrociſſimi dolores in periostio, aliisque sensu exquisito præditis partibus suscitentur. Idem fit, quando gonorrhœa impuri coitus soboles, nimis cito adstringentibus cohibetur. Adstringentibus enim miasma venereum corpore expellendum reprimitur; acrioribus autem, calidis sudoriferis & balsamicis intestina agitatio suscitatur, & fibrillæ stringuntur, quo fit, ut virulenta materia agilior reddatur, non tamen eliminetur: & sic utroque modo universus lymphaticus latex inquinatur, corrumpitur atque maximus hujus luis gradus inducitur. Hinc sæpius certe vidimus, gonorrheæ malignæ, nimio balsami Peruviani, vel de Copaiva usu cohibitæ, pustulas in facie, ossium dolores & inguine bubones succeſſiſſe.

Et gonorrhœa suppressa quid noceant.

§. XXXV.

Denique non prætereundum est damnum, quod ex turbata & intercepta seri vitiosi per glandulosa emunctoria, præsertim in naribus & faucibus existentia, in coryza & catarrhis, in fœminis vero sub fluore albo per uteri & vaginæ glandulas evacuatione, in sanitatem redundat. Quod si enim coryza a frigore incautius admisso reprimitur, serosa materia in capite obhæresci & dolores acutos ac vehementes circa radicem nasi in ossibus frontis parit, cum vertigine & aurium tinnitu, ac lassitudinem totius corporis, torporem & febrem lentam adducit. Vel si etiam per assumta purgantia successus turbatur, & ad intestina acre serum allicitur, dolores & anxietates ventriculi, cum inappetentia, abdominis tormina & incompescibiles diarrhœæ subsequuntur. Pariter a fluore muliebri per sussimigia mercurialia sublato, pathemata hypochondriaco-hysterica, asthmatica observavi; vidi quoque febrem cum purpura, repetente, hac sanata, albo fluore. Et *misc. nat. curios. Dec. 1. Ann. 8. obs.* 331. a fluxu albo per balnea vitriolacea

Mala ex coryza repressa.

Et fluore albo cohibito.

suppresso, phthisin insanabilem sequutam referunt. Quæ certe omnia, quam grave damnum excretionum, & maxime cuticularis suppressio, injungat, conspectius testantur.

CAPUT IX.

De vitiis ex turbatis sanguineis aliisque evacuationibus.

§. I.

ITA comparatam esse artificiosissimam corporis nostri structuram, ut boni laudabiles & alimentares succi per varia organa ad usum secernantur, inutiles vero, effœti atque corrupti per tot vasorum excernentium emissaria, in vitæ sanitatisque tutelam jugiter eliminentur, antecedenti capite pluribus est assertum. Potissimum tamen & rationibus & exemplis evictum dedimus, eam sordium excretionem, quæ per corporis corticem succedit, esse omnium saluberrimam; sufflaminatam vero plurium & gravissimorum morborum caussam. Quum autem non solum perversa qualitas, sed etiam quantitas, naturæ microcosmicæ adversa sit: sæpius contingit, ut ipsi benigni, temperati & utiles succi, ut lympha & sanguis, nimia copia delinquentes, & solidorum tono, motui ac systoli ipsique progressui fluidorum mole sua obsistentes, perniciem intentent, & cacochymiam ingignendo, vasa & viscera obstruendo, ac spasmos in nervosis partibus suscitando, sanitatem gravius labefactent. Quod ne eveniat, providentissimo idemtidem consilio, in machina animali ejusmodi organa ac viscera fabrefacta sunt, quæ redundanti maxime cruori diverticulum præbeant, donec nimis demum in iisdem accumulatus, per aperta arteriolarum oscula, sufficiens & quæ redundabat copia exsolvatur.

Nimia succorū copia sanitati infensa.

Hinc excernēda.

§. II.

In sexu quidem sequiori, a decimo quarto ad quinquagesimum usque eta-

Quod fit per mensium fluxum.

tis

cis annum, ordinaria ejusmodi superflui sanguinis evacuatio singulis mensium periodis succedit per uterum. Hujus enim ea fabrica est atque textura, ut ex fibris mira expansili & contractili virtute præditis, numerosissimis quoque tortuoso ac serpentino ductu excurrentibus vasis, penitus coagmentatus sit, eamque ob caussam eximiam cruoris copiam recipere & recondere possit. Increscente autem successive nimis mole, sanguis in curvatis venarum alveis tarde progreditur, moram nectens latera extrorsum in varices quasi urget, donec demum appulsus semper per arteriolas, præcluso in venas transitu, distentos canales perrumpit, & sola mechanica ratione, sine concursu principii interni dirigentis, cruor superfluus ex apertis osculis manat.

§. III.

Quo suppresso in aliis locis oriuntur hæmorrhagiæ.

Hæc critica atque solennis sanguinis excretio, si sufficienter & rite succedit, nimiam quæ in vitio est molem evehendo, sanitati egregie patrocinatur: contra vero quando vitium capit, & vel excedit, vel deficit, vel etiam perperam cohibetur, damno mactat gravissimo, quod ut testatius patescat, luculentas nonnullas adducemus observationes. Et primo quidem multiplici experientia constat, menstruum sanguinis profluvium, quacunque ex caussa suppressum, insolitas quærere vias, & facile in alias insuetas hæmorrhagias transire. Nam *Horstius in præfat. ad Part. 2. obs. Schenckii lib. 4. pag. 698.* sanguinem a mensium regurgitatione ex auribus, & *Hollerius Comment. in lib. 2. Sect. 2. Coac. §. 18.* necnon *Jo: Rhodius Cent. 3. obs. 51.* ex gingivis & dentis alveo, critice excretum testantur. Inprimis frequentioris observationis est, sanguinem, qui per uterum eliminari debebat, per vomitum, ruptis ventriculi venosis vasis, brevibus dictis, rejectum fuisse, quod *Hippocr. lib. 1. de morb. §. 32. Forestus lib. 16. obser. 25. Panarolus Pentecost. 1. obs. 6. Rodericus a Castro de morb. mulier. lib. 1. cap. 3. Hechstetterus obs. Dec. 2. cas. 7. Stahlpartvan der Wiel Cent. 2. obs. 17.* aliique plures passim exemplis confirmant. Neque adeo rarum est, sanguinem præcluso per uteri vasa exitu, majori vehementia ad pulmones delatum perruptis ibi vasis tussi rejici, sicuti ejusmodi casus *Hollerius lib. 1. de morb. intern. cap. 29. Rhodius Cent. 3. obs. 30. Salmuthus Cent. 2. obs. 18.* narrant. In fœminis quoque annosioribus, quando menstrua cessat purgatio, cruenta non raro oboritur mictio, ita prorsus, ut exempla prostent, ubi singulis mensium periodis cum urina, sanguis partim fluidus, partim grumosus, redditus fuit.

§. IV.

Quæ vero periculosa.

Quisque vero peritior Medicorum redundantis sanguinis per hæc minus congrua loca exclusionem, non adeo tutam, sed ancipitem, & haud levi discrimini expositam esse facile judicabit. Quo enim pars corporis nobilior & vitæ tuendæ aptior magisque necessaria, eo perniciosior est ejus læsio, eoq; plus periculi alit. Quare si pulmonum vitale viscus a sanguine stagnante labem accipit ac laceratur, facile ulcerosa pulmonum affectio phthisica nascitur. Exstat de hac noxa dignus memoratu locus in *Alpini medic. method. pag. 263.* dum ait: *ob immoderatam sanguinis evacuationem, vel diuturnum morbum menses supprimuntur; quod si diu durat, mulieres in graves morbos incidunt, aliquæ in sanguinis sputum, ex quo deinceps phthisi intereunt, quod proximo anno Æmiliæ nobili virgini accidit, cui quum menstruæ purgationes ex mœrore assiduo defecissent cum sputo sanguinis & assidua tussi orta est febricula, qua paucos post menses interiit.* Et *Hippocrates lib. 1. de morb. mul. §. 6.* eandem in rem egregie scribit: *quibusdam mulieribus menses bimestres in uteris existentes ad pulmonem recedunt, & ubi recepti fuerint, omnia patiuntur, quæ in tabe dicta sunt.* Si vero in ventriculi exquisitissimi sensus membranas forte

subsistit cruor, & ibi corrumpitur aut coagulatur, periculosa ejus inflammatio, vel hectica febris emergit. Aut si etiam erumpit, vasa tamen brevia nimium ante distenta, tam enormi laceratione, inprimis si lien male affectus, dehiscunt, ut iterum coalescere nequeant, & vomitus copiosus sæpiusque repetens mortem inferat.

§. V.

Alia dã-na ex sup-pressis mensib.

His non minora, sed longe graviora ac plura sunt mala, quæ si sanguis neque per uterum, neque alia loca exsolvitur, pullulant; quæ tamen non tantum pro diversa corporum natura, verum etiam partium, quibus restagnans cruor incumbit, discrepant. Nam quandocunque ad caput sanguinis impetus vergit, atroces, quin funesti, in eo morbi subsequuntur, hemicrania, vertigo, cephalalgia, melancholia, mania & apoplexia. Ipse *Hippocrates* mentis turbas inde cieri testis est, & *lib. de virgin. morb.* §. 120. *quando*, ait, *sanguis in uterum confluit, & osculum exitus non fuerit apertum, tunc non habens effluxum, præ multitudine resilit ad cor & ad septum transversum, & quum hæc repleta fuerint, cor fatuum fit, deinde ex fatuitate torpedo, ex torpedine delirium.* Epilepsiam quoque ex retentis mensibus describunt *Misc. nat. cur. Dec.* 1. *An.* 1. *obs.* 85. Et obstinatam inde inductam oblivionem *Acta Haffnienſia Vol.* 2. *obser.* 78. memorant. Quando porro ad thoracem regurgitans sanguis cor & pulmones opprimit, syncope, cordis palpitatio, polypi, asthmata, pectoris angustia, ejusque hydrops producuntur. Ubi in visceribus abdominis viscidi sanguinis copia restagnat, inde fit malus habitus, icteritia, tumores pedum œdematosi, ipseque dirus hydrops, prout maxime auctor est *Hildanus Cent.* 5. *obs.* 41.

In capite.

Pectore.

§. VI.

Aliisque corporis partibus.

Quod si autem ad ventriculum & intestinorum canalem sanguis congeritur, exsurgunt inde anxiæ & molestæ ventriculi inflationes, cardialgiæ & spasticum ac flatulentum gravissimum malum, quod totum genus nervosum exagitat, & hysterica passionis nomine innotuit. De hac luculenta sunt *Hippocratis* verba *lib.* 1. *de morb. mulier.* §. 5. *quum uteri*, (per quos menses intelligit) *ad stomachum qui nervosus est allapsi fuerint, & ad ventrem irruerint, dolet spina & totum dorsum, & lingua ipsius refrenatur, & hanc non claram habet, & animi deliquium adest, aliquibus etiam vocis privatio, & stomachus mordet, & flava bilis urget & amara est, & jactat se & ardet.* Ipse quoque uterus a cohibitis mensibus subinde gravem patitur labem. Sic eundem hac de causa hydrope inundatum in *Misc. nat. cur. Dec.* 2. *An.* 1. *obs.* 79. relatum legimus, pariterque ingentes uteri tumores, eosque scirrhosos, cum exulcerationibus succrescere, experientia edocemur. In serosioribus etiam & phlegmaticis retentus mensium fluxus, crebrius in copiosum seri albi stillicidium transit. Neque denique sufflaminata saluberrima uterina purgatione, externæ partes a vitiis immunes manent, sed easdem sæpius scabie, elephantiasi, furunculis, erysipelaceis affectibus, vel scirrhosis tumoribus infestari, experientiæ testimonio constat.

§. VII.

Ex emanente mensium fluxu.

Quæ omnia truculenta pathemata, sicuti suppressam in junioribus menstruam evacuationem presso subsequuntur pede: ita pariter nihil frequentius in artis exercitio obvium, quam quod subsistente penitus ob ætatis rationem critico hoc fluxu in annosioribus, eædem afflictiones ingruant. Ego certe multiplici experientia compertum habeo, post annum quinquagesimum, fœminas, præsertim quæ sanguineæ & largius alias profluvium expertæ sunt, vitam præterea sedentariam, otium & unctius vivendi genus sectantur, a sanguinis tamen missionibus abstinent, dolores cardialgicos, cum summo cir-

cà præcordia ad dorſum uſque, & ſcapulas excurrente æſtu ac dolore, noctu præſertim, incurriſſe. Alias phlogoſi, doloribus artuum & eryſipelaceis febribus correptas, alias nephritidi cum lumborum tormentis, in calculoſas concretiones deſinenti, implicitas vidi. Nonnullas poſt ſexageſimum annum mictio cruenta, vel incompeſcibilis menſium fluxus, qui demum in hecticum calorem conceſſit, infeſtavit. Quaſdam, in primis diuturno mœrore confectas, inceſſit dolor ſiniſtri hypochondrii, cum anxietate & æſtu præcordiorum, qui poſtea in vomitum cruentum enormem, ſive morbum ſic dictum nigrum Hippocratis funeſtum, erupit, ubi lien, diſſecto poſt mortem cadavere, magnus & putridus, vaſa brevia ventriculi mirum-dilucta & late hiantia, ſanguis quoque vaſis elapſus in ileo comparuerunt. Nonnunquam & haud ita pridem in Sereniſſima perſona, a ceſſante quinquageſimo tertio anno menſtrua purgatione, continuas anxias vomitiones annotavimus, per dimidium anni aſſidentes, quibus ſucceſſit tumor pedum & manuum; quæ tamen ſanguinis miſſione aliiſque congruis præſidiis fortunante Deo egregie levata.

§. VIII.

Ex lochiis retentis. Eſt vero præter menſtruum ſanguinis fluxum, alia adhuc ſanguinea evacuatio fœminis propria atque ſolennis, quæ ſub partu & poſt eum ſuccedit, lochialis nempe. Hac quum pariter ſanguis, ſub graviditate in uteri vaſis mirum diſtentis collectus & impurus factus, utiliſſime exſolvatur, non poteſt non ejus ſuppreſſio maximum inferre damnum, ita prorſus, ut plures inde occumbant. Etenim quo major in puerperis, ob graves partus labores ſuperatos, totius corporis, maximeque generis nervoſi debilitas; eo gravius periculum a ſtagnante lochiali ſanguine & metuendum eſt & exſpectandum: licet ſymptomata, prout regurgitans cruor varia loca variaſque partes occupat, vel ipſa corporis natura differt, diverſimode incedant. Videlicet quando impurus ab utero ſanguis ad caput ruit, vertigo, paralyſis & apoplexia præſto eſt, uti præ aliis *Fontanus* in *Reſponſ. lib. 1. pag. 25* confirmat. Quando ad pectus concedit, anxietas, ſpiritus difficultas, lipothymię accedunt, vel tuſſis, phthiſis, & totalis pulmonum exulceratio inducitur. *Capitis & pectoris morbi.*

§. IX.

Nihil tamen frequentius accidit, quam quod gravia pathemata hyſterica, febre ſtipata, lochiorum ſuppreſſionem conſequantur, quando nempe congeſtus in abdominis viſceribus & meſeraicis vaſis ſanguis, nervoſos ibi plexus moleſte afficit, & ad ſpaſmos ſollicitat. Notabilis in primis hanc in rem eſt obſervatio *Binningeri Cent. 2. obſ. 45.* de puerpera, quæ paucis a partu diebus, mediocriter a lochiis purgata, lectum deſeruit, & rigido ſe commiſit cælo, ex quo penitus ſuppreſſis uteri purgamentis, diverſa pro differentia partium acceſſerunt ſymptomata; in capite ejus gravitas & ad ſomnum propenſio, in thorace ſputum ſanguineum, ſubflavum pituitoſum, noctu maxime longis intervallis cum levi tuſſi ægram exercens. In collo quaſi ſuffocantis globi ſenſus fuit. In corde & univerſo vaſorum genere febris continua, cum pulſu debili & celeri ac ſiti inexhauſta, nec non animi deliquio, excitata. In abdomine alvus dura & laborioſa facta. In partibus externis dolor lateris dextri & ſcapularum pungitivus ac vagus concitatus. Poſt ſanguinis vero miſſionem, alvi ſolutionem & aſſumta antihyſterica, omnia hęc pathemata conquieverunt. In noſtris quoque regionibus nihil frequentius accidit, quam quod lochiis non rite fluentibus, ſub alvo præſertim duriori, febres continuæ, cum purpura rubra & alba mali moris, accendantur, magna certe circumſpectione tractandæ; quandoquidem ſi retrocedit purpureum exanthema vires penitus dejicit non modo, ſed & in diſpoſitis ſæpe he- *Malum hyſtericum.* *Febris & purpura.*

ticam febrem ciet & universum sanguinem in excrementa pituitosa & salsa, quæ copioso sputo, urina crassa, sudore multo & alvo laxiori ejiciuntur, sensim convertit.

§. X.

Excretio hæmorrhoidalis salutaris

Verum enim vero quum non solum in sexu fœminino, sed etiam virili & nobiliori sæpe eveniat, ut sanguis & benigni laudabiles succi nimium copia increscentes, vitæ ac sanitati perniciem intentent; admirando pariter divinæ providentiæ beneficio in acceptis ferendum, quod in viris etiam via pateat, qua cum egregio valetudinis emolumento, superfluus & noxam minitans sanguis ejici queat. Videlicet dictatum est huic saluberrimo negotio vas peculiare abdominis venosum, portæ vena dictum, quod venæ pariterque arteriæ munus explet & sanguinem a plurimis abdominis visceribus, non modo revehit, sed & postea in hepatis viscus adducit. Quia enim hæc vena manifesta systole & diastole, sive pulsu, destituitur, eamque ob caussam sanguinis trajectus per hepar, ejusdemque regressus ex liene, pancreate, mesenterio & intestinis admodum tardus ac difficilis est: non potest non fieri, quam ut ex mechanica & hydraulica necessitate, ob restagnantem in alveis ramorum hujus venæ cruorem & maxime in vena splenica ejusdemque propagine hæmorrhoidali, in qua ob situm perpendicularem & a corde longius remotum, difficilior adhuc redditur regressus, major appulsio ad minimas arteriolas earumque extrema fiat, ac demum accedente sub alvi egestione nisu, in tunicis intestini recti canales dehiscant & cruorem effundant.

§. XI.

Præternaturalis tamen nec universalis

Dici solet hic fluxus hæmorrhoidalis, & ordinarie non per externas, sed internas venas hæmorrhoidales succedit, sique non est nimius, vel symptomaticus, a multis morbis ex plethora oriundis defendit, ac salutaris est; unde etiam non sine ratione germanico idiomate vocatur *guldene Ader*, quasi auro æquiparandus, vel non redimendus fluxus. Interim licet hæc sanguinis evacuatio, a natura per sensibiles quosdam præcedentes motus in abdomine, osse sacro & cruribus perficiatur: tamen non secundum, sed præter naturę rationem & ordinem contingit, & utplurimum tantum in iis viris obvius est, qui spongiosioris, laxioris & plurimis exilibus vasculis donati, adeoque muliebris corporis habitus sunt, qui motu, labore ac sudore secundum universale & primum præceptum nimium sanguinem non consumunt, sed desidiosam in luxu agunt vitam, sanguinemque copiosum gignunt, qui præterea in puerili ætate largas per nares experti profusiones & in adolescentia hæmoptyica molimina passi. In his inquam ętate demum virili per sedis venas, idque frequentissime, redundans sanguis exsolvitur salutari modo.

§. XII.

Fœminis etiam quandoque accidit.

Neque etiam ipsæ fęminæ, quæ eandem vasorum abdominis & venę portę conformationem habent, ab hoc sanguinis per sedales venas profluvio sunt plane immunes, sed frequenti experientia compertum est, naturam, in primis in suppressis mensibus, sępe per hęmorrhoidalia loca abundantem sanguinem emittere. Observavit id ipsum *Hippocr. in Coac.* & *li. 4. epid. c. 20.* exemplo confirmat: *filia*, inquiens, *Ædilis mensibus non prodeuntibus per duos annos hieme habuit hæmorrhoides.* Et *Heurnius comment. in aph. 10. li. 6.* disertis verbis scribit: *novi mulieres, quæ mensium vice hęmorrhoides fundebant.* Pariter in gravidis sanguineis, ubi menses restitant, sæpius vidimus hæmorrhoides salutariter vel fluxisse, vel protuberasse in ano, quin in puerperis quandoque cum ipsis lochiis manasse. Commemorabilis hanc in rem est *Hollerii de morb. intern. lib. 1. cap. 55.* observatio, ubi mentionem facit duarum fœminarum gravidarum, quibus salutariter stillarunt

hæ-

hæmorrhoides, partu consequuto saluberrimo, & quod mirum, si sanguinis per ani venas fluxus tempore graviditatis substitit, pessime habuerunt, eodemque erumpente, mirifice allevatæ sunt. Mihi quoque plurimi suppetunt casus, quod fœminæ sanguineę, & menstruo,& hæmorrhoidali fluxui obnoxiæ fuerunt, quæ subsistente per hæmorrhoides profluvio,symptomatibus hypochondriacis & hystericis afflictæ sunt, licet sanguis per menses largiter exsolveretur.

§. XIII.

Cur hæmorrhoides jam adeo familiares.

Quamvis vero hic hæmorrhoidum fluxus non omnibus naturis, sed sanguineis potissimum & vitæ sedentariæ addictis solennis, quin secundum *Hippocratem de aer. & locis cap.* 4. §. 7. meridionalibus magis locis familiaris, in borealibus autem rarior sit; nostris tamen temporibus in hisce aquilonariis etiam regionibus,longe familiarior est & frequentior,quam olim,ut ipse testari possim, perpaucos, quum ante quadraginta annos medicinæ exercendæ manum primum admoverem, sanguinis per ani venas stillicidio, vel molimine ad istud, fuisse affectos. Si in causam inquirimus: mea quidem sententia culpa potissimum rejicenda in vitæ genus, ex operoso ac laborioso, ob perditos hominum mores, in desidiosum ac otiosum mutatum, quo non solum major quam par est sanguinis copia ingignitur, sed etiam ipsum corporis robur languescit, ut non mirum sit,effeminato corpori fœmineum quoque accidere sanguinis fluxum. Deinceps hæmorrhoidum profluvium,teste experientia, hæreditarium & hinc certis familiis solenne est, quumque sic hæmorrhoidibus obnoxius hæmorrhoidarium gignat filium, propagatur latius dispositio, & plures fluxum experiuntur. Accedit & hoc, quod nostro tempore medici in omnibus fere morbis hæmorrhoidum anomalias subesse perperam putent, & crebriori pilularum,præsertim aloeticarum, usu, sanguineum fluxum proritare,etiamsi natura ad eundem plane non inclinet, nitantur. Recte enim jam *Fonseca tom.* 1. *cons.* 57. censet: quod & tumor lienis, qui Italis familiaris, & multiplex purgantium & aloeticorum usus, sit frequentissima fluxus hæmorrhoidalis caussa, & adjicit; *caveat quisque omnino a pilulis de aloe, aloe enim aperit ora venarum, & hæmorrhoides adeo inducit, ut ex centenis his pilulis utentibus, nonaginta hæmorrhoidibus laborent.*

§. XIV.

Hæmorrhoidū turbæ detrimentosę

Quemadmodum itaque in iis, qui dispositi sunt ad hæmorrhoides, nihil salubrius est eorum fluxu, si rite succedit: ita vicissim nihil perniciosius, quā si deficiunt, vel plane perperam cohibentur, quod argumentum jam paulo uberius excutere placet. Memoratu certe dignus hanc in rem est *Celsi lib.* 6 *cap.* 18. locus, *in quibusdam*, inquientis, *hæmorrhoidum fluxus parum tuto supprimitur, qui sanguinis profluvio imbecilliores non fiunt, habent enim purgationem hanc, non morbum, ideoque curati quidam, cum sanguis exitum non haberet, inclinata in præcordia materia subitis & gravissimis morbis correpti sunt.* Nam quando sanguis superfluus,& qui vitalibus conservatoriis motibus,nempe circulari & liberiori secretorio& excretorio remoram injicit, per solennes has vias minus excluditur, ejus regurgitatio vel metastasis fit in varias alias corporis partes,cum summo vitę ac valetudinis discrimine. Quandoque concedit ad caput, & maniam, melancholiam vel etiam apoplexiam parit. Nonnunquam in pectus dilabitur, & pleuritidem,peripneumoniam, phthisin vel asthma inducit. Sæpius hepati incumbit,& scirrhum ac hydropem dirum producit. Sæpius quoque in vasis meseraicis & intestinorum membranis sanguis crassior & impurior congeritur, ibique spastica & hypochondriaca flatulenta symptomata & atroces dolores colicos ciet. Si porro ad renum viscus

san-

sanguis hæmorrhoidalis suppressus regurgitat, nephritis & calculus, mictus quandoque cruentus, nascuntur. Et quando denique in habitum corporis impetuose protruditur, ibique subsistit, phagedæna & mali moris ulcera exoriuntur.

§. XV.

Quod testatur Hippocrates. Quæ quod ita sint, passim auctores luculentis testimoniis ac observationibus confirmant. Et quidem *Hippocrates* hæmorrhoidum in melancholia & mania salubritatem disertis verbis asserit *lib.6.aph.26.*inquiens:*melancholicis* id est,si qui sine febre insaniunt,*si varices aut hæmorrhoides superveniunt, insaniam solvunt.* Et *aph.4.com.25.* hæmorrhoidum moderatum fluxum maniam prohibere dicit. Porro etiam ad curandam nephritidem hæmorrhoides, ceu summam medicinam commendat,dum *lib.6.aph.2.*ait *nephriticis hæmorrhoides supervenientes magnam opem ferunt.* Præterea & *lib de humoribus* earum fluxum ad præservationem pleuritidis & morborum,qui cutim defœdare solent,dilaudat; potissimum *epid.lib.6.Sect.3.text.37.*scribit: *variscis laborantes, neque morbo laterali, neque pulmonario,neque phagedæna, neque furunculis,neque thermintis fortasse,neque alphis laborant.*Utilem quoque ad sublevandam molestissimam illam hypochondriorum tensionem idem gravissimus auctor in *Coacis* dijudicat:*quibus*, inquiens,*dolores hypochondriorum, oris ventriculi,hepatis & partium circa ventriculum sunt,hi sanguine per inferiora excreto,sanantur.*Et quæ plura ejus huc referri possent effata.

§. XVI.

Aliique auctores. Neque deficiunt aliorum gravissimorum medicorum auctoritates, quæ idem adstruunt.Sic *Galenus l.6.com.29.* qui clausis hæmorrhoidibus in insaniam inciderunt,sæpe reseratis his venis, ab iisdem evasisse perhibet.Et *lib.3.de humor.com.26.* melancholiam ex suppressis hæmorrhoidibus ortam, annua evacuatione curatam, refert. *Hildanus Cent.6.obs.28.pag.531.* ita disserit: *ego sincere scribere possum, experientia me comprobasse,eos rarissime apoplexia,epilepsia, aut vertigine, aut oculorum inflammatione, correptos fuisse,quibus hæmorrhoides fluebant;immo apertione hæmorrhoidum gravissimos sublatos esse morbos, & in aliis & in me ipso sum expertus.* Porro *Ronsæus de scorbuto pag.72.non paucos*, ait, *novimus, quos profusio sanguinis ex hæmorrhoidibus a scorbuto præservavit. Petrus Monavius* de se ipso ad *Cratonem Epist.236.* conqueritur, se a suppressis hæmorrhoidibus, quæ antea fluxerant, arthritidem incurrisse.*Forestus lib.23.obs.4.* ab arthritico dolore quendam erumpentibus hæmorrhoidibus liberatum; & alii cardialgia laboranti cum commodo easdem apertas esse testatur. *Amatus Lusitanus Cent.V.conf.3.* hæmoptysin reseratis his venis curatam, memorat. Et *Alpinus in medic.method. lib.2.pag.371.*hæc præclara de hæmorrhoidibus habet:*in melancholia incipiente sæpius hæmorrhois profuisse visa est, & perfectam quoque sanavisse;contra, si cohibeatur, homines in gravissimos morbos labuntur.Solet in hepate ac liene fieri scirrhositas & refrigeratio caloris nativi, unde aqua intercus, præterea vertiginosi ac melancholici fiunt, quibus dictæ venæ cohibentur.Illustrissimus Senator Venetus, proximo anno a suppressis hæmorrhoidibus,quas multos annos habuit, in affectum scotomaticum incidit.*

§. XVII.

Et observatores. Quandocunque etiam suppressa vel deficiens in senibus hæmorrhois in nephritidem vel mictum cruentum concedit.Quare non sine ratione *Mercurialis* in *Praxi lib.3.c.31.* & *Sennertus instit.lib.3.P.I.S.3.c.5.*mictum cruentum renum hæmorrhoides appellarunt. Et certe prostant exempla, ubi in senibus sanguis singulis mensium intervallis cum urina partim fluidus, partim grumo-

mosus redditus fuit, qui equitatione vel vini generosi potu facile prolectus est. Ejusmodi sanguinolentam mictionem *Hildanus* in sene *Cent.2.obs.* 11. observavit. Idem confirmat *Heurnius comm. in aph.46.vidi*, inquit, *qui, cum hæmorrhoidibus tentari solebant, cum urina sanguinem effundebant certis spatiis, sine noxa.* Interdum fit, ut loco sanguinis liquor albus viscosus & albumini ovi similis per anum prodeat, non secus ac menstruus fluxus quandoq; in fluorem album concedit, ut hinc recte *Platerus* albas has hęmorrhoides cum menstruis albis mulierum comparaverit, de quibus pluribus videatur *Fernelius lib. 6. pathol.cap.*10. & *Sennertus in praxi lib. 3.Part.2.Sect. 2. cap.*12. nec non *Misc. nat.curios.Dec.*1. *An.*1. *obs.*75. Et mihi nota complura sunt exempla, quosdam tubercula in ano gestasse, quę ob exquisitum dolorem totum corpus in cōsensum pertraxerunt, sponte autem rupta, aliquot cochlearia seri acris corrosivi fuderunt, quo evacuato, pathemata conquieverunt.

§. XVIII.

Nec non notabile exemplū.

Nobis quoque in proclivi foret, plura de noxa suppressarum hæmorrhoidum in confirmationem adducere exempla, sed instar omnium esse potest illud, quod ante aliquot annos notavimus. Nimirum generosus quiddam vir fere quinquagenarius, ex suppressis per potum aquarum salubrium frigidum & balnea hæmorrhoidibus, podagram & malum hypochondriacum spasticum sibi contraxerat, & huc cum familia concedens, me in consilium ascito, fortunante Deo multum levabatur, ut etiam hæmorrhoides, quæ diu subsiterant, redirent. Quum vero paulo largius fluerent, enixe a me petiit, ut profluvium compescerem, quod tamen constanter renui, ac potius ut sibi gratularetur & in sinu gauderet de redeunte fluxu, regessi. Sed æger inde magnum periculum ac debilitatem metuens, moniti immemor, ab extraneo medico, me inconsulto, medicinas fluxum supprimentes, quibus opiata & martialia immixta, impetravit, iisdemque crebro usus est. Iam pulcherrime omnia succedere videbantur, fluxus quippe tertio die subsistebat, æger obambulabat sanus, nihilque damni metuebat, ac residua pharmaca per quatuor adhuc dies ingerebat; sed nocte concubia lethalibus opprimebatur symptomatibus, ac incredibiles primum præcordiorum anxietates, inquietudinem & atrocissimos ventris dolores persentiebat cum arctissima alvi constrictione, quæ nec clysteres admittebat, tantaque erat vis morbi, ut omnia antispasmodica, cinnabarina & clysteres oleosos eluderet, ac tertio die, posteaquam æger adhuc ira correptus esset, aphonia, delirio & convulsionibus funestum sortiretur eventum. Facta postridie sectione, vidimus cum stupore, non modo intestinum rectum, sed & totum coli tractum in sinistro latere ita constrictum, ut digiti crassitiem vix superaret, ventriculum inflatum & in quibusdam locis inflammatum, ejusque cavitati serum sanguinis putridum innatans, reliqua omnia viscera optime constituta. Neque dubium est, quin, si capitis fuisset apertio concessa, celeris mortis caussa ibi detecta fuisset, videlicet sanguinis extravasatio, aut inflammatoria stasis, quia fortissima intestinorum & nervosarum partium strictura, sanguis ad membranas ventriculi & cerebri delatus, hanc funestam catastrophen procul omni dubio induxit.

§. XIX.

Hinc nunquā valide comprimendæ hæmorrhoides.

Quare sicuti nunquam hæmorrhagia, licet fuerit enormis, quando a caussa interna proficiscitur, fortiori medicina styptica reprimenda est: ita multo magis id in hæmorrhoidibus nimium fluentibus observandum, siquidem non modo secundum allegatum *Hippocratis* testimonium, inde hydropis vel tabis metus, sed & aliorum gravissimorum affectuum, de quibus supra facta men-

mentio, periculum nascitur, idque eo magis in iis accidit, qui jam per ipsum copiosum fluxum, vel aliis ex caussis imbecilliores facti sunt. Etenim hãc regulam practicam quisque medicorum, ut curæ cordique habeat, vehementer optarem, videlicet, nihil ad perniciem magis perducere, quam valde debilitatis corporibus adstringentia, opiata vel alia fortiora remedia exhibere. Neque corporis humani natura a validiori sanguinis effusione unquam tantum patitur, quantum damni ab importuna sistente medicina accipit. Deinceps & illud utile monitum prudens Practicus inde capere debet, quod in ejusmodi affectibus, qui retentis hæmorrhoidibus supervenire solent, nihil prius antiquiusque habeat medicus, quam ut iis aperiendis, sive per interna, sive per externa, ut hirudines, invigilet. Præclara sunt, quæ hac de re prodidit *Baglivus in praxi Lib.I.pag.124.plurima*, ait, *adducere possem exempla, quam utilitatem, non obstante sanguinis circulatione, apertio venarum hæmorrhoidalium præ aliarum venarum apertione, afferre soleat iis, qui hypochondriorum morbis, doloribus scilicet, caloribus, lumborum gravitate, flatibus, tensionibus, borborygmis laborant*. Quandocunque vero harum venarum apertio non succedit, aut difficulter perficitur, tum naturæ institutum in ejusmodi morbis medicis imitandum, & sanguini in inferioribus, pertusis pedum venis, exitus parandus. Ita novimus ischiadicum dolorem, ex hæmorrhoidibus suppressis, aperta in pede vena, protinus ex toto sublatum fuisse, neque minus recordamur, in atrocibus, totum abdomen, ob male fluentes hæmorrhoides, affligentibus doloribus, venæ sectionem in pede institutam, pariter & nitrosa atque emollientes clysteres, omne curationis punctum tulisse,

§. XX.

Jam itaque non quidem negandum, sed constanti experientia, inde a primis artis medicæ initiis confirmatum habemus, sanguinis & menstrui & hæmorrhoidalis fluxum saluberrimum, tam valetudini conservandæ, quam avertendis plurimis morbis prodesse, eumque in assuetis turbatum, vel imprudenter cohibitum, multas & graves ægritudines pro diversitate corporum & locorum, quæ a sanguine redundante & refluente occupantur, progignere, quæ ad debitum successum reducto sanguinis stillicidio, si non ex toto tolluntur, tamen multum minuuntur ac levantur. Neque etiam inficiandum, *Cl.Sthalium*, collegam meum honorandum, non mediocrem laudem mereri, quod in scriptis suis, ut medicus maxime omnium in pathologicis menstrui & hæmorrhoidalis fluxus rationem habeat, serio ac crebro inculcarit, & sic vetustissimum hoc ac verissimum dogma, a recentiorum tot potentiis chymicis salino-sulphureis penitus ferme obscuratum, postliminio quasi revocare & pristino nitori reddere connixus sit. Interim tamen neutiquam celeberrimi hujus viri, vel potius assectatorum ipsius placitis assensum præbere possum, qui hanc doctrinam nimium & abusive extendunt, ac universam fere morborum genealogiam primario ex plethora, & inde enata sanguinis spissitudine, ac prohibita ejus per uterum vel sedis venas excretione, arcessere, ac operosa quidem, sed frustranea contentione, vel spissis voluminibus conquirere, sibi sumunt. Neque injuriam fecero, si hanc hypothesin, modo ita eam dicere liceat, ex insufficienti minusque attenta experientia, sive observationum circa morbos, præsertim chronicos, defectu, enatam esse dixero.

Hæmorrhagiarum consideratio necessaria quidem.

Non tamen ad omnes morbos extendenda.

§. XXI.

Quod ne gratis vel gravius dictum videatur, exemplo sit frequentissimum illud nostro tempore malum sic dictum hypochondriacum. De hoc multus quidem ubique apud eos est sermo, ejusque natales unice ex stagnatione

Nec malum hypochondriacũ earum suppressioni

ne ſanguinis hæmorrhoidalis in ramis venæ portæ petendas eſſe, acriter contendunt. At vero ſi curatius paulo in primam hujus morbi originem inquirimus, ejuſque geneſin ubi numeroſa confluit miſera hypochondriacorum cohors, ad fontes nempe ſoterios, rimamur, clariſſime patet, pertinacem hunc affectum eſſe non plethoræ, ſed imbecillis naturæ prolem, ſolennem ac proprium iis, qui naturam corporis ſui & ſyſtema nervoſarum partium, in primis ventriculi vim digeſtivam, tonum ac robur, variis de cauſſis graviter labefactarunt. Videlicet inſtituto coram a me ſcrutinio, alii vitam ſedentariam, diuturnum mœrorem, terrorem & vehementem iram, ingeſtis paulo poſt de ſuper cibis aut potu frigido, incuſarunt; alii in nimias mentis per intempeſtiva ſtudia & lucubrationes, fatigationem, potionem largam vel frigidam, ſudanti corpori ingeſtam, abuſum purgantium opiatorum nec non acidorum & vinorum, culpam rejecerunt. Quidam, neglectum ſub uſu fontium mineralium, vel poſt purgantia aut emetica, regimen, febris intermittentis, diarrhœæ aut dyſenteriæ perperam inſtitutam medicationem, aut præpoſteram ſudoris fœtidi reſiccationem, primam morbo occaſionem dediſſe, confeſſi ſunt. Quæ certe omnia ita ſunt comparata, ut robur naturæ atterant, nervoſiſque partibus maximam inducant debilitatem, tantum abeſt, ut ſanguinis, virium cuſtodis, abundantiam arguant.

Sed imbecillitati naturæ tribuendū.

§. XXII.

Et licet tantiſper largiamur, deficientem vel ſuppreſſum per animi pathemata, frigus & imprudentes medicationes menſtruum aut hæmorrhoidalem fluxum, quandoque cauſſa atque originem hypochōdriaco malo poſſe ſuppeditare: eandem tamē non ſemper ſubeſſe cauſſam ex eo luculenter pateſcit, quod crebrius inter exempla ſint, qui largiter & ſufficienter etiam fluentibus hæmorrhoidibus, hypochondriacis tamen excruciantur pathematibus, ut ut interdum eorum vehementia inde decreſcat. Notabilis profecto hanc in rem eſt obſervatio, quam habet *Sennertus in praxi lib. 3. Sect. 2. cap. 23. novi*, inquiens, *fœminam nobilem, conſtitutione ſanguineam, affectioni hypochondriacæ obnoxiam, quæ ſingulis menſibus ordinario, & quidem die poſt menſtruum fluxum decimo quarto, hæmorrhoides patiebatur.*

Unde ſæpe fluentibus hæmorrhoidibus affligit.

§. XXIII.

Accedit & hoc, quod firma & irrefragabili experientia in comperto ſit, adoleſcentes, juvenes ac viros, qui nunquam antea vel leviſſimum fluxus hæmorrhoidalis indicium obſervarunt, ſubito malum hoc incurrere ſpaſtico-flatulentum, & demum ſi diutius eodem detinentur, dolorem dorſi, in abdomine circa hypochondria, & ſtagnationes experiri ſanguinis, qui intercepto per ſpaſmos libero per viſcera abdominis motu, per ani venas exitum molitur, eodemque denegato, atrociora ſuſcitat pathemata; ut adeo pateat, tam fluxum hæmorrhoidum, quam molimina ad eum, effectum & productum eſſe mali hypochondriaci. Quin innumera memoria teneo exempla, quod affectio illa ventriculi & generis nervoſi ſpaſmodico-flatulenta, quæ malum hypochondriacum audit, in homine perfecte ſano nunquam antea hæmorrhoidibus vel moliminibus ad eas obnoxio, ex animi affectu, & maxime ab ira, cui mox ſubjuncta medicamenta ſudorifera calida, aut cibus vel potus ſuperingeſtus, enata ſit, quam demum copioſo, ut fieri aſſolet, multiplicium purgantium & pilularum polychreſtarum, quæ aloen recipiunt, uſu, a medicis tractatam, ejuſmodi motus, ſive ſic dicta molimina ad hæmorrhoides, dolores nempe in lumbis & oſſe ſacro exceperunt. Quumque medici fluxum importunius iiſdem medicamentis & venæ ſectionibus in pede proritare niterentur, factum quidem, ut

Et hæmorrhoides ſpaſmos hypochondriacos.

Vel ſiniſtram medicationem ſequuntur.

non-

nonnunquam aliquot guttæ sanguinis stillarent, crebrius vero humores viscidi albi, instar albuminis ovi, sæpius magna copia, excernerentur, sed sine ullo pathematum levamento. Et in his quidem crebriori purgantium usui merito tribuendum esse censeo, quod propter spasmum ab iis sub operatione inductum, & relictam postea in intestinis atoniam, libera impedita sit circulatio, & in meseraicis ac hæmorrhoidalibus vasis stagnationes atque decubitus contracti.

§. XXIV.

Calculus quoque & podagra hæmorrhoidum anomaliis non deserentur.

Deinceps novæ & κατ' ἐξοχήν, ut perhibent, veræ pathologiæ conditores, id volunt & urgent, & calculum, & podagram, ex hæmorrhoidali fluxu deficiente, vel minus rite succedente, excluſa omni acri, falsa, tartarea intemperie ac humorum dyscrasia, pullulare. Utut autem non negandum sit, quod quandoque hi affectus chronici a retento hæmorrhoidum, vel in mulieribus mensium fluxu, primam petant originem, eaque propter observante etiam *Hippocrate*, prodeunte sanguinis profluvio mitigentur: ex eo tamen minime sequitur, ergo semper ab hac causa dependent; quandoquidem a particulari causa ad universalem nullam plane valere consequentiam, notissimũ est philosophicum axioma. Ego certe sæpius vidi, succedente etiam, quin sub ipso hæmorrhoidum stillicidio. & calculum, & podagram, tyrannidem suam exercuisse, de quo quidem omni dubitatione majus est exemplum *Cl. B. Dotæi*, qui sepius per litteras apud me conquestus est, quod per viginti annos, licet hæmorrhoides fluxerint, mire calculi & podagræ doloribus divexatus sit, a quibus tamen diæta lactea utens, per biennium liber egit, sed ad pristinum victum, & potum postea concedens, incidit in dysuriam, demum funestam. Tacemus, plerumque podagram & calculum esse morbos hæreditarios, ac illam maxime ab immodica Venere, Baccho & ira, & generari, & foveri. Neque semper insaniæ a plethora vel hæmorrhoidum fluxu suppresso incunabula trahunt, sed pariter affectibus hæreditariis accensendi sunt: & uti mania plerumque a continua præsertim cohibita ira ac impensis desideriis venereis accedit, ita melancholia a terrore & diuturno mœrore excluditur, vel etiam ab usu narcoticorum & stupefactivorum contrahitur, sine plethoræ concursu. Et sic etiam de aliis morbis, quorum ortum ad plethoram & retentas sanguineas evacuationes hujus theoriæ asserto-res unice referunt, sentiendum.

Neque insaniæ.

§. XXV.

Nulla etiam dantur hæmorrhoides certo moventia mendicamẽta.

Denique quo magis hi tam magni hæmorrhoidum patroni earundem successum urgent, & eodem sanitatem & conservari, & amissam revocari, confidenter asserunt; eo magis certe mirandum, ipsisque objici potest, quod nulla adhuc idonea, congrua remedia excogitarint ac norint, quibuscum potissimum hoc therapiæ suæ momentum conficere, ac mensium, vel hæmorrhoidum fluxum, cum certa ratione procurare, promovere, vel moderari queant. Nam intuta profecto, fallax & sæpe frustranea est hirudinum appositio, neque abomnibus admittitur. Elixirium quoque proprietatis, cum, vel sine acido, & pilulæ quæ aloen capiunt, vel balsamicæ ad mentem Becheri concinnatæ, licet certe commoveant, non tamen eadem ratione sanguinem emovent, ac intentioni respondent. Et suppositoria, pediluvia, & venarum sectiones, pariter spem atque expectationem destituunt, vel dubiam saltem ostendunt. Quid? quod magis mirandum, vel potius dolendum est, dum impensius frustraneo plerumque labore hæmorrhoidum fluxum proritare nituntur, ea remediorum genera, quæ interceptum liberum sanguinis per abdominis viscera progressum restituunt & afflictas nervosas partes solantur, thermas

vi-

videlicet, acidulas, omneſque ſoterios fontes, ſalia volatilia oleoſa, martialia bene præparata, lactis quoque aſinini, vel ferilactis & infuſorum theiformium uſum, balnea aquæ dulcis cum mutatione aeris, vel plane negligunt, vel oſcitanter ſpernunt, vel non ſatis pro dignitate commendant.

§. XXVI.

Ex ſuppreſſis narium hæmorrhagiis.

Poſt menſium ac hæmorrhoidum ſaluberrimam evacuationem, ſunt adhuc aliæ criticæ, tam ſanguinis redundantis, quam aliorum ſuperfluorum ac inutilium humorum inſuetæ ſæpe atque extraordinariæ excretiones, eum omnes in finem a natura inſtitutæ, quo ſub exquiſita æquabilitate atque proportione, corporis integritas illibata ſervetur. Videlicet in puerili ætate ante pubertatis annos, quin etiam adhuc adoleſcentiæ ætate, valde familiares & ſalutares per narium venas ſanguinis profuſiones ſuccedunt, quæ interdum ſatis crebræ & largæ ſunt, ſolennes maxime iis, qui mollioris texturæ, ſucculenti & ſpongioſi corporis habitus ſunt, multumque ſanguinis generant, quos ſanguineæ vulgo dicunt complexionis.

Capitis dolores

Hæc ſaluberrima redundantis ſanginis diminutio, ubi ſubſiſtit vel compeſcitur, protinus capitis gravativi dolores, cum oculorum ardore, facie inflata & rubicunda, oris & narium ſiccitate atque æſtu, vaſorum circa tempora forti pulſatione, accedunt, eo quod ſanguis exitum moliens, in vaſis capitis congeritur, ac diſtenſione, & compreſſione, ejuſmodi dolorificam ſenſationem excitat, ſanguinis autem e naribus ſtillicidium, vel ſponte factum, vel arte prolectum, mox gravem iſtum dolorem ſolvit atque diſcutit; id quod conceptis verbis etiam *Hippocrates Sect. 3. aphor.* 10. teſtatur, eaque propter, quando non ſponte procedit ſanguinis fluxus, *Sect. 5. aph.* 68. venam in fronte ſecandam jubet.

§. XXVII.

Oculorũ defluxiones.

Quando porro ſanguis ſegniter per caput curſum conficit; ac in venarum alveis ſtagnat, neque per vaſculorum in naribus oſcula ſtillat, in pueris decem annorum graves diuturnas ac valde acres dolorificas oculorum defluxiones, cum rubore & æſtu, quæ lippitudinem & ſuffuſiones inducebant, ſæpius vidi, juncto interdum etiam aurium tinnitu, memoriæ ſtupore, quæ prius non evanuerunt, quam per largam hæmorrhagiam, aut alvi fluxum, ſponte vel arte productum, aut etiam per veſicatorium, non capiti, ſed dorſo ad revulſionem applicatum, id quod in vitio erat diſceſſit. Sæpius quoque a me obſervatum, virgines ſanguineæ complexionis & floridi vultus, ante annos pubertatis non tantum capitis doloribus tentatas, ſed & ſubito in terram collapſas & convulſionibus epilepticis, non raro ſæviſſimis, eſſe correptas, quæ tamen omnibus aliis fruſtra tentatis, prolecto per intruſum in nares ſtilum largiter ſanguine, mox conquieverunt, & utut rurſus aliquot vicibus recurrerent, penitus tamen, erumpente circa annos pubertatis menſium profluvio, ceſſarunt.

Epileptici motus

§. XXVIII.

Leviores apoplexiæ

Simili ratione novi virginem, quæ primis ætatis annis largas narium hæmorrhagias experta, increſcente poſt pubertatis annos ſanguinis copia, eademque non ſufficienter per menſes diminuta, non modo capitis dolorem, ſed & cum ſenſuum turbis & aphonia, levem quaſi inſultum apoplecticum incurriſſe, quo diſcuſſo, manſit loquela ſuſpenſa, ſanguinis autem in pede miſſio egregiam tulit opem. Neque infrequenter in adoleſcentibus ſummum capitis dolorem, cum ſomno phantaſmatibus pleno, auditus difficultate & perverſa phantaſia annotavi, nullam aliã ob cauſſam, quam quod ſanguis redundans & per nares non exſolutus, tardius per cerebri vaſa trajiciatur, eademque nimium oppleat: hinc ſecta poſtmodum circa æquinoctia vena in pede, adhibitis pediluviis & alvo laxiori reddita, diſparuerunt penituſ-

Mentis turbæ.

que pathemata sublata fuerunt.

§. XXIX.

Exēpla. Notus mihi est magni nominis Theologus, sanguineæ complexionis, qui non modo in juventute, sed & adulta ætate, maxime circa æquinoctia, largas passus est hæmorrhagias narium, eaque propter meo ex consilio bis per annum admisit venæ sectionem. Hinc autem alio concedens, a medico ut sanguinis missionem omitteret induci se passus est; quo facto, subsistente pariter narium stillicidio, in capitis dolores, vertiginem, tinnitum aurium & surditatem paulo post incidit, cum præsentaneo insultus apoplectici metu, ad quem præscindendum venam aperiri suasi, qua etiam, licet surditas non sublata, apoplexia tamen discussa est. Aliquot etiam elapsi anni, quum ab honestissimo viro, aliquot abhinc milliaribus degente, antea sano, vegeto ac robusto, quinquaginta aliquot annorum, constitutionis sanguineæ, in consilium adscisceror. Hic quum currente puerili ac juvenili ætate, liberales sanguinis profusiones expertus esset, posteaque singulis annis semel vel bis sanguinem utiliter emitti curasset, verno tempore idem omittens, circa exitum Martii, post corporis refrigerationem & ingestos largiter difficilioris solutionis cibos, præter omnem opinionem sensu & motu privatus, nullius rei conscius concidit; emisso autem post aliquot horas e vena brachii per amplam aperturam sanguine, mox ad se rediit quidem, & paulatim loquelam, sensum ac motum recepit, capitis tamen ingentem imbecillitatem, & memoriæ defectum ab hoc insultu passus est, adeo, ut ex moderato etiam vini usu valde offendatur.

§. XXX.

Apoplexia. Nonnunquam tamen a sanguine in alveis canalium cerebri nimium congesto, subtiliora plexus choroidei vascula disrumpuntur, & propter immedicabilem extravasationem, funesta consequitur apoplexia. Et certe plura in observatis medicorum consignata sunt exempla, quod post hæmorrhagiam suppressam apoplexiæ lethales obortæ, ubi post mortem sanguis e naribus largiter manavit, uti *Hildanus Cent.3.obs.2.* perhibet. Aliquot porro exemplis confirmatum habeo, circa annum vigesimum primum, qui etiam est climactericus, retento narium stillicidio, posi stagnationem sanguinis in cerebri vasis, qualis sub leviori apoplectico insultu esse suevit, phrenitidem accessisse, ad quam discutiendam laudatissimum effectum præstitit larga sanguinis in brachio subtractio. Dignum est, ut huc referatur a *Bohnio de offic.Med. dupl.* adductum exemplum de juvene, qui phrenitide laborans, forti inflicta alapa, & facto post eam larga sanguinis e naribus profluvio, sanatus. Denique frequentioris etiam observationis est, cohibita narium hæmorrhagia, sanguinis impetum in asperam arteriam ruere, illumque tussi rejici; quod vero, si paulo major est copia, non sine mortis periculo contingit, quale exemplum a *Gabelckovero Cent. 4.curat.37.* annotatum. *Phrenitides.*

§. XXXI.

Tam grave, varium & multiplex est damnum, quod ex suppressa sanguinis redundantis evacuatione in corporis integritatem redundat. Jam quum serum etiam, plus vel minus impurum, & maxime quidem in corporibus quæ complexionis phlegmaticæ, vel sanguineo-phlegmaticæ, magis quam par est increscat, & sanitati insidias struat: pariter egregie pro sanitate est, si quando a natura, per quam nihil aliud quam admirandum istud corporis ejusque partium structuræ artificium, ad vitalem sanguinis circulum cum excretionibus perficiendum, a divina providentia destinatum, intelligo, a nimia ejus copia, etiam præter & extra ordinem per insuetas excretiones, corpus liberatur. Videlicet præter eam vitiosi seri diminutionem, quam quibusdam per spontaneos largos nocturnos sudores utiliter succedere, & cum præsentaneo detrimento compesci, supra *Defluvii seri vitiosi excretione.* *Per sudores.*

jam

jam meminimus: in plurimis adhuc utriuſque ſexus hominibus obvium eſt ſingulis fere annis, vere & autumno, per tuſſim & coryzam, cum levi febricula ſeroſum humorem rejici. Continget hoc maxime a perſpiratione tum ſufflaminata, ſæpiuſque ab aeris injuria interturbata, nec non poſt ingeſtos multos incongruos cibos, ac tanta ſæpe, in ſenibus potiſſimum, tuſſis eſt vehementia ac pertinacia, ut per aliquot menſes corpus quatiat, & incredibilis humoris viſcidi copia, cum virium languore, inappetentia, inquietudine ac interno æſtu eliminetur; quod tamen, ſi non imprudenter ſiſtitur; ſed leniter temperantibus & laxantibus tractatur, egregie cedit in ſanitatem; quum contra adhibitis pectoralibus, dulcibus ac reſolventibus, tuſſis exaſperetur, longiuſque extrahatur. Quibuſdam quoque mucidæ ſordes in puerili ætate largiter per nares expurgantur cum valetudinis commodo; ſi autem increſcentibus annis retinentur, oculi hebeſcunt, defluxionibus acribus tentantur, dolor capitis gravativus cum vertigine adeſt, nec non torpor; quæ omnia reſtituto muci debito effluxu, diſcutiuntur.

Tuſſim & coryzam.

§. XXXII.

Porro ſolenne eſt, ut ſerum acre bilioſum redundans, ſæpe ſalutariter admodum per ductus biliarios, glandulas inteſtinorum & tunicas glanduloſas, ſub crebris dejectionibus, quæ in ſenibus ob perſpirationem imminutam & copiam ſeri excrementitii interdum diutius durare ſolent, eliminetur. Hæc quando largius & paulo longius ſuccedunt, infirmant quidem; egregium tamen poſtea commodum afferunt, præſertim ſi vitæ victuſque exquiſita habeatur ratio. Vera enim *Celſi* de ventris fluxu *lib. 4. cap. 19.* eſt ſententia, *uno* inquientis, *die fluere alvum ſæpe pro valetudine eſt, atque etiam pluribus, dum febris abſit, & intra ſeptimum diem id conquieſcat.* Purgatur enim *corpus, & quod intus læſurum erat, utiliter effunditur.* Quando vero hæc ſalubriter inſtituta evacuatio imprudenti conſilio adſtringentibus ſiſtitur, vel nimis calidis balſamicis compeſcitur, magna excipit virium imbecillitas, inappetentia & febricula quædam, ipſumque profluvium, licet aliquandiu ſubſiſtat, repetit tamen, cum teneſmo, borborygmis ac torminibus. Interdum etiam, ut perite *Sanctorius* meminit, per urinæ largius profluvium, quandoque, ſingulis menſibus, ſuperfluum, & quod naturæ oneri erat, eliminatur, dum *Sect. 1. aph. 65.* ſcribit: *corpora quoque virorum ſana & moderatiſſimo victu utentia ſingulis menſibus fiunt ſolito ponderoſiora, unius ſcilicet duarumve librarum pondere, & redeunt ad conſuetum pondus circa finem menſis ad inſtar mulierum; ſed facta criſi per urinam paulo copioſiorem, vel turbidiorem.* Ipſe quoque compluries obſervavi, quod circa cauſſam externam, quibuſdam urina effuſe prodeat, alvo ſegniore & perſpiratione imminuta.

Copioſa diarrhœa.

Urinæ largius profluvium.

§. XXXIII.

Quandoque evenit, ut excretiones ſuccedant inſolitæ & præternaturales ſeri ſalſi acris per varia loca, ut per ulcera circa malleolum pedis, per glandulas axillares, per ſcrotum, vel oculorum glandulas, per herpetem & impetiginem in manibus, ac pedibus, ſtatis anni temporibus redeuntem, vel etiam per fonticulos, cum egregio ſanitatis emolumento; quæ ſi remanent, aut improvide medicamentis præſertim externis, cohibentur, non modo ingens laſſitudo, anxietas & inquietudo corpus corripit, ſed & ſæpe dolores ac ſpaſmi artus, ipſaſque internas partes, præſertim inteſtina, infeſtant, non ſine periculo. Memorat *Riedlinus lin. med. an. 1696. pag. 133.* Ex hæmorrhoidibus fiſtulam ani natam, & ultra ſeptimum annum fluentem, poſtea vero deſiccatam, in quodam mercatore primum reſpirationem difficilem & pedum tumorem cum levi exulceratione, deinceps ardorem ventriculi dorſique cum alvi

Aut p. n. per inſolitas vias.

obstructione & febre, tandem lethalem induxisse apoplexiam. Eandem quoque in rem apprime facit exemplum nobilis, cujus *Timæus a Guldenklee de aff. cap. cas.* 28. meminit. Hic enim quum ab ulcere, quod multos annos gestarat, paucos intra dies consilio vetulę liberatus esset, elapso mense, incidit in tam vehementes capitis dolores, ut de vita desperarent, ac paulo post occæcatus est. Horis autem matutinis a somno multum viscidæ ac flavescentis fœtidęque materię frequenti exspuitione citra tussim rejecit, ac cōquestus est, se quamdiu jejunus esset, eundem fœtorem in ore percipere, quam qui ex ulcere pedis spirarat.

§. XXXIV.

Conclusio Quæ quum ita sint, quis jam dubitabit, valetudinis integritatem excretionum successu maxime niti atque foveri, easdemque licet extraordinariæ ac insuetæ sint, si tamen diu cum sanitatis emolumento successerunt, non sine periculo supprimi. In quo quidem maximopere cavendum non solum ab omnibus animi affectibus, præsertim terrore ac ira, medicamentis constringentibus ac sopientibus, sed etiam ab intempestivis evacuationibus, quibus ex facili evacuationes turbantur, vel minimum cum discrimine alio divertuntur. Quod si vero natura in perficiendis saluberrimis omnis generis excretionibus vacillare aut deficere videatur, medentis est, eas quavis ratione promovere, earundemque successum levare, quem in finem egregiæ sunt utilitatis venæ sectiones, laxantia lenia diaphoretica, curationes sic dictæ vernales, & quæ reliquis fere omnibus hac in re præripiunt palmam soteriæ aquę, tam thermæ, quam acidulæ, vernali & autumnali tempore prudenter usurpatæ, quibus non solum gravissimi morbi præscinduntur, sed etiam pertinaces atque rebelles expugnantur ac abigantur. Sin autem subito interceptam aut cohibitam esse excretionem quandam contigerit, minime cunctandum est, sed promta ope eo annitendum, quo revocetur, priusquam quod retentum in nobilioribus sedem figat, latius noxam diffundat, & difficilem ancipitemque medicationem faciat.

CAPUT X.

De generatione morborum ex morbis.

§. I.

Imbecillitas præcipuis morborum caussis. QUum vera & rationalis therapia, sive medendi morbis scientia, maxime omnium accurata morborum diagnosi eorumque ex causis suis ortus ac incrementi cognitione nitatur, atque etiam a nobis in prioribus de earum ægritudinum genesi actum sit, quæ a mole & qualitate humorum perversa, eorumque evacuatione deficiente, vel cohibita, originem trahunt: nunc porro ad earum contemplationem accedendum, quæ a solidorum vitio, virtute ac robore dejecto, sive imbecillitate, quam plerumque præcedentes morbi relinquunt & ingignunt, incunabula trahunt; quo sic manifesto diluceat, non modo fluidorum, sed & solidorum vitiosam ac præternaturalem constitutionem, ad gignendos morbos magnæ virtutis, eaque propter a perito medico magnopere esse considerandam. Nam quandocunque plenas & accurate consignatas morborum historias paullo accuratius lustramus, animadvertimus, non robustos, firmos & valentes, sed maxime eos, qui vel natura imbecilliores sunt, vel ob adversam præcedentem valetudinem tales redditi, cum morbis conflictari & medicam opem poscere, difficulter tamen sanationem recipere, atque etiam summa cum circumspectione prudenter & leniissime esse curandos. Hinc quanto minus sani & robusti, diæta ad leges sanitatis exquisite composita, medico aut medicina egent: tanto magis certe debiles & imbecilles

eadem

eadem desiderant; ut adeo verissimum sit sanctissimi Salvatoris edictum: non firmos, sed languidos medico indigere; eo quod, ut recte pridem observavit *Celsus lib* 1. *cap.* 3. omnibus morbis obnoxia est infirmitas.

§. II.

Virium ratio ex efficacia motus.

Quæ quum ita sint, haud postremus certe medici labor eo dirigendus, quo corpora valentia & firma, ab infirmis & minus valentibus, probe distinguere discat. In quo quidem recte perficiendo, tenendum, quod quemadmodum in universa rerum natura omnis vis, virtus & robur ad efficaciam motus referri debet, ita quoque robusta natura corpusque firmum habendum sit illud, ubi efficacia motus, tam in actionibus naturalibus, quam vitalibus & animalibus, vivida sese exserit. Vigent autem animales functiones in iis, qui mente & corpore duros etiã labores ac diuturnas fatigationes sine noxa sustinere possũt; ac vitales & naturales vigent in iis, qui pulsu gaudent magno pleno ac robusto, bene appetunt, digerunt ac egerunt, & solida habent corporis membra, neque facile animo moventur, aut a caussa quadam externa læduntur. Quæ omnia in lãguidis ac debilibus secus eveniunt, utpote qui & facile fatigantur, & a levi animi affectu, intemperie aeris, aut vitio in diæta commisso, offenduntur, vel a quadam medicina purgante aut alterante facile moventur aut læduntur, verbo, qui sunt, ut ita loqui liceat, sensibilissimæ naturæ, perquam facile in morbos incidunr, diu cum iis conflictantur, ac tardius vigorem pristinum recipiunt.

§. III.

Et solidorum dispositione dijudicanda.

Deinde quoad ipsam naturalem partium solidarum dispositionem & structuram, robore & viribus præ aliis valent, morbisque minus obnoxii sunt, qui majora obtinent vasa, strictiores fibras carneas, robusta ligamenta, nervos & tendines magnos; imbecilliores vero & morbidi merito habentur, qui obesi, laxioris & spongiosioris sunt carnis, tenuja & exigua gerunt sanguinis vasa, exiles nervos teneraſque membranas. Nam sub robore solidorum, quæ fluida impellunt, & canalium amplitudine, longe majori facilitate & promtitudine contenti humores circumaguntur, & secretiones utilissimorum ad vitam succorum, & excretiones inutilium, longe melius vigent, quam sub copia ac exiguitate vasorum, fibrarum laxitate, & nisu ac renisu languido; & hinc omne id, quod lædit ac morbos efficere aptum est, promte removetur ac eliminatur, & illibata servatur corporis integritas. Neque male huc referri poterit *Hippocratis* aphorismus, *Sect.* 2. *p.* 44. quo perhibet, spongiosos natura & obesos, magis cito mori, quam graciles & strictioris habitus.

§. IV.

Ad imbecillitatem facit sexus.

Jam quum sexus fœmininus ordinario ejusmodi molli, laxo, tenero & succulento corporis habitu incedat, in proclivi est judicare, eundem longe imbecilliorem, morbis quoque magis expositum esse, quam virilem nobiliorem, quin, si menses, qui pro valetudine fœminarum sunt, non rite manant, *Hippocratis* effato, omnem morbum bis pati. Deinde ratione ætatis infantes & senes maxime omnium imbecilles variisque morbis obnoxios esse, difficilius etiam convalescere ac facile succumbere, experientia constat. Nimia enim fibrarum in infantibus est laxitas, adeoque quam maxima ad stagnationes & decubitus humorum proclivitas: in senibus vero magna fibrarum rigiditas, pororum strictura & vasorum capillarium anguſtia, quo fit, ut utiles succi difficilius secernantur, & inutiles minus sufficienter ejiciantur. Pariter id crebriori observatu in comperto est, firmos, & robustos corpore ac animo parentes, valentes ac sanos; imbecilles contra, valetudinarios, senes quoque & ebrios, debiles, teneros ac morbidos gignere infantes. Nam certe præcipuæ atque difficiles, quæ homines affligunt,

Ætas.

medicisq; plurimum negotii facessunt, ægritudines sunt hæreditariæ, & non tam a fluidorum, quam potius congenitis solidorum vitiis dependent. Inter capitis quidem affectus, maniam, melancholiam, apoplexiam & epilepsiam, inter pectoris morbos, hæmoptysin & phthisin, quoad partes in imo ventre contentas, affectum hypochondriacum spasmodico-flatulentum, renum, & vesicæ calculum, anomalum fluxum hæmorrhoidalem, in fœminis malum hystericum, & quoad partes externas, dolores rheumaticos & arthriticos, in liberos per nativitatem transire, constantis semper & perpetuæ fuit experientiæ.

§. V.

In primis etiã morbi diuturni præcedẽtes.

Præter hanc, quæ ob sexus, ætatis & nativitatis rationem accidit imbecillitas, sunt adhuc aliæ causæ, quæ corpus sanum antea ac robustum infirmare & solidarum partium virtutem, tonum ac robur imminuere, frangere atque prosternere, corpusque ad graves morbos ingenerandos disponere possunt. Horum in censum, præter diuturnos & graves animi affectus, immoderatas mentis in studiis fatigationes atque meditationes, abusum quoque Veneris & Bacchi, diætam pravam, assiduas vigilias, & duros labores, maxime omnium referendi morbi, præsertim, si ægrorum culpa longius extrahuntur, vel ob medicorũ errorem perperã tractantur. Ea enim est motuum morbosorũ ac in primis febrium indoles, ut non solum succos vitales absumant, atque totam sanguinis & humorum massam vitiẽt, & corruptam ac impuram reddant; sed etiam solidis partibus omne robur motusque potentiam subducant, quo ex facili denuo stagnationes, stases & corruptiones conciliantur, morbique contrahuntur. In primis tamen ingens ventriculo & intestinis accidere solet imbecillitas, unde aucta post morbum ciborum appetentia, digestione autem vacillante, alvinæ sordes retinentur, cruditatum sentina colligitur, quæ si non repetita evacuatione, subjunctis ventriculi tonum roborantibus, tempestive submovetur, nova morborum minera conflatur, quæ sensim sanitatem subruit, tandemque ipsa mora vel prima data quavis occasione, in graves morbosas afflictiones conspectius transit.

§. VI.

De dãnis ex debilitate univers. sali per hæmorrhagia

Hæc ut eo testatius patescant, per classes & varias causarum series eundo, morborum ex morbis generationem dilucide evolvam. Et primo quidem loco nihil frequentius evenit, quam quod post enormes & tantum non incompescibiles hæmorrhagias, e.g. in abortu, puerperio, gravi vulneratione, aut etiam post largius menstrui vel hæmorrhoidalis sanguinis profluvium, frigidi sic dicti morbi, ut cachexia, pedum œdemata, anasarca, & aliæ funestæ hydropis species, vel etiam atrophia, summus virium languor, febris lenta & hectica, enascantur, aut præcedentes morbi longe pertinaciores reddantur. Nimium enim exhausto virium, & fluidi, quod motum ac robus solidis fœnerat, fonte, sanguine, ventriculi & canalis, qui vitali machinæ alimentum conveniens parat, actio atque digestio non modo minuitur, sed & robur quo solidæ partes gaudent, & quo inutile ejicitur, utile vero intime permiscetur & ad usum servatur, admodum labefactatur, ut non possit ingens & cruditatum in primis viis, & impurorum succorum in venis, fieri proventus, quem urinæ copiosæ, plus minus turbidæ & albæ, luculenter manifestant. Accedit, quod ob languidum humorum circuitum & interceptam sordium exclusionem, passim in visceribus stagnationes, obstructiones & stases gignantur, & vitales corporis succi inquinentur, eoque pacto, tam ad longas, quam acutas & periculi plenas afflictiones, via sternatur. Quæ omnia non solum, & majora & deteriora fiunt, si animi perturbationes complicantur, vel in dieta committitur vitium, aut impensior corporis refrigeratio contingit, sed etiam eo cer-

certius funeſtum ſortiuntur eventum, ſi medentes ejuſmodi infirmos validiori & crebriori evacuatione adhuc exercent, aut nimis calidis exagitant.

§. VII.

Et puerperium inducta

Deinceps ex omnibus, quæ univerſi corporis firmitudinem atterunt, idque ad morbos ſuſcipiendos præparant, vix quicquam efficacius eſt, quam puerperium; utpote quod multas varias, eaſque graves affectiones, non raro inducere obſervatur. Vidimus poſt illud ſpaſticas hypochondriorum & diuturnas hyſtericas paſſiones; vidimus multas in melancholiam, hemicraniam, abdominis perpetuam flatulentiam, tumorem, cachexiam, delapſas; annotavimus ſterilitatem, fluorem album, corporis languorem, cum lento calore, & quæ plura alia ſunt. Præterquam enim quod cum ſanguine largius ex fauciatis vaſis effluente multum virium effundatur, ipſi graviores partus labores corpus admodum exhauriunt, ejuſque partes vigore ac robore privant, quibus accedit, quod ipſe uterus perquam facile labem patiatur, ut excluſo fœtu, poſt tam ingentem extenſionem, naturali tono non redditus, ſanguis per contorta ejus vaſa minus expedite trajiciatur, ſed paſſim ſubſiſtat, univerſumque corpus inde graviter luat. Ethinc omnia illa, quę memoravi, mala ſubnaſcuntur, quæ mirum quantum gravior animi ex affectibus commotio accelerat, frigidus autem potus, improvida corporis refrigeratio, parva victus ratio, & valentiora pharmaca pariter advocant, augent & exacerbant.

§. VIII.

Ex particulari debilitate per apoplexiã paralyſis.

Neque vero tantum univerſalis corporis ex morbo debilitas, ad novas & alias concipiendas ægritudines aptiſſima exiſtit; verum etiam ſæpenumero a morbis quibuſdam peculiaris & certæ cujuſdam partis imbecillitas, alium morbum invehens, remanet. Atque ut ordiamur a capite, multiplici idemtidem obſervatione conſtat, quod diſcuſſa apoplexia, dextri vel ſiniſtri lateris paralyſis relinquatur, ubi brachium & pes, reſtitante quidem debiliori ſenſu, motu privantur, conjuncta oris tortura & linguæ balbutie. Ratio hujus effectus & modus, quo generatur tam grave malum, in expedito eſt. Scilicet in apoplexia meningum vaſa a ſanguine copioſius eo ruente, admodum expanſa & diſtenta ſunt, ut intercepto ejus libero itinere, ſeroſa pars ſecedat, in poſticam cerebri partem & ſpinalis medullæ principium deſcendat, unde fluidi quod nervi vehunt influxus ſufflaminatur, & membra ſubjacentia priſtinã tenſionem priſtinumque ad motum & ſenſum neceſſarium vigorem amittunt. Quin immo quia cerebri & medullæ oblongatæ fibræ, exuberante ſeroſi humoris copia ita perfuſæ, nimium flacceſcunt, fit, ut intercidente earundem debita tenſione, apoplecticum inſultum utplurimum ſtupiditas, ingens memoriæ debilitas, ſomnolentia & ad obeundas actiones ſummus languor conſequatur.

Et ſtupor animi

§. IX.

Poſt epilepſiã oculorũ vitia.

Epilepſiam cerebrum ac nervos præſertim opticos mire debilitare, vel ex eo clarum atque perſpicuum fit, quod hanc ipſam in repentinam cœcitatem tranſiiſſe *M.N.C. Dec. 1. An. 3. obſ. 161.* it. *Cent. 1. An. 2. obſ. 130.* fidem faciant. In graviori enim epilepſia ſanguis impetu, ob fortes ſpaſticas in abdomine ſtricturas ad caput urgetur, ubi tardius circumactus & ſtagnans, ſerum dimittit, quod in anteriora cerebri & nervorum opticorum thalamos deſtillans, eas obſtruendo, guttam ſerenam producit. Et quia in paroxyſmis epilepticorum nervi, qui oculis motum præſtant, ſimul diſtorquentur, oculorum ſitus interdum pervertitur, unde ſtrabiſmus, quem *Segerus* in *M.N.C. Dec. 1. An. 3. obſ. 162.* in infante ex paroxyſmo epileptico ſe obſervaſſe memorat.

§. X.

Maniæ in melancholiam, ac viciſſim

Post maniam melancholia & vice versa.

melancholiæ in maniam, facilem admodum fieri transitum, crebra testatur experientia; quandoquidem in utroque affectu meningum vasa viscidi sanguinis copia infarcta sunt, cujus in melancholia tardior & difficilior, celerrimus vero in delirio maniaco est progressus, propter auctam meningum strictúram, sanguinis citatiorem cursum efficientem. Quemadmodum vero fortiorem spasmum semper fere ejusdem partis atonia & flaccidus languor excipit: ita etiam cessantem, quæ in paroxysmo maniaco præsto est, nimiam membranarum & vasorum cerebri cõstrictionem, eorundem relaxatio & debilitas subsequitur, qua postea sanguinis difficilior & tarda per has partes fit progressio; ex qua melancholicorum phantasmata sua trahunt incunabula.

§. XI.

Ex febre acuta surditas.

Ex febre acuta, caput & nervosum genus occupante, cujus generis solet esse dicta Hungarica, quam delirium, vel stupor quidam, aut acerbissima cephalalgia comitatur, sæpenumero surditas, vel minimum difficultas auditus, resultat, quæ per totam quandoque vitam persistit. Non quidem malum alias indicium, sed salutaris criseos noram præbet, si in acutis febribus, circa critica tempora, hebetudo auditus accedit, neque sine ratione. Nam si crisis perfecta est, strictura solidorum, quæ tamdiu quam febris impetus durat, remittit, eoque facto, pulsus celeritas & ad cutis tubulos redit evacuatio, & meatus jam magis patuli facti, non tantum tenuem serosum humorem, verum crassiores etiam fœculentias dimittunt. Verum tamen quia in acutis capiti infestis febribus, laxato meningum spasmo, fibris remissioribus factis, sanguis tardius iter conficiens serum deponit, quod ad principium nervorum acusticorum descendens, difficilem auditum producit; is neglectus, ex facili in perpetuam & immedicabilem surditatem transit. Quippe si caput tum improvide frigori exponitur, vel medentes discussioni stagnantis humoris per convenientia cephalica & sudorifera minus invigilant, partium cerebri, quæ ad auditus organum pertinent, a subsistente sero fit compressio, corruptio, aut magna læsio.

§. XII.

Post hæmoptysin phthisis.

A capite, ceu suprema corporis regione, ad mediam nempe, thoracem, progressum facturi, deprehendimus multos esse pectoris morbos, qui magnam imbecillitatem vastissimo pulmonum viscери inferendo, illud ad varios affectus morbosos disponunt. Nihil enim frequentius in praxi observatur, quam quod hæmoptysin, præsertim perperam curatam, presso pede phthisis insequatur, idque eo magis, quando nimis celeriter exitum affectans sanguis, adstringentibus vel narcoticis, vi quasi cohibitus fuit. Videlicet quemadmodum veræ omnium hæmorrhagiarum causæ non aliæ sunt, quam fortes spasticæ vasa simul comprimentes in abdomine aut remotis aliis partibus strictúræ, quibus liber sanguinis circuitus intercipitur, ita ut is coarctatis alibi meatibus, in alias partes cum impetu ruat, ibique perrumpat, ita pari ratione si ad pulmones ejus appulsus urgetur, eorum vascula, quæ hiant in tracheam, mirum distenduntur, & ingens ejus in hanc fit effusio. Quod si igitur neque spasmorum, neque inæqualis circuitus ratione habita, adstringentia præpropere dantur, sanguis tenuis ac floridus crassescit, in coagulum abit, & effluere nescius, vel putredinem concipit, vel secedens serosus humor tubercula ingenerat, ut vomicæ vel ingens exulceratio oboriantur. Etenim quando ob humoris acrimoniam, vel distendentem nimis ejus copiam minutissimæ pulmonum vesiculæ disrumpuntur, ex pluribus una, vel plures amplæ cavitates resultant, extrema vero vasorum capillamenta exesa magis patula redduntur, ut multum succi chylosi in cavernulas influat, qui ob hiantia capillaria, & lymphatica vasa non resorptus, sed stagnans,

gnans, lentorem contrahit, spissescit & turbidus ac glutinosus fieri, ac si longius moram nectit, fœtere incipit.

§. XIII.

Ex pleuritide abscessus pulmonũ.

Pleuritidem in abscessum vel empyema transire, dudum gravissimus auctor *Hippocrates*, passim in monumentis suis tradidit, inprimis *aph.* 8. *&* 15. *Sect.* 5. perhibet: pleuritidem in empyema, (quo nomine, ut auctor est *Galenus*, quamlibet in pus mutationem insignit) degenerare, si purulenta non intra quatuordecim dies excludatur materia, & quando hæc in empyemate non desinit, intra quadraginta dies fluere, phthisin fieri; id quod etiam experientia confirmatur, atque expedita ratione nititur. Nam in pleuritide vera haud absimili ratione ac in peripneumonia, ipsius pulmonis exterior substantia, non vero quæ tantum costas succingit membrana, inflammatorio & dolorifico ex sanguinis stasi tumore est affecta. Hæc itaque inflammatio si penitus dissipatur, morbus perfecte sanatur; at si discuti renuit, in purulentam abit materiam, e pectore rejiciendam. Quod si vero intra quatuordecim dierum intervallum nec febris decedit, nec puris excretio sequitur, tunc justa est suspicio, materiam inhærentem formare vomicam, qua demum rupta, si puris screatus intra quadraginta dies non cessat, phthisis præstolatur: certum quippe tunc est indicium, vomicam ulterius serpere, & acre pus totam pulmonum substantiam in exulcerationem trahere, unde tabes & phthisis.

§. XIV.

Quod testimonio Aureliani,

Et certe pleuritis longe facilius in empyema cedit, quam quidem peripneumonia, quia recte monente Cælio *Aureliano p. m.* 420. *peripneumonia est tumor in toto pulmonum corpore, pleuritis vero tantummodo in ejus parte;* vel potius, pleuritis est inflammatio magis superficialis, peripneumonia vero altior & profundior: in hac sanguis magis serosus, in illa cruor crassus stagnat. Quare sicuti sanguinis chylosi & gelatinosi facilis est in purulentam materam transitus: ita cruor crassus difficilius in pus mutatur, sed magis in corruptionem vel sphacelum abit, aut vasa obturat: & hinc peripneumonia est morbus valde acutus, qui nisi intra paucos dies discutitur, funesta sphacelatione vel suffocatione perimit. Dignum videtur quod hic interseratur exemplum Mindæ Westphalorum olim a nobis observatum, de viro, qui superata pleuritide incidit in tussim, maciem, febrem, inquietem & spirandi angustiam, exactis autem sic duobus mensibus, præter omnem expectationem, pus album & congelatum, sed, minime fœtens, ad aliquot libras, trium circiter hebdomadum spatio, rejecit, eodemque evacuato, pectoralis balsami & lactis usu, perfecte sanitati redditus est. Neque minus commemorabilis est casus in dissertatione *de rarissimo succi nutritii ex thorace stillicidio*, expositus, ubi pleuritis tandem in empyema, sinistrum totum pulmonis lobum, teste sectione, consumens, degeneravit, erosis simul & apertis ductus thoracici ramulis, quia succus chylosus, sapore dulcis, aspectu lacteus, odore spirituosus, cujus ego locuples αὐτόπτης testis sum, per multos annos ad aliquot uncias quotidie, ex thoracis apertura, quæ ad empyematis exclusionem acu facta fuerat, stillavit.

& exemplis confirmatur.

§. XV.

Causa sæpe veniens sectio,

Quod vero tam sinistræ pleuritidis curatio nonnunquam succedat, in culpa sæpissime est imprudens & præpostera medentium methodus, qui in sanguine detrahendo vel nimis parci sunt, vel interdum nimis liberales & effusi. Utrumque malum. Recte enim *Verzascha ad ser.* 8. confirmat, ex neglecta venæ sectione empyema facillime subsequi, præsertim in spongiosi habitus corporibus. In cujus confirmationem *Heurnius comment. supra aph.* 8. *Sect.* 5. sequentem affert histo-

vel nimis parca,

historiam: *vidi*, ait, *juvenem triginta annorum succi sanguinisque plenum, qui, cum rure esset, humi dormivit ac in pleuritidem incidit. Tarde huic a Medico parumque sanguinis detractum fuit, dolor perseverabat, decimo quarto in empyema versum fuit malum, dein expuratum, tandem cum fœda multa expectorasset ac extabisset, obiit.* Idem tamen evenit & empyema gignitur, quando vicissim nimium sanguinis, per iteratas missiones evocatur, eo quod his repetitis puris rejectio supprimitur. Hinc perite *Ballonius lib. 1. epid. pag. 226.* prodidit: *revera graviter ab iis peccatur, qui in pleuritide naturam multo detracto sanguine exinaniunt.* Et hæc quoque dubio procul causa fuit, quare in juvene viginti annorum, in quo decies phlebotomia celebrata, pleuritis in empyema concessit, teste *Riverio Cent. 1. obs. 79.*

vel largior.

§. XVI.

Ex humorum decubitu ad pectus tussis, dyspnœa & puris sreatus

Porro ingens humorum decubitus ad pectus, in iis præsertim, qui pituita abundant & mali habitus sunt, diuturnam humidam tussim cum spirandi angustia suscitat, qua demum ita læditur pulmonum substantia, ut copiosissima materiæ purulentæ & chylosæ contingat rejectio. Tono namque vasculorum & membranarum pulmonalium destructo, humores ibi cum sanguine congesti hærent, & acriores redditi, distendendo & erodendo ingentes cavitates efformant, ad quas perpetuus succorum est affluxus, stagnatio & extravasatio. Quam vero difficile sit hunc humorum motum a pectore ad alia loca divertere, pulmonumque deperditum tonum restituere, ii norunt, qui in artis operibus cum solertia versantur. Non vero solum Medici imprudenti medela, sed etiam ipsi ægrotantes, perverso victus regimine, sæpenumero multum conferunt, ut humida diuturna tussis, tandem in phthisin, vel etiam asthma & hydropem, concedat. Pessimus enim Practicorum mos est, ut in tussi, cujuscunque generis vel originis fuerit, dulcia, incrassantia, emollientia liberali manu propinent, quibus tam pulmonum, quam ventriculi & intestinorum robur amissum plus adhuc dejicitur, cui potius convenienti stomachica & balsamica medicina erigendo, & superfluis humoribus evacuandis, in curatione unice intenti esse deberent.

§. XVII.

Ex asthmate tumores ac hydrops.

Ex spirandi angustia atque difficultate, quæ orthopnœæ, vel asthmatis nomine insignitur, tumores œdematosos & hydropes, tam thoracis, quam abdominis, progigni, in praxi sæpe sæpius animadvertitur. Et quo magis asthma urget, ut est spasmodicum & convulsivum, eo facilius funestum thoracis hydropem, vel etiam ipsum ascitem producit: sicut contra lentum & diuturnum asthma, paulatim cachexiam & œdemata pedum conciliat. Qua vero ratione horum affectuum generatio procedat, explicatu non adeo arduum est, quandoquidem vel ob meatuum non infrequenter a polypo obstructionem, sanguis ex uno cordis ventriculo ad alterum ægerrime per pulmones traducitur, sed ad cavitatem dextram & hinc ad universum venarum genus, propter obicem positum, regurgitat. Et quia tardissimus inde fit sanguinis ex venis in arterias transgressus, hinc serosi humores quam facile in venis repletis secedunt, inque porosam maxime inferiorum partium substantiam ingrediuntur. Longe vero celerior hæc seri a sanguine secessio tam in pericardium, per auriculæ dextræ poros, quam in thoracis cavum, per aperta vasa lymphatica peragitur, ubi vel polypo vasa pulmonalia infarcta sunt, vel convulsivum, longiori temporis spatio affligens, asthma, liberum sanguinis iter per pulmones intercipit; quippe tunc seri per meatus patulos in cavitates expressio urgetur ac promovetur.

§. XVIII.

§. XVIII.

Malum hypochondriacum.

Nunc a media corporis regione ad infimam descendendum est, ubi eos morbos, qui ex visceribus abdominis a præcedenti morbo debilitatis, prodeunt, spectabimus. Ex iis vero, qui in ventriculo ac intestinis sedem suam atque domicilium habent, vix ullus frequentior est, quam spastico-flatulentus, multis & variis pathematibus conspicuus, quem nostro ævo mali hypochondriaci, vel hysterici, si fœminas affligat, nomine efferre solent. Nam quando universus, a faucibus usque ad anum elongatus nerveo-membranaceus exquisitissimæ sensationis canalis, a morbo præcedente læsus fuerit, adeo ut ejus tonus ac motus peristalticus destructus, vel crusta villosa, quæ colatorii munere fungitur, obstructa, aut glandulæ, quæ solventem & fermentalem succum præbent, obstipatæ fuerint, aut bilis, quæ chymi correctorium & optima veluti medicina est, intemperata evaserit: nihil aliud efficitur, quam ut abolita digestione & secum debita expulsione, multi humores crudi, viscidi, corrosivi ibi consistentes, nervosas partes exagitando, spasmos, convulsiones & flatus proferant. Quæ cuncta ob consensum generis nervosi, anxietates, dolores, inquietudines, maximasque molestias in capite, thorace, hypochondriis & abdomine creant. Jam vero diligenti & attenta observatione practica constat, hypochondriacum hunc morbum non frequentius ingenerari, quam ab intermittentibus, præsertim tertianis, male curatis. Nam si ante correctionem vel evacuationem materiæ, quæ febrilis commotionis causa est, paroxysmi variis artificiis constrictoriis nimis propere reprimuntur, ea in visceribus & ductibus excretoriis remanet, & ex mora deterior facta, alias periculosiores strictura & meatuum obstipationes, cum offensione ventriculi & intestinorum efficit: idque eo magis, si diætæ vitium aut intemperantia affectuum, quibus in passionibus spasmodicis concitandis nihil potentius est, accedat. Intermittentes enim febres quum fomitem & mineram suam in ductibus biliariis, pancreaticis, atque etiam ventriculi ac intestinorum valvulis, plicis atque flexuris habeant, in exquisite sentiente hoc canali suam potentiam, quæ vix ullis aliis quam spasticis tensionibus absolvitur, exserunt.

ab intermittentibus male curatis.

§. XIX.

Ex alvi fluxibus tabes &c.

Simili ratione diarrhœæ & dysenteriæ neglectæ, vel perperam tractatæ, immedicabilem sæpe in intestinis erosionem ac læsionem relinquunt. Nam quid frequentius est, quam quod ab intempestivo adstringentium in hisce morbis usu, vel vita periclitetur, vel diuturna fere insanabilis tabescentia, lenta febris, cachexia, vel spasticus hypochondriacus remaneat morbus, qui mala diæta & inordinatis animi affectibus multo pertinacior fit & ingravescit. Laborabat ante annum honestissima fœmina post male curatam dysenteriam acerbe & graviter variis symptomatibus, inappetentia, macie, phlogosi, atroci dorsi, lumborum & abdominis rosione, cum ingenti anxietate & alvi segnitie, quam nonnunquam copiosissima dejectio sequebatur, hisq; malis ultra sex menses eadem cruciabatur, tandem, divina aspirante gratia, antispasmodicis, roborantibus & leniter evacuantibus a me curata perfecta sanitate jam fruitur.

§. XX.

Ex quartana hydrops.

Deinceps ex intermittentibus diuturnior quartana plerumque infimi ventris viscera, ut hepar, lienem & pancreas, adeo lædere solet, ut funestus hydrops subsequatur: siquidem hæ febres altius utplurimum fomitem suam in viscerum tono destructo, eorumque a sanguine crasso infarctu, repositam habent, unde etiam magnam prudentiam, & sufficiens quoque tempus ad sanandum, desiderant. Nisi enim obstructio illa viscerum expedia-

pediatur,& ſanguini ac humoribus per vaſa abdominis venoſa liber circulus reſtituatur, ſupervacanea, vel plane noxia,omnis febrilem impetum ſiſtens medicina eſt. Tum quoque nihil eſt inconſultius, quam poſthabita ſanguinis miſſione, vel viſcerum obſtructorum reſeratione, aut alvi ſubductione, ſpecificis ſic dictis, ex quorum numero ſunt cortex chinæ, fraxini, radix tormentillæ, plantaginis, alumen & vitriolacea, motus febriles reprimere. Hæc enim incraſſando & coagulando humores, infarctum & indurationem viſcerum adaugent, quo fit, ut ibi, intercepto ſanguinis curſu, ſerum in vaſa lymphatica magna copia ſecedat, unde in hydatides abeunt, quæ poſtea diſruptæ, ſerum in abdominis cavum funeſto effectu effundunt.

§. XXI.

Quod teſtimoniis confirmatur.

Optime hunc generationis hydropis modum, jam olim *Galenus in c.7. aph.55.& l.4.aph.11.* tradidit dum inquit: *ſi aliquando contingit,hydatides, ſive veſicas hepatis aqua plenas diſrumpi, effunditur aqua ad locum membranæ abdominis interioris, epigaſtrio reſpondentem, in quo etiam hydropicorum aqua congregatur.* Idem graviſſimus auctor *Lib.3. in loc.affect. Cap.3.* de hydrope, quartanis male curatis ſuccedente, conqueritur, dum ait: *quartanæ male curatæ hydropem accedere crebro vidimus, præſertim ſi ægrotus in victu aberraverit, & intempeſtivo frigido potu caloris levamen quæſiverit, quo humores incraſſantur, obſtructiones & ſcirrhus in hepate ac liene pariuntur, & tum præcipue, ſi dejecti in paroxyſmo particulari, caloris putridi exhalationem externo quæſito frigore cohibuerint: qui impulſus, utrumque hypochondriorum viſcus adurit & indurat.* Et *Joh. Langius in epiſt.48.pag.175. & epiſt.39. pag.142.* hunc in modum differit: *niſi in febribus putridi humoris copiam ademeris, tum non modo tantam crudi humoris copiam calor naturalis concoquere non poterit, ſed præcipue in ſtatu & morbi declinatione reſoluta per calorem febrilem & ſudorem ſubtili humorum ſubſtantia, fœculentior pars* (*Germ.* dier Fieber-Kuche) *derelicta, fungoſam ac raram hepatis ac lienis ſubſtantiam ita infarciet & obſtruet, ut tandem, utroque viſcere, vel altero ſcirrhis obſeſſo & indurato, hydrops aut crurum œdema febrem excipiat. Quod tum maxime accidet, ſi alterantibus frigidis, citra evacuationem lenitivam aut evacuativam, uſus fueris, quæ materiam plus ingroſſant, quam reſolvunt. Quare, ne in febribus interpolatis nimis diu frigido potu utaris, diligenter caveto.*

§. XXII.

Ex tenui debilitate inflammatio, calculi, ulcera &c.

Præterea renes a præcedente morbo debilitati tono eorum deſtructo, non modo facile inflammantur, exulcerantur, ſed & ad calculorum generationem proni ac diſpoſiti evadunt. Evenit id maxime in plethoricis, vel quibus redundans ſanguis per uterum aut ani venas non expurgatur, vel vacuari ceſſat; hinc ipſe, circa vaſa in lumbis ſtagnans, gravativum ibi dolorem æſtumque efficit, quem dolorem, ſi imprudenter medici calculo adſcribunt, & calidiora, quæ urinam movent & calculos pellunt, propinant, gravia dicta renum vitia pleno ſcaturiunt alveo. Nam renalium glandularum, & vaſculorum tono, ob nimiam diſtenſionem, deſtructo, tardius procedit urinalis laticis ſecretio & deſcenſio ad veſicam, ut in ſyphunculis urinariis ſtagnans, tartarum, qui calculi eſt materia, ſponte deponat. Deterior adhuc res eſt, ſi inflammatio, & ex hac apoſtema, aut ulcus, generetur. Quam optime autem hi renum morbi arcentur matura ſanguinis miſſione, quam etiam *Riverius Cent.2. Obſer.15.* item *Grulingius in praxi Tr. de calculo pag.16.* ad hunc ſcopum obtinendum magni faciunt. Et hæc quoque eſt ratio, quare hæmorrhoides ſupervenientes nephriticis, ceu ſalutiferum remedium ſummopere *Hippocrates aph.11. Lib.6.*

dilau-

dilaudat. Hoc itaque naturæ consilium in avertendis his morbis medici merito imitari debent, & vel hæmorrhoides ad fluxum perducere, vel pedum venas aperire.

§. XXIII.

Ex calculo renum vomitus. At si calculus diutius & firmius principio uretheris impactus hæret, nec ex sede hac dimovetur: nervosas has partes perpetuo vellicando, ingentem in ventriculo nauseam & ad vomitionem suscitat irritationem, adeo, ut si quando nec natura, nec ulla arte peregrinus hic hospes cedere velit, perpetua ventriculi subversio, cum anxietate, inappetentia, macie & tandem mors subsequantur; quale triste exemplum non ita pridem in præclaro hujus urbis medico conspeximus. Nam magnum & arctius est renibus cum ventriculo consortium; hinc *Langius in Epistol.45. pag.168.* scibit: *plures calculo renali affectos, plusquam annuo ciborum fastidio tabescere vidi, nec unquam esuriisse: in quorum cura alii medici ventriculi imbecillitatem, alii venarum mesenterii & hepatis vel splenis obstructiones, in-*
icterus. *cusarunt.* Spalmus quoque a calculo suscitatus, usque ad ventriculum, & sæpe etiam ad duodenum, propagatus, molesta constrictione hujus peristalticum motum validissime invertit, unde patet etiam ratio, quare calculosi facile fiant icterici. Neque præter-
colica. eundum est, quod crebra ex calculo afflictio ita ventriculi atque intestinorum tonum ac robur imminuere ac labefactare possit, ut colica tormina & flatuum proventus calculi obnoxios levi data occasione vel caussa graviter exerceant. Ex renali vero calculo, si
& vesicæ calculus. quando in vesicam prolapsus, ob magnitudinem non foras ejicitur, continua tartari urinalis accretione, calculum vesicalem generari, extra dubitationem est. Igitur periti est medici, calculum, qui ex renibus in vesicam descendit, quantum fieri potest comminuere, ejusque exclusionem per urethram omni modo promovere, cui scopo obtinendo diuretica utique proficiunt.

§. XXIV.

Ex uteri vitio hæmorrhagiæ, abortus &c. Ex utero quoque male antea affecto plures prodire novos morbos ac vitia, longa experientia ac usu compertum perspectumque est. Observamus id maxime post abortum vel partum, quem varia mala, quibus virgines non obnoxiæ sunt, insequi solent. Quid enim frequentius visitur, quam post puerperium, vel abortum, enormia sanguinis vel seri viscidi albi fieri profluvia, & abortus, nulla etiam comparente caussa, de novo facile contingere, unde in mentem mihi redit aurea illa nunquam satis laudandi senis *Lib.5. aph.45.* sententia: *quæcunque, corpore bene constituto, bimestres atque etiam trimestres abortiunt, nulla incidente abortionis caussa, his sane cotyledones*, i.e. *venarum ac arteriarum orificia, plena mucoris sunt, & non possunt expandere fœtum, sed disrumpuntur.* Caussa tam frequentis abortionis sine ulla externa occasione nulla alia est, quam intermissa sanguinis detractio, vel alvi ductio neglecta. Hinc ante ingravidationem, vel etiam commodis mensibus, purgatio ex lenioribus, quæ veteres ob eximium usum benedicta vocarunt, vel temperato aloeticis balsamicis pilulis, instituatur. *Matrona*, inquit *Heurnius in Commen. ad hunc aphorism. quædam sæpius abortierat, & pituitosa natura erat, cum vero medicinarum (puta) laxantium usum iniit, feliciter gestationem perfecit.* Suadeo igitur cum *Platero in Obs. lib.1.pag.86.* ut puerperæ post partum bene purgentur, ne graves fiant morbi. Neque tantum purgandum est, sed etiam convenienti diæta vitæque regimine & aliis internis & externis roborantibus pristinus utero tonus reparandus: quo salvo ac vigente, & mensium fluxus recte & ordine procedit, quo destructo, inordinati fiunt menses, & inde universa corporis œconomia detrimentum patitur.

§. XXV.

§. XXV.

Ex gonorrhœa male curata bubones &c.

Ad partes quod attinet genitales, & hæ facile vitium contrahunt ab antecedente morbo, quod ad nova mala suscitanda idoneum est. Animadvertimus id frequentius in gonorrhœa, cui, sive malignæ, sive benignæ, si nimis cito adstringentibus cohibetur, multa ac varia mala superveniunt. Ex intempestivo enim constringentium usu, tam lacunæ glandulosæ urethræ, quam glandulæ, quæ prostatæ appellantur, & genuinam gonorrhœæ sedem constituunt, facile indurantur, exeduntur atque exulcerantur, hinc continuo fœtida sanies profluit & insanabile laticis ex urethra fit profluvium. Et quia hæc subtilis acredinis materia conterminas partes, vesicæ nempe sphincterem, non raro simul afficit, unde successive ejus fit erosio, quæ ægre consolidata, perpetuam fere ischuriam & dolorificam stranguriam causatur.

§. XXVI.

Post dolores atroces.

Neque postremo loco prætermittendum est, quod dolores, si atrociores fuerint & diu perseveraverint, universum nervorum genus adeo debilitent & tono suo partes sensui & motui dicatas exuant, ut paralytici, vel alii nervorum affectus, etiam epilepsiæ, inde propullulent; cujus rei clarissimum documentum edit gravis intestinorum dolor, qui colica communiter convulsiva vocatur, cui non raro paresis succedit, quemadmodum *paresis.* id per experientiam uberius constat, & multi auctores observationibus idem confirmant. Inprimis egregius hanc in rem extat locus in *Paulo Ægineta lib. 3. pag. 251. Colica*, ait, *affectio pestiferæ cujusdam luis modo est grassata, ex qua plerique in morbum comitialem, alii in artuum resolutionem, sensu incolumi, nonnulli in utrumque sunt prolapsi, ac eorum, qui in comitialem morbum inciderunt, plures interiere, ex iis vero, qui in resolutionem, plures evaserunt.* Sequitur autem gravem coli dolorem resolutio paralytica, quia ordinario post nimiam partium spasticam constrictionem, postea atonia & debilitas excipere solet, ad quam promovendam multum valent opiata, quæ ad infringendos dolores, larga & reperita sæpius dosi, Practici propinare consuescunt, quum periti medici horum usum serio & sedulo dissuadeant, & præsertim *Baglivus in praxi med. Lib. 1. §. 1. de colica* apposite ita scribat: *nihil familiarius colicæ supervenit, quam paralysis; cave igitur ne opiata copiosius in ea exhibeas, solet enim post opiata magnus sudor supervenire & exinde paralysis.* Hanc ob causam quoque *Raygerus Obser. 50.* in crudeli intestinorum dolore pilulas Wildeganii rejicit, quia facile in somno sudor & paresis succedit. Epilepsiæ fiunt *epilepsiæ.* quando ob vehementem intestinorum spasmum & vasorum constrictionem, sanguis urgetur ad caput, & spasmus quoque ad meninges penetrat, hinc *Thonnerus Cent. 2. Obs. 3.* idemtidem post colicam notavit epilepsiam, & quod omnia duplicata conspecta fuerint, humore crystallino quasi e sede sua dimoto. Colicis vero & calculosis, vel etiam tertianis, quod facile icteri superveniant, ratio est, quia spasmus in his morbis ad duodenum & vasa biliaria pertingens, ea valide constringit, ut bilis liber ad intestina descensus amplius fieri nequeat, sed ipsa per vasa lymphatica resorpta & sanguini insinuata, fœdum calorem inducat. *icterus.*

§. XXVII.

De morbis ex priorum reliquiis testimonia.

Vidimus hactenus morborum aliis supervenientium primordia atque origines, quæ potissimum destructo partium quibus insedit morbus tono, debetur. Jam propositum est breviter strictimque ea considerare vitia, quæ ex morborum reliquiis proveniunt. Primum vero placet hanc in rem divinum nostrum senem audire, qui *aphor. 32. Sect. 4.* hunc in modum scribit: *quibus a morbo restitutis quippiam est infirmum, ibi abscessus fiunt.*

Quem

Quem aphorismum *Heurnius* optime sic explicat: *quando post morbum infirmitatis aliquid supereſt, quæ ex laſſitudine & imperfecta criſi judicatur, ita, ut ſuperſint materiæ febrilis reliquiæ, aut, ſi liberalius ſe potu & cibo ingurgitent, quam immutata ventriculi actio, temperamentum & habitus perferre poſſunt: tunc in diſcrimen venit homo, quia partes internæ & externæ labefactatæ ſunt; hinc, ſi non accurata diæta acceſſerit, hepatis & lienis ſcirrhi, vel cephalæ, vel foras in artus, ſi ibi imbecillitas, abſceſſus effunduntur. Quare, ne quid coacervetur, dentur pilulæ alœophanginæ, maſtichinæ, vel Rufi, vel tale quid.* Spectat huc quoque *Aphor.* 12. *Sect.* 2. *morborum reliquiæ, quæ a criſi ſuperſunt, reciduos morbos parere conſueverunt.* Fit hoc maxime, quando ob fractam naturæ virtutem, ſicut rurſus bene id explicat *Heurnius*, materia morbifica non tota fuerit excluſa, neque in declinatione alvus purgante ſollicitata. *Notæ vero,* inquit, *reliquiarum morbi ſunt oris ſiccitas, inappetentia, ægrypnia, languor.* Quare recte concludit idem auctor: *plerumque jubemus, ne fiant recidivæ, ut quinto vel ſexto die, cum jam convaleſcunt, aſſumant tres vel quatuor pillulas de hiera cum agarico, vel maſtichinas, vel ſyrupum laxativum, aut pillulas Rufi, vel aliquid rhabarbari, aut paſſularum purgantium.*

§. XXVIII.

Quæ propterea ſubmovendæ.

Profecto cedro digna ſunt hæc ſaluberrima monita, quæ inculcant, ut quieſcente nunc morbo, omne, quod adhuc noxium & morbificum eſt, ſive in ventriculo, ſive in venis ſubſtiterit, excludatur, & corpus ab omni perniciali & excrementitio ſucco liberetur, eo, quod hic facile pabulum ac fomentum recidivæ ſubminiſtrare, vel novum morbum inducere poteſt. At vero in hoc & graviter & communiter medici peccant, quod in fine morbi ægris convaleſcentibus ac morbo ſpaſmo remittente, noxias reliquias, neque evacuantibus, neque ſudoriferis, educant, neque robori naturæ atque ventriculi per congruam diætam & proba ſtomachica debite ſuccurrant. Nam, quo languidius medentis auxilium eſt in impetu & ſtatu morbi, eo certius & efficacius in ejus principio atque in declinatione; & quidem ineunte morbo, ut natura adhuc valente obſtacula removeat & materiam quæ in vitio eſt exturbet. Verum quippe eſt *Hippocratis* effatum, *aph.* 29. *Sect.* 2. ita differentis: *quum morbi inchoant, ſi quid videtur movendum, move; quum vero conſiſtunt ac vigent, melius eſt quietem habere.* Sub declinatione vero ejus opera neceſſaria eſt, quo corpus debilitatum rurſus confirmet, vires fractas erigat, quod reſtat adhuc noxium expellat, & hac ratione novi morbi, plerumque deterioris, generationem impediat.

§. XXIX.

De damnis ex variolarum & morbillorum reliquiis.

Si vero ullo in morbo, certe in variolis & morbillis, reliquiæ morborum ut expellantur, neceſſarium eſt, quod ſi non perficitur, graviſſima ſymptomata & morbi ſuccreſcunt. Inprimis etiam per experientiam conſtat, lympham peccantem acriorem, in variolis & morbillis, nervis pneumonicis maxime eſſe moleſtam, teſte tuſſi, quæ indivulſus utrorumque plerumque eſt comes, & morbillos ſigillatim, ſubinde catarrhum excipere ſuffocativum. Relinquitur enim in hoc viſcere, fracto morbi impetu, magna atonia, ob quam coacervati viſcidi humores ibi hærent, & ſuffocationem, niſi cita ope ſuccurramus, inferunt. Porro quemadmodum in his morbis lympha univerſi corporis, veluti fermento quodam maligno, inquinata, corrupta, vappeſcens & corroſiva redditur, ita multo magis id accidit, ſi diſſipata per antecedentem æſtum ſulphurea & balſamica ſanguinis portione, fermenti virulenti portio reſtitat, quæ tam acrem ac corroſivum reddere poteſt lymphaticum laticem, ut non modo in externis

nis, etiam osseis partibus, sed & in visceribus, præsertim pulmonibus, ingentes erosiones, exulcerationes vel etiam apostemata fiant. Recte hinc ac perite *Derebecque obs.* 104. perhibet: *quotquot variolis siccatis non purgati fuerunt infantes, in graves morbos inciderunt, hydropem, tabem, scabiem, phthisin, cæcitatem, ossium cariem, & alios innumeros.*

§. XXX.

Testimonia. Uberius certe hanc ex variolarum maxime reliquiis noxam testantur medicorum observationes, quarum ut nonnullas adducamus haud absre erit. Sic *Hildanus Cent. 6. obs.* 82. post variolas non exacte curatas corneæ erosionem, tubercula & apostemata circa junctiras vidit. Catarrhos suffocativos & aphoniam notavit *Albrecht in Misc. nat. Curios. Dec. 3. A. 3. obser.* 126. memorans, quosdam post variolas, indolentibus tumoribus, qui postea in abscessus fistulosos ipsi ossium compagi haud parcentes, mutati sunt, in tibiis & brachiis affectos esse, & scite addit: *hoc fateri cogor, vixiis, qui reliquias morbi purgantibus, præsertim mercurialibus, sedulo everrebant, vel earum virus aliis idoneis præsidiis destruebant, tale quid obtigisse.* Pariter quanta corrosio lymphæ, post variolarum morbum non bene curatum, sit, variæ observationes docent, de quibus M. N. D. *Dec.* 3. *An.* 4. *Obser.* 1. consulantur. *Vidi*, scribit *Franckius, qui per variolas in tussim ferinam, in tabem hecticam & phthisin inciderunt, vidi, qui in ophthalmias, cæcitatem, varia ulcera, scabiem malignam & abscessus inciderunt. In filio Bregensi, post variolas, pœdarthrecace in manibus, pedibus & spina dorsi, ac tandem mors.* Et horrenda ulcera post variolas emergentia *Tulpius cap.* 52. & 54. quam optime describit. Ulcera mala, pus acerrimum fundentia, notata quoque sunt a *Collectoribus Actorum Uratislav. anno* 1700. *p.* 6. Phthisica quoque ulcera & apostemata, post variolas relicta, & nos in praxi annotavimus, & tristissimo exemplo & casu *Sereniss. Saxoniæ Principis*, ante aliquot annos hic placide defuncti, id confirmatum habemus: ubi in thorace aperto integer pulmonis lobus, vasorum ramificationibus relictis, penitus corruptus & consumtus, fœtidissimo & copiosissimo pure in thoracis cavitatem effuso, visus fuit. Quin in virgine nobili, quæ, sine evacuatione, post variolas nimis cito corpus frigido aeri exposuerat, omnium partium contracturam, eamque insanabilem, conspeximus.

§. XXXI.

Ex neglecta puerperarum purgatione purpura. Deinceps, vix unquam tam utiles ac necessariæ primarum sic dictarum viarum evacuationes sunt, quam in puerperis. Nam non modo tempore gravidationis, sed & ipso in puerperio, magna colluvies impurorum humorum colligitur, quos nisi cito & clementer subtrahas, complura mala, non sine periculo inde nascuntur. Pessima itaque & detestabilis nostris temporibus opinio invaluit, puerperas, præsertim primis septimanis, plane non esse purgandas, sed ab omni evacuatione abstinendum. Verum magna damna hinc subinde experiuntur, nam exanthema illud, quod purpura vocatur, & in nostris regionibus puerperis familiarissimum est, vix ulli alii causæ, quam neglectæ primarum viarum repurgationi & lochiorum defectui, adscribi debet. Nam impuri ex venis affluentes ad intestina humores bilioši & salivales diuturna mora putrescunt, qui rursus delati ad sanguinis massam, exanthemata purpuracea hæc, vel quandoque erysipelacea, efficiunt. Ad quæ præcavenda, nihil consultius est, quam altero vel tertio a puerperio die, posteaquam omnia rursus sedata sunt, balsamicas pilulas singulis tribus diebus exhibere, qua methodo non modo lochiorum fluxus promovetur, sed & a purpura aliisque gravioribus damnis puerperas immunes persistere, indubitata & cre-

creberrima experientia confirmati sumus.

§. XXXII.

Nec non ex omissa in acutis purgatione.

Ejusdem exanthematis purpuracei malum, in nostris oris, compluribus acutis morbis, ut variolis & morbillis, febribus continuis, etiam malignis, in declinatione, non sine summo vitæ discrimine, sæpius supervenire solet. Rationem vero nullam aliam invenio, quam quod pessima opinio apud nonnullos medicos usque eo regnavit, alvi subductionem dictis in morbis periculi esse plenissimam: unde per quinque vel sex dies & ultra, ægrotantes sine hac relinquunt, quod non potest non pessime cedere. Nam perpetuus quum sit succorum in morbo e corpore ad intestina affluxus, non potest aliter fieri, quam ut, si non excludantur, mora & æstu plane alienam & malignam naturam induant. Hinc aliorum morborum fomitem præbent, eoque magis, ubi sudorifera calida adhibentur, quæ exagitatione putredinem humorum auctam intimius corporis penetralibus insinuant. Quare saluberrimum consilium est, alvum nunquam diu adstrictam retinere, sed enematibus vel blandis vacuantibus eam liberam servare. Recte enim *Riverius in praxi med. Lib. XVII. Cap. I. de variolis* præcipit, enemata, non solum in morbi principio, sed etiam toto morbi decursu, usurpanda esse, si alvus sponte non fluat, idque singulis vel alternis diebus; & hoc præclarum præceptum merito in omni febrium curatione locum invenit, ac servandum est.

§. XXXIII.

De recidivis morborū.

Quemadmodum itaque ex reliquiis superati morbi & debilitate ab eodem solidis inducta, novæ passim succrescunt morbosæ passiones: ita frequentius quoque accidit, ut morbus jamjam sanatus recidivet ac denuo repetat, quando videlicet prior pariter non perfecte a natura judicatus vel curatus fuit, neque materia morbifica, medici aut ægrotantis culpa, penitus educta, vel nova mox ingenita. Nam quicunque morbus subito sine ratione & bonis signis discessit, is plerumque revertitur; ita tamen, ut quo citius redeat, vel quo vires debiliores sint, eo plus periculi alat, eo quod natura a primo morbo fatigata, secundum vix sustinere potest. Hæc autem morbi reversuri sunt indicia, si convalescens manet imbecillis, nec cibum appetit, nec rite concoquit, sed multa nausea & ructu nidorolo vel acido afficitur, si spiritus male olet, præcordia inflata sunt & facies livida, si interior cum siti percipitur æstus, quippe quæ depravatam ventriculi coctionem arguunt, qua præsente morbus adhuc vel intus delitescit, vel nova ad eundem resuscitandum colligitur minera. Interim tamen minori discrimine stipatur recidiva, quæ ex mala victus ratione post morbum, quam quæ ex relicto vitio excluditur.

§. XXXIV.

Febrium intermittentium.

Inprimis autem facillime febres intermittentes redeunt, tum maxime, quando febriles motus, antequam materia, quæ in vitio est, penitus correcta & educta, nimis cito adstringentibus supprimuntur; quandoquidem hoc facto, ex facili in disposito adhuc ad spasticas commotiones nervorum ac fibrarum genere, denuo strictura & motus pristini recrudescunt. Nihil vero ad inducendam febris recidivam tam promtum paratumque esse observatur, quam, si superata illa, quis ventis borealibus corpus objicit, aut in loca frigida humida, subterranea, aut templorum concamerationes concedit, quo illico horror, dolor dorsi, languor, ipsaque febris contrahitur. Forte quoque purgans quam facile, si reliquiæ febriles adhuc in penetralibus corporis latitant, febris reditum proritare potest: nullam aliam ob causam, quam quod subtile illud acre virus redolens eorum principium spasticas in genere nervoso provocet constrictiones. *& acutarum.* Acutas etiam, præsertim inflam-

matorias febres, sæpius magno cum vitæ discrimine redire, experientia constat, id quod facile accidit, si convalescentes nimis cito ante primarum viarum repurgationem jusculis nutrientibus, ex carnibus & ovis, nimis se replent, aut liberalius vinum ingurgitant, vel gravioribus animi affectibus indulgent.

§. XXXV.

Capitis morborū. Vix quoque ullus tam facile repetit morbus, quam gravior capitis, ut apoplexia, paralysis, epilepsia, hemicrania & insania, eo quod hi morbi in parte affecta ingentem imbecillitatem & pravam dispositionem relinquunt, quæ accedente animi affectu, immoderata refrigeratione, admissa ebrietate, vel gravi alio in diæta vitio, eundem subito ciet ac denuo concipit morbum. Pariter observavi abscessus pulmonum, hydropem abdominis & pectoris, nec non colicam, eos, qui vix ab iisdem liberati, vitæ victusque ratione minus valetudinem curarunt, denuo corripuisse. Longe frequentius & crebrius renum calculus, podagra & arthritis resultant, ob maximam, quam partibus, quibus incumbunt, quosque dolorum atrocia delassant, inducunt laxitatem ac debilitatem, ita prorsus, ut qui semel iisdem affectus fuit, sæpius eorum insultus experiatur, ac rarius, vel plane non, ab iisdem penitus liberetur. Haud postrema itaque medici cura eo dirigenda, quo abacto morbo, ejusdem recidivam avertat, eumque in finem cum valetudine in gratiam redeuntibus exactas leges ac regulas diæteticas præscribat, has ut observent serio inculcet, & congruis laxantibus ac roborantibus, aut etiam decenti sanguinis missione, imminens periculum prudenter arceat atque præscindat.

colicæ &c.

calculi & arthritidis.

CAPUT XI.

De commutata morborum, seu potius causarum morbificarum sede, sive metastasi.

§. I.

Variæ denominationes. VOcabulum abscessus apud HIPPOCRATEM & priscos valde usitatum est, & humorem vitiosum ex una parte in alium decumbentem denotat. Huc spectat locus modo citati Senis, *libr. de hum. §. 3. quibus ex morbis se erigentibus statim in manibus aut pedibus dolores fiunt, in his abscessus contingunt.* Sunt autem potissimum apud gravissimum Auctorem duo abscessuum genera; unum fit per excretionem, sub quo omnes criticæ evacuationes continentur; aliud fit per repositionem, ubi materia ab una parte in aliam decumbit; atque hoc posterius genus proprie & κατ' ἐξοχὴν dicitur abscessus, Græce metastasis vel palindrome; sub hac tamen differentia, ut, quando materia vitiosa a partibus exterioribus introvertitur, sicuti in morbis exanthematicis, variolis, morbillis haud raro contingit, hæc translatio palindromes nomen obtineat; quandocunque vero sive ex superioribus ad inferiores & vice versa, sive ab interioribus ad exteriores partes, & rursus ab his ad internas, cujuscunque morbosi indolis humor movetur, metastaseos notio familiarior est.

§. II.

Quid metastasis perfecta? Sed per metastasin volumus perfectam & plenam intellectam, quæ est, quando materia vitiata & morbifera e sede sua appropriata ad aliam transfertur, & partem suam, quam semel occupavit, consuetam deserit, funestoque plerumque eventu ad nobiliores & internas partes transponitur. *Salutaris.* Dari tamen etiam salutiferam metastasin, quæ tum conspicitur, quando materia morbi, a partibus nobilioribus ad ignobiliores, ab interioribus

ad

ad exteriores partes propellitur, rectissime animadvertimus. Ita, juxta HIPPOCRATEM *lib.4. aph.17.* inflammatione oculorum laborantem alvi profluvio corripi bonum & salutare est, quod materia, quæ ad oculos ferebatur, jam ad alvum descendit. Pertinet huc quoque CELSI, *l.4. c.7.* observatio, quæ hæc est: *nonnulli, qui mytriasi oculorum laborarant, ubi pupilla dilatatur aciesque hebescit ac pene caligat, & aliquando nihil viderunt, repentina alvi profusione lumen receperunt.* Similiter valde salutiferum est, quando juxta aphorismum XVI. HIPPOCRATIS *lib.6.* in hydropicis aqua per ventrem purgatur; quod utique intelligendum est, viscera, si nondum sunt vitiata sed integra, & virium adhuc robur suppetit. Salutaris quoque dicenda est metastasis, quando gravem capitis dolorem ichorosæ vel purulentæ materiæ profusio e naribus sequitur, vel quando in phrenitide narium fit hæmorrhagia, dum sanguis meningibus impactus & congestus per narium venas exitum invenit; vel ubi gravi affectu soporoso oppressis sanguis per sedis venas confertim erumpit, quod non ita pridem ego in generosa persona salutariter evenisse observavi. Pertinet huc quoque *aph.28. Sect.4* HIPPOCRATIS: *surditas biliosis egestionibus contingentibus cessat.* Neque minus attentionem meretur quod BAGLIVUS *in praxi l.1. cap. de phrenit.* scribit: *quando in delirio supervenit alvi fluxio, morbo ad coctionem tendente, solvit illud.* Sæpius vidimus ægro debiles inquietos anxiosque, diarrhœa superveniente, sequenti die se melius habuisse: & docet experientia alvum strictam capitis ægritudines exacerbare, lubricam verò easdem alleviare.

§. III.

Minus salutaris. Longe vero deterioris & minus salutaris genii sunt illæ metastases sive translationes morbificæ causæ, quæ naturæ, sive clarius, motibus ordinatis vitalibus admodum infensæ, a partibus exterioribus ad nobilioris functionis internas contingunt, & plus periculi habent, multumque difficultatis in medendo pariunt. Nullam vero in universo corpore animadvertimus partem, quæ metastasibus pernitiosis magis pateat & obnoxia sit, quam summa cutis, quæ universale quasi & publicum materiæ ex sanguinis & humorum massa superfluæ & effœtæ excernendæ emunctorium est. In hac uti promta & facilis fit noxii humoris secretio atque absessio, ita etiam nihil facilius & familiarius contingit, quam, ut ob texturam ejus tendineo-nervosam insigni elatere sive virtute expansiva & constringente donatam, materia vitiosa ibi subsistens introrsum valide reprimatur & retropellatur, quod nunquam non cum pernicie & periculo fit. Nihil certe in artis opere occurrit frequentius, quam quod fœdus & ulcerosus capitis morbus, qui tinea vocari solet, in infantibus intempestive exsiccantibus reperculsus, varii generis & potissimum exitiales in partibus quas infestat ægritudines concitet. Nam & epilepsiam & oculorum inflammationem, quam in suppurationem & plenariam cœcitatem abiisse vidimus, & sordida narium vel aurium ulcera, in quibusdam etiam, quando maligna ad ima usque thoracis descendit materia, asthmata convulsiva inde fuisse producta, non semel sed sæpius observavimus. Sordidus ille plicæ Polonicæ morbus quibusdam locis endemius, si improvide hæc abscinditur, & frigidus aer ad interiora repellit glutinosam impuram lympham, dici vix potest, quam sæva post se relinquat mala, siquidem immanes cephalalgias, epilepsiam, cœcitatem, insaniam quoque furibundam inde obortas fuisse, fide dignis Auctorum constat testimoniis. Gutta sic dicta rosacea, quæ molesto pruritu, ardore, & ulceratione faciem dehonestat atque deformat, cosmeticis præsertim, quæ mercuriale quippiam ingreditur, sublata, vel ophthalmiam

Damna ex tinea capitis retropulsa.

ex gutta rosacea.

vel palpebrarum aut labiorum oris tumorem valde molestum, vel altius si in pectus se insinuat materia, raucedinem cum difficili spiratione concitat frequentissime.

§. IV.

Ex erysipelate capitis. Quam periculosa mala capitis erysipelas incaute tractatum, retrocedente ad interiora pravo humore, proferat, experientia in dies fere edocemur. Phrenitidem enim, anginam, linguæ paralysin, lethalem hemiplegiam, catalepsinque insecutam fuisse, Scriptorum probatissimæ fidei observationibus passim consignatis, luculenter satis confirmamur. Et quid porro frequentius evenit, quam quod a colli & pone aures locatis glandulis tumefactis induratis, insanabiles fere oculorum morbi, lippitudines, cataractæ spuriæ & veræ, cutis quoque capitis excoriationes, transmisso illud salso acri latice, dum per obturatos tubulos ipsi liber transitus denegatur, oriantur. *Parotidibus.* Pejoris vero genii solent esse illæ affectiones, quæ inveteratos valdeque duros parotidum tumores insequi solent; vidimus aliquoties, ab applicatis variis externis, gravia & vix sanabilia pulmonum vitia, asthma, phthisin, tabem & hecticam producta fuisse, dum noxius valde & causticus a diuturna incarceratione humor, e sede sua expulsus per poros & interstitia usque ad pulmonem penetraverat, cujus membranis & vesiculis firmius inhærescens acrimonia sua hostili tantorum malorum causam dedit. Vidimus insuper funesta oris & linguæ ulcera a parotidibus perverse tractatis & induratis suborta. Idem observatum legimus de glandularum subaxillarium tumore, si minus perite a chirurgis, quando videlicet, vel suppuratione supprimunt, vel nimium humorum affluxum celeriter comprimunt & restringunt, tractatus fuerit: nam & præcordiorum angustiæ & pectoris oppressiones & ferinę tusses cum lento calore, inde generantur.

§. V.

Sed a cutaneo superiorum partium involucro pervenimus jam ad extimam & summam, quæ inferiores partes tegit cutem, identidem, ob fibroso-nerveam qua gaudet texturam valde mobilem, sive, ut nonnulli loqui amant, sensibilem; qua de causa, dum varias & subitas imo sæpe contrarias relaxationes & constrictiones suscipit, metastasibus humorum & transmutationibus morborum admodum patet atque obnoxia est. Crebriori enim & quotidiana fere practica observatione discimus, in cute subsistentes maculas, pustulas, aliaque exanthemata, sæpius ex levi externa causa, ubi eorum materia retrocedens ad interiora, nobiliores motrices maxime partes infestat, multas & truculentas passiones suscitare. Variolas aliquot *Variolis.* jam dies in cute apparentes, ceteris rebus omnibus bene constitutis, a terrore solo, ab improvide admisso frigore, vel corpore diutius in situ erecto detento, subito disparuisse, & intra aliquot horas lethales convulsiones secutas fuisse, nos & adstantes cum stupore animadvertimus. Variolis, qui se frigido exposuerunt aeri, subito extinctos, memorat FORESTUS *libr. IV. obser.* 46. Nam leves sæpe sunt causæ, quæ, ut materia varioloſa intro cum magno vitæ periculo recipiatur, efficiunt; & hinc fit, ut nullus fere morbus, majorem diligentiam & circumspectionem, ne corpori admittatur quippiam noxii, desideret. De noxia variolarum, in puero quatuor annorum repulsione legi meretur *obser.* 42. *Decis. III. ann. III. M. N. C.* ubi post improvidam, ad avertendam variolarum vestigia, inunctionem cum lardo, accedente simul aere frigido, non modo febris ardens per quatuor septimanas secuta, verum etiam pedum ac membri virilis tumor ortus fuit. DIEMERBROCCIUS

lib.

lib. de variol. & morbil. Histor. 4. pag. 293. perhibet, a dato purgante variolas jam apparentes protinus delituisse, & aucta cordis anxietate, gravique diarrhœa cum summa virium prostratione superveniente, puerum sequenti nocte diem supremum obiisse.

§. VI.

Morbillis. Neque minoris periculi res est morbillorum retrocessio, a quacunque etiam causa contingat; id enim plane peculiare hæcce schematis species habet, ut vitiosa materia præ omnibus aliis pectus petat atque infestet, unde valida sicca & convulsiva tussis statim in principio morbi adoritur, & qui hoc morbo ob recessionem malignæ materiæ intereunt, asthmate vel catarrho suffocativo opprimi solent. Commemoranda huc merito venit observatio, cujus B. Hagendornius *Cent. 1. histor. 77.* mentionem facit, morbillos nimirum in pago quodam epidemice grassatos, infantes ætate minores ambulare nescios maximam partem invasisse, sed quum ex illis, maculis nondum evanescentibus, inclementiæ aeris sua exposuerint corpora, capite ac pedibus nudatis incedentes, ut solet plebs rustica, complures febre ardente tussi & asthmate convulsivo tentatos occubuisse, reliquos vero evasisse. Novimus sane exempla, ubi a virulentæ materiæ discessione ad interiora, in adultioribus a mutatione lecti paulo frigidioris, lethalis ventriculi inflammatio cum lipothymia fuit insecuta.

§. VII.

Ex prohibita post morbum transpiratione. Non possumus autem hoc loco, quin utilissimam observationem ampliissimi sane in praxi usus insinuemus atque sedulo inculcemus, quod videlicet non tantum ex morbillorum & variolarum discessione in corpus, sed etiamnum pustulis & maculis evanescentibus, a prohibita per cutim transpiratione materiæ vitiosæ, summum sit periculum metuendum. Vidimus sæpenumero, ubi declinante vel finito jam morbo, cibis affatim assumtis, nimis cito auræ frigidiori exposuerunt corpora, plura & periculosa insecuta symptomata, & dum peccantis materiæ variolarum ea indoles ac natura est, ut oculis quam maxime eorumque membranis sit infesta, non modo maculas, pelliculas, vesiculas, ipsis oculorum tunicis inhæsisse, sed & graves ac diuturnas epiphoras & lippitudines, quas interdum cœcitas secuta, obortas fuisse: in quam rem observationes ex *M. N. C. Decis. III. an. VII. obser. 97. ex* HILDANO *Cent. VI. obser. 82. it. Cent. III. obser. 99. & ex* HAGENDORNIO *histor. 71. & 72.* legi & conferri merentur. Neque obscurum aut absconditum est, sed res & experientia crebra docent, ab eadem, quam modo proposuimus causa, variolarum morbum, presso sæpius pede, pessima & difficilioris sanationis ulcera sequi, quæ articulos, quæ ossa invadunt cum summo dolore & carie, atque etiam, frustra optimis alias præsidiis adhibitis, supervenientе lento æstu, universi corporis vires fataliter consumunt. Atque idem monitum de morbillis memori mente tenendum esse censeo, quod videlicet statim a morbo non nimis moniendi sint ægri, frigidius & asperum cœlum, ne difflatio liberior corporis impediatur, vitandum; qua posthabita observatione, dum materia impurior in corpore remanet, vel ex summa cute in corpus retroagitur, exulcerationes pulmonum, empyemata, asthmata suffocativa, atrophiam cum tussi & lenta febre, artuum quoque contracturam inde subnasci tristissimis subinde exemplis omnino edocemur. Purpuram tam benignam chronicam, quam malignam & acutam nostris temporibus, ob immoderatiorem calidorum potuum in scorbuticis maxime usum, familiarissimam esse satis cognitum compertumque est: quam periculosa vero & vitæ insidiosa sit, quando materia exanthematica ex summa cute *Purpura.*

ad nervosas & nobiles internas partes relegatur, sæva quæ sequuntur symptomata, ut lipothymiæ, cardialgicæ anxietates, inquietudines, pectoris oppressiones cum ægra spiratione, agrypniæ, lenti quoque & alternantes cum frigore & tremore partium æstus, abunde satis planum atque testatum reddunt. Inter acutos exanthematicos atque extremi periculi morbos pestilentiam eminere inter omnes notum est; quorum plerique qui ea affliguntur, ubi bubones vel carbunculi retrocedunt, vel ob imbecillitatem naturæ venenum non foras e corpore expellitur, misere intereunt.

ex carbunculis in peste.

§. VIII.

Scabiē. Quam grave & luctuosum subinde, a scabie retrocedente vel malis artificiis retropulsa, corpori humano accedat damnum, res adeo in vulgus usque est in praxi cognita. Pro differentia vero locorum, quæ corrupta materia interius occupat, alia atque alia majoris vel etiam minoris periculi prodire symptomata omnino animadvertimus, & observationibus Auctorum fide dignorum passim confirmatum legimus. Potissimum vero pectus & pulmonem petere infestam materiam observamus; unde dispnœam, asthma convulsivum & suffocativum, ex quo, si diuturnius malum est, tandem hydrops nascitur, scabiem sive siccam sive ulcerosam improvide tractatam excipere compertissimum est: quando vero ventriculi vel intestinorum tunicas prava adoritur materia, vomitus, cardialgiæ, ventriculi inflammatio, diarrhœæ interdum etiam cruentæ proveniunt; febres quoque varii generis tam acutas quam continuas & lentas inde proficisci non novum & insolens est: quod nostro quidem judicio exinde fieri arbitramur, quia vitiosa materia, ad arteriarum tunicas nervoso-musculosas quando fertur, earum ordinatam systolen atque diastolen pervertit, turbat, atque nimium intendit.

§. IX.

Quod de scabie ejusque materia a cute in corpore retroacta, & pernitiosis inde secutis effectibus jam diximus, id de aliis quoque & subinde fœdioribus cutis vitiis & exulcerationibus vel corruptionibus, cujus generis sunt herpetis & lepræ species, intellectum volumus. Neque enim artem facientibus ignotum est, quam graves ægritudines ab ulceribus extremarum partium præsertim antiquioribus subito & citra prævium humorum correctionem consolidatis subsequantur: qua de materia cum pleni sint observationum medicarum libri, eam ob causam, perpauca saltim & notatu digniora huc allegare sufficerit. TIMÆUS *a Guldenklee in consil.* meminit nobilis, qui, cum ab ulcere multis annis durante vetulæ consilio liberaretur, in tam vehementes incidit capitis dolores, ut de vita desperaret & materiam fœtidam mane rejiceret, eundem quem ex ulcere fœtorem percipiens. Ita quoque sanato pedis ulcere sanguinis sputum successisse a RHODIO *Cent.2. obs.37.* notatum conspicimus: ad quam rem dilucidius illustrandam pertinet historia illa, quam B. WALDSCHMIDIUS *Eph.N.C.an.2.Cent.1 obser.213.* recensel, & nos hic inserere non tædet. *Vir quadragenarius*, inquit, *diu domi detentus fuerat ulcere pedis dextri; mali pertæsus illud consolidari curavit; quo facto statim incidit in dysenteriam lethalem, tanto cum egestorum fœtore, ut vix illum invisere potuerim. Paulo ante obitum excernebat sanguinem putridum coagulatum, parenchyma disruptum repræsentantē. Vidi & in septuagenario ex ulceribus pedis intempestive sanatis epilepsiam.*

Herpete, lepra &c.

§. X.

Fonticulos velut ulcera arte medica, ad derivandum maxime noxium a parte affecta humorem, inducta, inconsulto, nulla habita ratione corporis, an firmum an debile, puris an impuris scateat succis, sanatos, vel priorem affectum sub deteriorem plerumque

Fonticulis.

que facie, vel longe alias adhuc graviores passiones, ut contumacem dispnœam, quę celerrime hydropem ascitem progignit, subsequi omnino planum atque apertum est.

§. XI.

Arthritide. Nullus vero ex morborum classe est, qui tam expedite prompte ac facile stationē suā deserit, atq; ab exteriorib. ad interiores corporis & plerūq; principes partes, idque non sine periculo remeat, quam arthritis, sive dolor & spasmus articularis, quascunque etiam partes sive pedes, manus, genua, sive ischii & coxendicis ossa occupaverit: verum non tantum ex una parte externa in alteram transit & vagatur, sed etiam interiora infestat. Neque hujus morbi genium ullus ex antiquis medicis rectius ipso ARETÆO perspexit: ita enim, *Lib.* II. *cap.* 12. *De arthritide*, scribit: *quibusdam in omnem corporis ambitum vagatur, & deinceps transitus quoque in dorsi thoracisque musculos fit, incredibile est, quam late malum serpat: vertebræ dorsi cervicisque dolent, & in summo sacri ossis dolor inhæresit, & paulo post cum renibus & vesica communicatur;* cui DEMETRIUS inter recentiores Græcos assentitur *lib. de podagra*: *non tantum*, inquiens, *in manus, pedes, omnes articulos tales ferri fluxiones, verum etiam in cerebrum, jecur, atque adeo in ipsum cor, easque teterrimas esse liberatuque difficillimas.* GALENUS quoque in *Hippocrat. librum de natur. hom. comm.* 2. diserte scribit: *aspeximus sæpe in his, qui articulari morbo aut podagræ obnoxii erant, quod repulsis ab artubus humoribus eo delatis, illi in principem aliquam partem tendentes, homini interitum attulerit, cui ea sola relinquebatur spes salutis, si iterum possent ad artus reverti.* Varios vero morbos variaque symptomata a retropulsa arthritidis materia subnasci, pro differenti partium ratione & natura quas infestat, animadvertimus. Inter alia hæc observatu digna sunt, quod malum ischiadicum vicinas partes nempe vesicam, urethram, seminales vesiculas & rectum intestinum simul in consensum trahat, adeo ut in emittenda urina ingens cum ardore difficultas, interdum etiam intolerabilis vesicæ dolor & spasmus cum metu inflammationis & exulcerationis inde proveniat. Vidimus quoque ab eodem fonte crebras nocturnas pollutiones, vires quæ enormiter frangunt, ortum duxisse; vidimus non minus benignum seminis profluvium, atque circa anum & sedis venas, permolesta incommoda, a perversa mali ischiadici curatione producta.

§. XII.

Id vero est, quod magnam movet admirationem, extremis pedum partibus inhærescentem dolorem, intro repulso vitioso humore, supernas maxime partes petere & graviter subinde affligere: ita novimus a perperam tractata podagra, atroces capitis dolores, vertiginem, apoplexiam sanguineam, serosam, hemiplegiam, paralysin, memoriæ abolitionem, sævam odontalgiam, aphoniam, guttam quoque serenam, epiphoram cum subsequente cataracta & luminum amissione, aliasque graves hujusmodi ægritudines secutas: id quod etiam infinita exempla hinc inde a probatæ fidei scriptoribus consignata diserte & luculenter satis confirmant. Alia vero mala prodeunt, quando vitiosa materia ad thoracem & ibi contenta viscera defertur: nam si externas partes infestas, pleuritis spuria, quæ non nisi arthritidis species est, si in ipsos pulmones descendit, ferina & chronica tussis, si nervos intercostales ipsumque diaphragma tangit, dispnœa, asthma spasmodicum, cum suffocationis metu inde propullulant. Sæpenumero dolor arthriticus & podagricus evanescens, graves & summe periculosas in ipso ventriculo ceu valde nervosa parte, materia hostili ad ejus tunica delata, concitat ægritudines; cujus generis sunt totalis appetentiæ prostratio, nausea, gravativus dolor, præcordiorum.

Podagra

rum anxietas, inquietudo, vomitus quandoque cruentus, & conatus ad vomendum cum faciei pallore, cephalalgia, crebra & importuna eructatio. Quandocunque vero ad inteſtinorum canalem valde nervoſę & ſenſibilis texturæ, arthriticus delabitur humor, immanis inteſtinorum dolor, qui, in tenuibus iliacus, in craſſis colicus appellatur, valde ſolennis eſt: nam ad nullam fere corporis interiorem partem tam pronum & expeditum ſeri arthritici ſubtilis cauſticæ indolis iter eſt, quam ad inteſtinorum tunicas, quibus ſi inhæreſcit paulo contumacius, non modo intolerabiles dolores, ſed etiam interdum diarrhœæ, imo cruentæ dejectiones cum ſumma virium proſtratione, extremorum frigore, pulſu debili & languido, facie Hippocratica, contractura etiam quandoque manuum, inſequuntur. Neque renes & viæ urinariæ a metaſtaſi humoris podagrici immunes ſunt. Nihil certe in praxi occurrit frequentius, quam quod podagra tranſmigret in calculum renalem, & is rurſus in podagram, præſertim in paulo provectioris ætatis hominibus, ubi fixiorem infenſus humor magiſque tartaream indolem acquirit, cum tamen dolor ex calculo non confundi debet cum eo, qui vertebris lumbaribus quandoque ſatis diuturnus inhæreſcere ſolet, & rectiſſime a veteribus arthritis lumbaris vocatur; arthritis vero cum multum habeat ratione indolis & materialis cauſæ affinitatis cum eryſipelate, quod ſummam in extremis partibus obſidere conſueſcit cutem, non mirum eſt, ab eo, per incautam maxime curationem vel ob robur naturæ dejectum, retrocedente, teterrimas, præſertim in partibus interioribus & nerveis, ſuſcitari ſæpenumero ægritudines, ad quarum genus cardialgiæ, inflammationes ventriculi & inteſtinorum, continuæ, item lentæ & hecticæ febres referendæ ſunt.

§. XIII.

Hydrops. At vero non modo humores tenues & facile mobiles id habent peculiare, ut ex appropriato ſuo loco in alienum atque ab externis partibus in internas tranſeant atque deferantur, ſed & de inſignis molis tumoribus id fieri poſſe, ut craſſi & tenaces extremis partibus inhæreſcentes humores ad interiora non ſine periculo relegentur, eſt, quod admirationem quandam excitare poteſt. Ita vidimus non ſemel, ſed aliquoties, in cachecticis vel etiam in hydropicis, pedum tumores, acceſſu intermittentis febris, quæ epidemice graſſabatur, tempore frigoris & horroris evanuiſſe, ſed non multo poſt difficillimam ſpirationem ad ſuffocationem uſque invaſiſſe, adeo ut ſub tertio paroxyſmo præter omnium opinionem ægri, ſuffocatione interierint. Proſtant quoque nobis ejuſmodi exempla, ubi hydrope laborantibus eryſipelas pedū, quod ordinario cum ingenti frigore adoritur, ſupervenit, eos, materia ſeroſa inde a partibus extimis ad interiora & maxime pectus coacta, brevi poſt ſuffocativo catarrho extinctos fuiſſe: præterea nobis caſus funeſti ſunt noti, ubi ſcabie vel pravis ulceribus laborātibus, quando acceſſit tertianæ paroxyſmus, ſubito ſæpe & ex improviſo gravia circa præcordia ſymptomata, cum febre inflammatoria diſpnœa & virium oppreſſione irrepſerunt, quæ vix ullis in medicina præſidiis alias optimis ſuperari poterant.

§. XIV.

Rationalis metaſtaſium explicatio. In genere ſic maxima ex parte, gravioribus ſymptomatibus, quę metaſtaſes humorum vitioſorum ad interiora comitari & inſequi conſueſcunt, perluſtratis, veniendum nunc eſſe ad rationalem quandam harum rerum quæ in veritate facti fundatæ ſunt cognitionem & conſiderationem cenſeo. Primum vero quod dignam meretur attentionem, eſt, quod cutis non modo, ſed etiam articuli, quam maxime ſint metaſtaſibus obnoxii, quando videlicet has parte morbus occupat, vel potius cauſa ibi hæret, morbum, præſertim, dolorem, ſpaſmum, exulcerationē

Ejus, quæ in cute fit.

aut

aut inflammationem movens. Notum enim ex anatomicis est, cutem ex fibris nervoso-tendinosis, quam maxime elasticis, expansilibus & contractilibus, nec non infinitis tubulis ac poris esse contextam, & ad toni seu motus intensionem sive remissionem valde aptam, adeo ut ad saluberrimam perspirationem conservandam eminentissimi & maximi sit usus, siquidem hujus beneficio, quod superfluum est, quod effœtum & inutile, foras in magnum commodum eliminatur. Quandocunque itaque ejus moderatior ac æquabilis motus & tonus læditur, quod fit vel nimia constrictione & angustia pororum in spasmo, vel extraordinaria relaxatione in atonia, salutare hoc excretionis negotium multum pervertitur, in magnum sanitatis detrimentum.

§. XV.

Quod si itaque humor plane heterogeneæ indolis in tubulosa cutis substantia excludendus hæret in morbis sic dictis cuticularibus, acrimonia sua hostili fibras in spasticas adigendo stricturas, non modo sui exclusionem impedit, sed & id sæpius contigit, ut reniso & converso motu ad interiora in poros vasorum infesta materia rursus repellatur & recipiatur. Simili ratione id cum ligamentis articulorum nerveo-tendinosis ac glandulosis contingere arbitramur; quæ identidem valde sensibilis naturæ, tam ad motum relaxatorium, quam spasmodicum subeundum, admodum prompta ac facilia sūt.

In ligamentis articulorum.

§. XVI.

Jam quod attinet ad causas sic dictas naturales, ad periculosas ejusmodi metastases disponentes & præparantes, videmus & observamus eos, qui naturæ infirmioris sunt, sive ea ab ætate præsertim infantili & senili, sive a parentibus trahat originem, sive a morbo vel diætæ vitio, aut gravi animi affectu fuerit profecta, quam maxime ejusmodi affectibus retrogradis obnoxios esse; nam uti debilitas corporis, juxta CELSI judicium, omnibus fere morbis, ita omnino etiam iis, qui ex anomalis motibus & spasticis stricturis, quæ solenniter in partibus externis fiunt, patet & subjecta est.

Causæ disponentes naturam infirmior.

§. XVII.

Enim vero frigus non adeo nocere, sed magis prodesse podagricis, gravissimus noster Senex *Sect.* 5. *aph.* 25. affirmare videtur, dum, dolores podagricos mitigare & levare plurimam frigidam copiose affusam aquam, innuit; sed in nostro hæc experientia climate minime correspondet, neque huic sententiæ ulla sana & physica ratio patrocinatur. Animadversione digna sunt, quæ hunc in aphorismum, a Celeb. PASCOLIO Romano Professore, in Opere suo: *de homine Lib.* 3. *Sect.* 3. *Cap.* 3. notantur, ita se habentia: *quod hactenus vidimus arthritide laborantes, ea methodo tractatos, tot quoque vidimus aut apoplecticos, aut pleuriticos, aut asthmaticos, aut hydrope pectoris, aut colica vel affectione iliaca correptos, propediem discessisse; idcirco alieno edocti exemplo, ubi arthritis, quod Deus avertat, nos unquam tentet, id præsidii genus nolumus utique experiri.* Huic observationi adstipulantem quoque videmus *Cl.* MUSGRAVIUM *in tr. de arthrit. anom. p.* 254. tali modo differentem: *recurrente podagra, aqua frigida pedes media hyeme immersit æger: itaque temere tumoris arthritici materiam repercussit; pectore, capite subito gravatus, primo tussiit & cum impedimento spiritum traxit, mox sensus omnis, ipsa etiam mens defecit, & tota undique adstantium mirante turba, non tam excessit, quam e medio surreptus est.*

Frigus.

§. XVIII.

Deinceps inæqualitatem subitamque aeris, quod maxime fit autumnali tempore & circa æquinoctia, mutationem, ex calido vel humido in frigidum, & vice versa, vehementer latis ac repente cutis tonum vitiare & ad retrocedentes a partibus extremis ægritudines causam subministrare, ipsa quotidiana fere experientia docemur; qua

Aeris mutatio.

qua constat & catarrhales, & rheumaticas, & arthriticas affectiones hisce temporibus non modo esse familiarissimas, verum etiam quam facile, repercussa materia, fieri anomalas, atque in internas valde difficiles passiones transmigrare. Ex omnibus vero nihil propemodum est, quod tantopere & tam subito motum humorum a superficie corporis versus interiora convertere & reprimere valet, ac gravis terror, qui uti plurium sæviissimorum in capite, in pectore, morborum causa existit validissima, ita omni modo ac studio terrorem, qui tales procreat in arthriticis affectus, evitare oportet.

§. XIX.

Topica repellentia. Postremo, quantum noxæ & damni inconsulta morborum, & vitiorum, quæ cuti, articulis & partibus externis inhæresunt, per topica tractatio repellentia inferat, relegando materiam vitiosam ad nobiliores & principes corporis partes, noto notius est. Famosa hoc nomine sunt cataplasmata, epithemata, linimenta & emplastra adstringendi facultate pollentia, cum primis quæ mercurialia, saturnina, sulphurata ingrediuntur, quorum siniistra applicatio, quam sensibilis cutis humana pars sit, & quam exitiales morbi ab ejus functione læsa pendeant, luculenter satis demonstrat: quin imo in quibusdam personis tam exquisitæ sensationis cutaneum hocce corporis integumentum est, ut etiam spirituosa & camphorata, quorum ope alias egregie dolores discutiuntur, ferre nequeant, insigni documento, etiam cum hisce medico agendum, & mercandum esse quam cautissime. Atque hæc ipsa animadversio veteribus quoque medicorum haud fuit ignota: TRALLIANUS enim *Lib.* 2. *cap.* 1. sapienter monet, ut adstringentibus, & repellentibus in articulorum vitiis non utamur, nisi totum prius corpus recrementis liberatum fuerit; nam, quod articulis influit, ne ad principales partes recurrens suffocationis causa fiat, periculumque mortis afferat, metuendum est; & in seqq. *multos attonitos*, ait, *fieri conspicimus, ubi pedes fluxionibus tentari desierint.*

§. XX.

Purgantia. Neque tantum externa, sed & interna improvide administrata remedia ad exitialem humorum in articulorum & cutis vitiis retrocessionem, occasionem & ansam subministrare possunt: id quod maxime, de purgantibus præsertim paulo validioribus, notandum venit. De horum noxa sufficerit tantum unum & insignem locum, ex modo commemorati PASCOLII *Perusini Prof. & Protho-Medici Romani* Opere, qui *lib.* 3 *sect.* 3. *p.* 182. extat, allegare: *purgantia*, nimirum inquit, *in podagra fortiora omnino vitentur, quæ ab articulis affectis humores pravos non raro subduxerunt; qui proinde intus, aut per alios adhuc occultos meatus retrocedentes, pervicacissimum asthma, aut pleuritidem, aut colicam, aut etiam apoplexiam frequentissime pepererunt.*

§. XXI.

Nimia & intempestiva Venæ sect. Nimiam & intempestivam sanguinis detractionem ad retrocessionem exanthematum, neque minus erysipelacei & arthritici humoris plurimū conferre posse, experientia æque ac ratio confirmant. Improvidum quoque medicamentorum, quæ valide urinam ciēt usum, in morbis, qui extremas corporis partes occupant, divertendo humorum motum ad interiora, eorum schema plane cum dispendio vitæ & sanitatis immutasse, per aliquot nobis exempla non incognitum est. Id vero majorem fortassis admirationem movere potest, situm corporis paulo diutius erectum, tanta pollere efficacia, ut exanthemata in cute apparentia, summo cum vitæ discrimine disparere faciat, quod aliquoties in variolis & morbillis, petechiisquoque, præsertim ubi vires valde fractæ fuerunt, observavimus: cujus rei in Diss. *de situ corporis erecto in morbis noxio*, uberiorem mentionē injecimus.

§. XXII.

Neque inter caussas, quæ periculosas

sas.

Morbi aliis supervenientes.

sas morborum efficiunt metastases, recensendas, morbi aliis supervenientes silentio involvendi sunt. Quantam catastrophen, tumoribus œdematosis, cachecticis, fœdo ulcere tactis membris, frigus, quod sub accessione febris tertianæ fit, inducere possit, ad interiora repellendo noxium humorem, jam supra retulimus. Ineſt vero suffimentis quoque tumores varii generis repellendi satis sæpe obvia efficacia: quare non novum vel insolens est ab iis, si perperam adhibentur morbis cutaneis, damnum accedere non minimum.

§. XXIII.

Ventriculi & intestinorum destructio.

Præter jam dictas, sunt adhuc aliæ causæ, quę ad morbosas metastases, sive pernitiosas humoris vitiosi in interioribus partibus secretiones disponunt; & hujus generis sunt, quæ viscerum & interiorum partium tonum ac robur valde affligunt & debilitant, ut deinde humores in has partes, ubi minorem resistentiam & renisum inveniunt, facilius irruant: ita inordinata victus ratio & abusus fructuum horæorum, ex affectibus, animi tristitia, ira, ventriculum & intestinorum canalem labefactando, ad diarrhœas, dysenterias, cardialgias, vomitus & inflammationes, a retropulsa materia arthritica proficiscentes, valde disponunt. Nimius vero dulcium, sive ex alimentorum sive ex medicamentorum classe, usus, facile efficit, ut serum acre arthriticum in pectus decumbat; & frequentior usus errhinorum, anodynorum, crebrior quoque ebrietas, Spiritus vini, aut importuna mentis fatigatio a quacunque etiam causa proveniat, ad capitis morbos progignendos viam præparant expeditissimam.

§. XXIV.

Modus metastasium.

Expositis itaque varii generis causis, quæ minus salutarem humorum in morbis e partibus externis & ignobilioribus ad nobiliores interiores efficere solent metastasin, nunc disquirendū non sine usu venit, quomodo ejusmodi metastases ad interiora corporis promoveantur, ut tam tetri & magno cum periculo juncti effectus inde sequantur. Quibus placet, corporis nostri motricibus partibus principium quoddam internum sensu vitali & morali præditū motusq; secundum & præter naturam dirigens adscribere, illi ejusmodi metastases pro actibus naturæ defensoriis, dum hæc infensam materiam aliorsum transferre vult, erroneis tamen, cum natura ratione inventionis & colatoriorum aberret, habent. Verum, cum omnia naturæ microcosmicæ phœnomena, ex evidentibus & in sensus ac rationem incurrentibus mechanicis & physicis causis, optime & rectissime explicari possint, non videmus, quare his relictis & insuper habitis, ad causas abditas, quæ nec concipi nec probari possunt, confugere velimus. Neque etiam admittere possumus, id, quod in se & sua natura est vitæ adversum, intentione bonum esse: nunquam enim res morales & spirituales, quæ ex arbitrio peraguntur, cum rebus physicis, quæ ex necessitate mechanica fluunt, ad confusionem fœcundam errorum matrem evitandam, commiscere volumus.

§. XXV.

At vero illud videtur accuratiorem disquisitionem & examen mereri, qua ratione videlicet materia stupendæ exilitatis & tenuissima, ut videmus in morbis exanthematicis, petechiis, morbillis, purpura, a vitali humorum consortio non ita pridem excluſa, tam sævas in universam vitalem œconomiam mutationes efficere possit, item quare infesta hęc materia non tam expedite & tam facile per easdem, quas retrocessit vias, in corpore, ope præsertim convenientium remediorum ad corporis ambitum rursus protrudi possit. Ad priorem quæstionem quod spectat, dicunt humorem a benigno sanguinis & humorum vinculo segregatum, in angustioribus cutis tubulis ex paulo diuturniori mora corruptam & interdum virulentam indolem assumere, unde funesta in interioribus præsertim nervosis partibus symptomata derivāda esse contendunt. Quamquam

vero

Quomodo humor retropulsus tam sæviter agere possit?

vero hæc sententia non plane fundamento suo careat, tamen non in totum rei discernendæ satisfacere videtur: quippe nostro quidem judicio, tenuissimus ille, qui ex ambitu corporis retrocedit pessimæ naturę humor, tantorum symptomatum non est sola causa, sed potius ipse ille motus ex superficie corporis ad interiora conversus, cujus indicium saltim est evanescentia materiæ sive exanthematicæ sive pustulosæ, quę in cutis substantia hæret, symbolum suum hic quoque confert. Nam sicut fluidorum motus progressivus, qui ab interioribus vi & nisu cordis ac arteriarum ad superficiem corporis extimam fertur, unice vitalis & salutaris dici meretur, quia hujus beneficio structum & mixtum corpus, a materia inutili effœta & corruptionem moliente, jugi diffiatione & perspiratione liberatur; ita vix aliud quippiam existit, quod interitum minetur, ac, quando motus hic humorum imminuitur, sistitur, imo resistentia & remissio in fibris, & angustissimis subcutaneis vasis facto, refilit quasi & intus convertitur, ubi non tantum, quod superfluum & naturæ humanæ infestum est, intus remanet, sed & ad viscera major humorum affluxus & congestio fit; ex qua, quæ demum mala, ut obstructiones, oppilationes, corruptiones, spasmi, dolores, extravasationes, cetera, exsurgant, is demum, qui solidis pathologiæ fundamentis instructus est, recte judicare poterit.

§. XXVI.

Cur idē tā difficulter ad pristinum locum amandetur?

Ex hoc fundamento quęstionem posteriorem, quæ est: cur tam difficulter, interiora qui petiit humor morbosus, ad pristinum locum relegari possit? solvere non adeo erit difficile. Nam quandocunque ipsa materia corrupta & exanthematica, ex partibus extremis pertonum ac motum cutis quasi peristalticum inversum ad viscera translocatur, tunc ad vasorum & vasculorum angustias, circumvolutiones, humorum per ea difficiles circuitus, ac motuum retardationes si respicere velimus, non tam facilem esse horum humorum stagnantium & spissescentium dissolutionem, meatuum apertionem, atque motuum ad peripheriam corporis restitutionem, cuique animadvertere integrum erit. Ex quibus nunc facile petenda est ratio, quare tanti periculi res sit, *quando*, secundum *aphor.* 25. *l. VI.* HIPPOCRATIS, *erysipelas ab exterioribus fertur ad interiora; bonum vero & salutare, si ab interioribus ad exteriora vertatur*; quod etiam *Galenus comment. in Hippocr. lib. de natur. homin.* confirmat, satius esse, ducens, ut humores pravi, relictis principalioribus partibus, in ignobiliores, quam quod ab ignobilioribus in principes ferantur; imo ipse GALENUS & MERCURIALIS, *in not.* ad hunc aphorism. rectius innuunt, *Hippocratem* hic erysipelatis nomine omnium externorum & cutaneorum vitiorum inculpasse introversionem.

§. XXVII.

Metastases non æque periculosæ.

Non possumus tamen, quin etiam hac occasione moneamus, non æque periculosam semper, multo minus funestam esse omnem in morbis humorum vitiosorum ad interiorem retrocessionem, sed ad corporum naturam, an robusta, valida vel valde imbecillia sint, ad anni quoque tempus, ad ætatem, ad vitæ genus, ad humorum conditionem & intemperiem, vel etiam corruptionem & spissitudinem sedulo respiciendum esse hortamur: res enim utique periculi pleniissima est, si vires corporis valde fractæ, si ætas senilis vel infantilis, si viscera jam ad labem vel per ipsam etiam nativitatem sint dispositā, sique humores corrupti, causticæ & acris indolis, vel retroacta prava materia nervosas ventriculi, intestinorum aut cerebri tunicas, aut præcordiales nervos occupat.

§. XXVIII.

Regulę prognostica.

Ceterum ad rectum & prudens de hisce morbis, ratione eventus, judicium formandum, in genere quasdam regulas insignis in praxi usus annectere

non

non dubitavi; quas inter primum merito locum tenere hæc debet: corpora quo infirmiora, viribusque valde exhausta sunt, eo plus morbosæ metastases periculi & vitæ discriminis habent. Id liquido apparet, quando petechiæ, variolæ, morbilli, vel etiam purpuracea exanthemata, ipso in febris vigore vel post eum retrocedunt, ubi jam tantum virium per assiduas vigilias & vehementem solidorum & fluidorum motum deperditæ sunt, ut non sufficiant humorum ad principes vitæ partes, cerebrum, cor, pulmones, nimiis congestionibus superandis & rursus extrorsum propellendis; quod vero, si non accidit, convulsiones, deliria, syncopes supervenientes mox vitæ finem faciunt. Deinceps observatione constat: corpora valde imbecillia, & quæ viribus defraudata sunt, facillime, minima saltim ex causa, exitialibus morborum translationibus esse obnoxia. Quid enim frequentius accidit, quam quod a sola corporis vel pedum refrigeratione, a solo secessu e temperate calido lecto in paulo frigidiorem, & situ corporis paulo diutius erecto, vel ex levi animi perturbatione exanthemata, præsertim circa IX. vel XI. diem, retrocedant, & non multo post, præter adstantium opinionem, placida morte ægri quasi obdormiscant. Id quoque in aliis morbis in phthisi, hydrope, hectica, animadvertimus, dum ex levi in diæta errore, conversis humoribus & motibus ex peripheria ad centrum sive interiora, non raro funesti affectus insequuntur.

§. XXIX.

Diarrhœæ malum signum.

Observamus præterea frequentes alvi dejectiones, cutaneis morbis, præsertim acutis & exanthematicis si accedunt, pessimum omen exhibere: neque ratio inventu difficilis est; nam alvi fluxus causa utplurimum est motus humorum ab extra ad intestina conversus, qui impeditam excipit perspirationem; hinc multæ serosæ, excrementitiæ, salso-acres, itemque aereo-elasticæ & orgasticæ partes, quæ per poros difflari debebant, non modo massam sanguinis & humorum inquinant, sed per glandulas etiam in cavitatem intestinorum influunt, atque in sanguine præternaturalem orgasmum, in intestinis autem flatus, ac spasmos excitant, pessimorum certe pathematum fontes atque origines: accedit, quod sub omni diarrhœa etiam a causis internis prognata, derivando humores ad interiora, corporis extremæ partes, maximeque cutis tubulosa & porosa succis influentibus orbatæ, propius ad se invicem accedant, coangustentur, & comprimantur, hocque ipso, adeo salutaris illa perspiratio inhibeatur.

§. XXX.

Curatio generalis.

Dum circa hanc materiam versamur, haud infructuosum, sed operæ pretium fore putavimus, si generalem morborum a retrocessione vel translatione morbosæ materiæ ortorum curationem hoc loco suppeditaremus. Primo autem omnibus modis, vitalis ille humorum motus, ad exteriora qui tendit, conservandus est, & omne illud quod invertit hunc motum ad interiora fugiendum: nam sicut, ille ordini naturæ, principi morborum medico, optime conveniens est, ita hic ad ejus destructionem tendit certissime. Qua propter ea, quæ jam supra inter causas hos affectus excitantes retulimus, omni cura & sollicitudine evitare oportet, & nulli rei magis invigilare, quam ut tonus cutis æquabilis & moderatus, ac ab eo maxima parte dependens transpiratio, semper conservetur; quod fit, si moderatio sive aurea mediocritas in rebus, quæ dicuntur non naturales, verbo, dietetica observetur, & omne nimium, quod naturam & ejus motus salutares mirifice pervertit, vitetur. Maxime omnium vero curandum est, ut in æquabili calore & perspiratione subcutaneum illud cribrum conservetur, caloris enim temperies, tam quoad conclave, quam lectum & linteamina, nunquam non

in

in hisce affectibus utilissima est, cum contra excessus frigoris vel caloris sit pernicioſissimus. Multum quoque juvat, animum in placido & tranquillo statu servare, quia ejus nimia fatigatio vel perturbatio, omnia, etiam ordinate quæ fiunt in corpore, multo magis ubi inordinatio motuum jam adest, pervertere potest.

§. XXXI.

Cum topicis caute merendum.

In nullis vero quę nocere possunt rebus major cura & observatio adhibenda est, quam in applicatione topicorum, quæ leniendi doloris vel exulceratas partes consolidandi causa potissimum usurpantur. Et nos sane consultius ducimus ab eorum usu, quoad fieri potest, se retrahere, præsertim in principio, & ubi inflammatio subest, quia plus detrimenti quam emolumenti hæc ipsa præstare quotidianis fere experimentis perspicimus: attamen minori cum periculo & desiderato magis cum effectu, quando corpus probe a copiosiorum & impurorum humorum copia prius vindicatum est, sique malum in declinatione fuerit, ad robur partium affectarum restituendum, ea in usum ducuntur. Postremo quoque primarum viarum, per quas ventriculum, & totum intestinorum tractum intelligimus, in ejusmodi morbis sanandis ratio habenda est, ne, quod flatus, quod tormina ciere & alvi fluxum solliciitare, vel eum comprimere potest, admittatur; vix enim dici & comprehendi potest, quanta inter partes externas cutem, inque primis pedes, & intestina, consensio & mutua motuum conspiratio intercedat: nam si ingens dolor vel spasmus intestina affligit, mox etiam cutis contrahitur & libera transpiratio impeditur; alvus vero nimis compressa vel obstructa felici curationi identidem infensa est, quia id efficit, ut impuritates, quæ excerni per eam debebant, ad corporis ambitum protrudantur.

§. XXXII.

Materia morbifica ad appropriatā sedem reducenda.

Quod si vero jam facta fuerit metastasis, totum curandi ministerium in eo consistit, ut quam fieri potest citissime, tutissime tamen, corruptus humor ad appropriatam sedem reducatur: id quod faciliori & magis auspicato fit effectu, quando recens est metastasis, quando vigor adhuc & robur virium respondet, & quando materia non adeo corruptæ & malignæ indolis est, neque pravorum succorum copia corpus refertum est. Hanc curandi methodum & ipsa natura & crebra experientia atque sana ratio dictitat; siquidem anomala & prava illa symptomata, quæ excipiunt morborum transpositionem in interiora, nonnisi apparentibus rursus doloribus, spasmis aut exanthematibus, in locis ante affectis, conquiescunt, idque natura sæpius sponte, nulla singulari arte adjuta, negotium exsequitur. Atque in hanc rem attendi utique meretur aphorismus ille amplissimi usus practici, qui est 21. *Sect.* 1. HIPPOCRATIS: *quæ ducere oportet quo maxime vergunt, per loca convenientia ducamus;* quæ in hisce morbis partes externæ, per quas noxium e corpore exhalare & difflari debet, constituunt. Quare præcipua medentis intentio huc collineare debet, ut convenientibus remediis naturam, quæ optima & expeditissima morborum etiam subcutaneorum sanatrix est, in hoc negotio adjuvet; quod fit, si ex tanta materię medicæ farragine, & plerumque indigesta mole, cum ratione, in experientia fundata seligat primum ea, quæ humorem ad excretionem cuticularem mobilem & idoneum reddunt, tum quæ internum viscerum robur, si torpidum fuerit, excitant, & meatus per quos excretio fit patulos atque apertos reddunt, neque minus quæ impedimenta salutaribus ejusmodi excretionibus resistentia, tollunt.

§. XXXIII.

Dissertationes.

Nolumus autem innumera alia ab Auctoribus hunc in finem commenda-

ta

tica & leniora sedativa laudantur.

ta afferre atque recensere remediorum genera; neque enim consuetudinis, nec instituti & loci ratio id permittere videtur; sed tantummodo ea, quę ex multiplici experientia, convenienti ordine & methodo usurpata, a nobis salutaria deprehensa sunt, commemorabimus. Ex compluribus autem probatæ virtutis remediis, ea, quæ leniori diaphoretica & roborante virtute splendent, commendamus, uti sunt: aqua cardui benedicti, scordii, florum sambuci, melissæ, cerasorum nigrorum, acetum vini, cancrorum lapides, diaphoreticum antimonium, mixtura simplex, cinnabaris præparata, theriaca cœlestis, in refracta dosi, pulvis Marchionis cum nitro & cinnabari mixtus, nec non emulsiones: item pulvis bezoardicus Sennerti vel noster, si cum tertia vel quarta parte nitri & octava cinnabaris misceatur, addito interdum camphoræ, si metus internæ inflammationis est, momento. Mirabilem præterea efficaciam semper præstitit sic dictus liquor anodynus mineralis noster, quando vel solus vel cum pulvere præcipitante mixtus, una cum aquis diapnoicis modo recensitis, in usum ducitur. Si sudorem paulo largiorem movere expedit, liquoris anodyni mineralis partibus quatuor, una pars liquoris bezoardici Bussii, vel spiritus cornu cervi succinati addenda erit.

§. XXXIV.

Methodus, ubi ex pustulosa & ulcerosa materia morbi provenerint?

Alia vero curandi ratio ac methodus ineunda est, quando pessimæ indolis morbi, ex pustulosis & ulcerosis cutis defœdationibus sanatis & retropulsis, oboriuntur: tunc enim majori sæpius natura stimulo diaphoretico vel sudorifero eget. Et res mihi videtur hoc loco notatu valde digna, quod hæc ipsa, quæ exterius cuti applicata noxiam faciunt retrocessionem medicamina, ut sunt, quæ ex mercurio, quę ex sulphure vivo parantur, interne cum prudentia sumta, propellendo ad exteriora morbiferum humorem, sanandi quoque facultatem possideant. Nam pulveres ex floribus sulphuris, æthiope minerali, vel antimoniali (secundum methodum Excell. D.D. ELLERI *Colleg. Med. Berol. Assessoris*, qui ex antimonio crudo, & mercurio vivo invicem tritis & mixtis constat,) antimonio crudo, regulo antimonii medicinali, cinnabari, item croco martis subtilissime pulverisato, cum aliis diaphoreticis mixti, miram certe in hujusmodi affectibus, inque primis sero lactis caprini, vel macris carnium brodiis, quibus incoctę sunt radices aperiente & transpirationem promovente virtute donatæ, ad quarum genus spectant, radix scorzoneræ, graminis, petroselini, asparagi, fœniculi, taraxaci, cichorei, secundatur: in quo etiam casu, præsertim si tormina in imo ventre urgent, aliquot cochlearia olei amygdalarum dulcium in recensitis his jusculis propinari possunt. Sicut in his affectibus utilis quandoque sanguinis missio, per scarificationem vel venæ sectionem deprehenditur. Atque salure quoque interdum est, noxios serosos & putridos e corpore humores, tuto, leniter & successive per alvum educere, quo postea & tutior & felicior eorum, quæ per cutim pravos humores evacuant, evadat operatio. Insigni autem selectu & circumspectione hic opus est: omnia enim, quæ valide alvum stimulant, quæ acria sunt, quę tormina cient, item aloetica, quæ sanguinem commovent & impetuose ad interiora & intestina compellunt, penitus exulare debent: mannata vero, tamarindinata, rhabarbarina, passulata & tartarea, si recte miscentur & usurpantur, omne punctum absolvunt.

§. XXXV.

Topica quando adhibenda.

Quod attinet ad topica, varii sunt generis, quibus hæc materiam corruptam in pristinum locum revocandi virtus adscribitur, e.g. frictiones cum pannis asperis, urticationes, siccæ cucurbitulæ, phænigmi, antispastica, fonticuli

culi & vesicatoria: sed nos his posterioribus, si temperatiora, ut sine dolore operatio fiat, rectèque applicata & diutius detenta fuerint, præ omnibus aliis, crebra experientia edocti, eximiam atque insignem vim & efficaciam adscribimus. Ad revocandos vero dolores podagricos pediluvia temperata ex aqua pluviali vel fluviatili, furfuribus tritici & lacte admixtis, singularis, & eximiæ virtutis ac fructûs fuisse non semel a nobis observatum est. Neque enim sobrius & circumspectus dictorum externorum, quæ ingenti humores noxios ad partes externas & minus nobiles derivandi vi pollent, usus sua laude caret. Etenim emplastrum nobis usitatum valde temperatum vesicatorium, quod citra dolorem & inflammationem, insignem seri vitiosi quantitatem extrahit, ac per mensem & ultra usurpari potest, in affectibus capitis nuchæ, in retrocedentibus petechiis carpis manuum, in cardialgia vero, colica arthritica, & scorbutica pedum malleolis applicandum præclàros sæpenumero effectus præstitit. Constat etiam phænigmis sua virtus, quæ ex allio, cepis, raphano rusticano, fermento panis & aceto præparari possunt: moderatioris enim ac vesicatoria sunt operationis, atque dum subtili acrimonia vividiorem motum fibris motricibus conciliant, stimulando majorem affluxum sanguinis & humorum ad partes invitant. Emplastra vero epispastica ex pice Burgundica & terebinthina confici solita, in morbis anomalis a Cl. MUSGRAVIO quidem, in eleganti suo libro *de arthritide anomala* laudantur & in usum trahuntur, sed cum nobis certa eorum efficacia plane ignota sit, neque vituperare hoc remedii genus, neque commendare volumus.

CAPUT XII.

De rationali pulsuum explicatione & judicio in morbis recte ex iisdem formando.

§. I.

Veteres minus recte pulsûs doctrinam tradiderunt.

IN superioribus potiora fundamenta & capita verę & rationalis pathologiæ, quæ resolvendi morborum historiis apprime inserviunt, concise quidem, sed satis solide, ut arbitror, tradidi; nunc ad doctrinam a Veteribus maximi semper habitam, & celebratam veniam, quæ ad penitiorem morborum diagnosin & ipsam quoque prognosin necessaria, ad certitudinem artis existimationem & famam apud doctos & vulgus medico conciliandam, maximum utique confert momentum. Utut vero inter Veteres, antiquissimus nostræ artis parens *Hippocrates*, in hac medicinæ parte admodum diffusus & operosus fuerit, ut plures etiam de prædictionibus & prognosticis libros conscripserit; nihilominus tamen permulta, ut ingenue fatear, in iis comprehenduntur, quæ in nostris præcipue regionibus, usu & applicatione carent. Nam regulæ istæ & aphorismi prognostici magna ex parte particulares sunt ad certos casus & peculiares circumstantias, quæ tamen deficiunt & non adjectæ, restricti, tantum abest, ut perpetuæ sint observationis & applicationis. Quumque in diagnosticis & prognosticis vix ulla sit excellentior magisque necessaria doctrina de pulsibus; mirandum certe est, in *Hippocratis* monumentis nullam, vel plane exiguam, ejus reperiri mentionem, quum tamen in disquisitione de urinis, plus quam par est & usus exigit, diffusus sit, atque occupatus. Quam breviter vero & concise ipse *Hippocrates*, tam late & prolixe *Galenus* de pulsibus sermonem fecit, quippe qui innumerabiles fere pulsuum finxit differentias,

quæ

quæ nec menti concipi possunt, nec reipsa, ut recte animadvertit *Montanus*, observantur. Hunc postea, ceu ducem, cœco studio plures ejus assectæ sequuti sunt, & fideliter tam numerosas, confusas, vix explicabiles & conceptibiles pulsuum species in scripta sua transtulerunt, quæ nonnisi ad ingentem tironum medicinæ confusionem facere possunt.

§. II.

Quos recentiorũ quidam perperã sequuntur.

Veteribus quidem facile condonandum, quod in pulsuum dignotione & evolvenda eorundem natura atque origine, tot hallucinationes admiserint, eo quod sanguinis circuitum, veram & genuinam pulsuum caussam, ignorarunt; quo utique factum est, ut verum usum pulsuum, nec in diagnosi, nec prognosi, tam in statu sano, quam præternaturali, cognoscendo, recte intellexerint. Recentioribus vero, qui nobilissimum hoc inventum norunt, merito vitio vertendum, quod multi adhuc eadem chorda oberrent, & ex tanta a Veteribus conficta pulsuum multitudine & multifaria denominatione, velut ex labyrintho, cum certa ratione sese extricare nequeant. Si caussam quærimus; hæc præcipue subest: quod plerique hanc de pulsibus doctrinam non ad mechanicam scientiam, sive regulas motuum, ad quam tamen proprie spectat, examinaverint. In quo quidem doctrinæ genere *Bellino* melius versatus est nemo, quem si inspexissent quibus mechanica sordent, perspicuum sane conceptum de arteriarum & sanguinis per eas motu adepti essent; sed qui præjudiciis occęcati sunt, nunquam volunt discere, quæ nunquam didicerunt.

§. III.

Qui systalticũ ãrteriarum motum negant maxime errant,

Quod vero magis adhuc mirandum, adeo quidam in luce caligant, ut dubitent, num in arteriis systole, sive motus contractorius succedat, cujus beneficio sanguis ex ipsis in venas, & ex his versus cor refluus propellatur? Sed quis putarit, hos ipsos ignorare motum tonicum, de quo tam frequens ipsi sermo est, in reciproco motu constrictionis & relaxationis consistere, & hunc non tantum musculis & fibris, sed maxime omnium canalibus, qui ex tunicis nervosis & fibrosis elasticis conflati sunt, omnibus esse proprium, adeo, ut nullum, quod fluidum vehit in corpore animali, vas hoc ipso sit destitutum. Deinceps nostri utique scire debuissent, quod horum simplicissimorum motuum vere vitalium ea sit natura ac indoles, ut unus semper alterum sequatur, atque proritet, ita quidem, ut systole suscitet diastolen, & diastole rursus systolen, unde motus exsurgit perpetuus, & cor in machina animali recte dicitur perpetuum mobile, quod argumentum latius in *tomo* 1. *medicinæ rationalis systematicæ* deduximus & illustravimus. Tum apud omnes in confesso est, pulsum, qui tactu in arteriis percipitur, esse nonnisi expansionem, & elevationem arteriarum, a contractione cordis, qua sanguinis portio in alveos intruditur, productam; nisi itaque arteriæ post expansionem iterum in priorem statum & dimensionem se restituerent sub contractione, neque nova receptio sanguinis & iterata ampliatio, neque etiam progressus in vasa reducentia, posset contingere. Porro systolen sive activam laterum contractionem licet tactu vix perceptibilem, in arteriis vigere, apertius testatur, sanguinis per arterias vulneratas vel abscissas saliens effluxus, ita succedens, ut in diastole quiescat, in systole vero cum impetu elidatur. Tacemus, quod figura valvularum semilunarium idem luculenter arguat, quippe quæ orificiis arteriarum e corde egredientium admirabili artificio eum in finem appositæ sunt, ne sub systole arteriarum, quæ diastolen sequitur, sanguis ad cor refluat ac reprimatur. Neque denique sublata arteriarum systole, sive

potentia elastica, quæ dilatatione & reciproca contractione absolvitur, intelligi potest, quo modo tota non solum sanguinis, sed etiam humorum universi corporis massa, quæ exacte posito calculo, pro diversitate individuorum, in grandi corpore & robusto ad 70. vel 80. libras accedit, intrusa una vice a corde in principium arteriæ ad summum sanguinis uncia, possit dimoveri & in circulum agi. Et certe neutiquam sufficit dicere, arteriosa vasa cum venosis reducentibus non esse continua, sed arteriarum extrema in porosam partium substantiam sanguinem a corde advectum fundere, & effusum mediante motus tonici vi ac potentia in venas, & per has ad cor trudi, sicque cruorem in motu progressivo refluo eximie adjuvari. Nam supposita illa humorum in poros & interstitia fibrarum extravasatio, commentum & haud levis error anatomicus est, cui partium, & totius corporis mere vasculosa, exceptis filamentis fibrosis, compages, uberrime illustrata & confirmata artificiosissimis *Ruyschii* injectionibus, quibus etiam docemur, nutritionem corporis nonnisi insigni expansione substantiæ vasculosæ partium a contentis succis fieri, apertissime repugnat.

§. IV.

Necnon qui multas pulsuũ species numerant.

Eandem censuram meretur quorundam sententia, qua nostris temporibus, quum a sagacioribus medicis jam dudum istæ multiplices & inexplicabiles pulsuum Galeni species explosæ, antiquum recoquunt, & tantum non omnes illas ad fastidium usque inculcant. Videas nonnullorum scripta, in quibus pulsus fortis, vehemens, magnus, plenus, longus, brevis, durus, mollis, parvus, vacuus, debilis, humilis, frequens, rarus, celer, tardus, serpentinus, vermicularis, formicans, caprizans, tremulus, undulatorius, myurus, serratus, dicrotus, manifestus, obscurus, intermittens, inæqualis, ceu vere & distincte existentes supponuntur, ex variis mentis præfigurationibus explicantur, & ad prognosin formandam sterili plane molimine applicantur. Quo quidem nihil aliud faciunt, quam ut pulsuum disquisitioni tenebras inducant, & vel suo exemplo effatum, quod ipse *Galenus lib.1.de pulsuum doctrina* pronunciare non veritus est, confirment: tantam in pulsibus solis addiscendis esse difficultatem & obscuritatem, ut tota hominis vita illi cognitioni atque exercitationi tribuenda videatur.

§. V.

Admittatur ejusmodi tantum pulsus pertinentia.

Ego potius hoc loco pulsuum scientiam ac differentiam secundum mechanicas rationes & leges breviter proponam, quo liquido appareat, quam pauca pulsuum sint & revera existant species, unde suam petant originem, & quam eximium usum eorum exactior notitia in praxi medica obtineat. Quemadmodum itaque in mechanicis nonnisi duæ simplices & genericæ motuum species dantur, motus nempe magnus & celer, cui parvus & tardus opponitur: ita etiam duo tantum in genere pulsus, magnus scilicet & celer, hisque oppositi tardus, & parvus, præsto sunt. Magnitudo & parvitas in motu, de mole, quæ movetur, magna, vel parva, dicitur; celeritas vero & tarditas, de spatio, quod mobile longiori, vel breviori tempore, emetitur. Pulsus igitur magnus is appellandus, quando ab insigni copia sanguinis, a contractione cordis in arterias intrusa, arteria amplius ducitur ac elevatur; parvus vicissim, ubi ab exigua portione immissi cruoris non adeo ampliatur. *magnus & parvus.*

celer & tardus

Et celer pulsus is dicendus, quando brevi temporis spatio arteriæ dilatatio perficitur, tardus contra, si longior temporis intercapedo ictus intercedit. Deinde ex binis his speciebus compositis alia emergit, vehementia nempe atque debilitas, ita quidem, ut celeritas cum magnitudine conjuncta vehementiam par-

Et ex his compositus vehementis & debilis.

parvitas vero & tarditas, debilitatem constituat, quod motuum genus utique etiam in pulsibus locum habet.

§. VI.

Reliqui vel non ad essentiam motus pertinēt, Frequentia vero & raritas, item æqualitas & inæqualitas, non sunt essentialiter affectiones motus, eo quod non de singulis motibus, sed tantummodo de successu & serie eorundem prædicari queunt, & frequentia quidem de numero majori, raritas de minori, æqualitas & inæqualitas, item intermissio, de ordine & successu motuum. Neque etiam durities & mollities de essentia motuum est, sed tantummodo dispositionem corporis, quod movet, vel movetur, denotat. Reliquæ omnes pulsuum spe- *vel fictitii sunt.* cies sunt fictitiæ, quæ revera non dantur, neque mente concipi, neque explicari possunt; licet minime negandum, diversos magnitudinis & parvitatis, item celeritatis & tarditatis, vehementiæ quoque & debilitatis, esse gradus. Proinde vehementer utique ii errant, qui discrimen comminiscuntur inter pulsum parvum, humilem, contractum, obscurum, latentem, vacuum, angustum, concisum, profundum, quum nonnisi una species sit, & a parva elevatione arteriæ proveniat, &, si quidē distinctio facienda, parvus, minor & minimus, rectius dicetur. Ejusdem notæ est discrimen, quod nonnulli inter magnum, plenum, amplum, & manifestum pulsum, necnon vehementem, impetuosum, robustum, fortē & valentem esse volunt, utpote priores denominationes omnes nonnisi magnā vel majorem arteriæ expansionem, & posteriores amplam cum celeritate factam dilatationem, produnt. Illi vero Galenicorum pulsus myurus, formicans, vermicularis, tremulus, capri-zans, serratus, dicrotus, nonnisi species sunt pulsuum magis, vel minus inæqualium, qui pro varia mixtione, ordine & successu variant, ita, ut mox parvus, ut mox magnus, post celer & tardus ictus percipiatur.

§. VII.

Pulsus celer & frequēs separatim percipi nequit. Majoris momenti quæstio est: num pulsus celer & frequens, tardus & rarus, inter se differant? an vero pro uno eodemque haberi possint? Nolo hoc loco repetere, quam acrem contra omnem expectationem mihi celeberrimus vir moverit olim controversiam, quum celerem & frequentem pulsum in praxi medica pro uno pulsu haberi posse scripto assererem. Is enim hanc meam assertionem suæ de febribus doctrinæ directe adversari putans, quod ingens inter pulsum celerem, & frequentem intercedat discrimen, propugnare & integro scripto defendere sibi sumsit. Ego vero in *dissertatione de pulsuum natura & usu*, necnon in schediasmate apologetico clarius, & quod sciam primus, detexi, celeritatem quidem & frequentiam in motibus mirum differre, dum illa de intensione & tempore motus, hæc vero de numero motuum prædicatur, qui tamen proprie non spectat ad essentiam motuum. Quandocunque vero sermo est de motibus, ubi semper unus alterum una serie sequitur, ut fit in pulsibus, hæc est quæstio: annon frequentia a celeritate singulorum motuum oriatur? & annon hæc ipsa certus index sit celeritatis singulorum? quod ego quam maxime merito affirmavi. Etenim nulla certe alia suppetit ratio, singulorum ictuum celeritatem, vel tarditatem accurate, ratione temporis dijudicandi ac determinandi, quam ex frequenti & repetita vibratione, ita quidem, ut si e.c. eo temporis spatio, quod vocant minutum, in uno centum pulsus numerentur, & in alio quinquaginta, priores duplo majori celeritate quam posteriores contigisse, demum constet. Quapropter nec pulsus celer, nec frequens, mente, multo minus re ipsa, ullo in morbo ut distinctus demonstrari potest, nisi pulsum, qui fit in arteria dura & constricta, celerem dicere velimus.

§. VIII.

Quod testantur auctores. Et hanc eandem de imaginaria pulsus celeris & frequentis differentia sententiam, medicorum celeberrimi profitentur. Disertis sane verbis *Sylvius prax. lib. 1. cap. 26. celeritas*, ait, *pulsui adscripta, mente quidem concipi potest, non item digitis tangi ac percipi*. Id quod etiam confirmat acutissimus medicus & Mathematicus *Bellinus in tr. de pulsibus p. 75. celer*, inquiens, *pulsus, quia digito minimo temporis persistit, in statu a naturali parum recedente, vel non datur, vel tactu distingui non potest, quum naturalis motus extrorsum arteriæ vix punctum temporis duret, multo minus in statu præternaturali id sensibile erit*. Egregie quoque eandem in rem scribit *Schelhammerus de pulsibus pag.* 73. pulsum frequentem non citra celeritatem observari. Et hinc etiam est, quod nunquam in observationibus medicis, pulsus tardus & frequens, celer & rarus, conjuncti deprehendantur. Non sine ratione itaque in consideratione medico-practica celeritas pulsuum pro frequentia, & frequentia pro celeritate, ponitur. Et quia unius ictus celeritas tactu per se non potest dignosci atque percipi, eo quod vix temporis punctum complet, consultius est, numerum ictuum beneficio horologii, quod minuta secunda monstrat, metiri atque determinare, quali instrumento insigni cum fructu in artis exercitio usque eo usus sum.

Ideoque sine errore unus pro altero ponitur.

§. IX.

Pulsus durus ac mollis dicitur respectu arteriæ. Longe aliter de pulsu duro ac molli sentiendum. Hic enim licet ipsius motus essentiam non tangat, sed tantum talis dicatur respectu ipsius arteriæ, prout nempe ea plus vel minus tensa, renitens, dura, vel flaccida, mollis & relaxata est; nihilo minus tamen multum sane refert nosse, qualis sit constitutio & dispositio instrumenti mobilis & moventis, ratione texturæ strictioris, vel laxioris, adeoque num constrictæ, vel laxæ sint cordis fibræ & arteriarum tunicæ, utpote quo major solidorum tensio, & constrictio, eo major est nisus, intensio, renisus ac renitētia in motibus, & contra. Hæc vero tensio & durities arteriarum, & fibrarum universi corporis nervearum, & carnosarum, deprehenditur vel in statu naturali, a conformatione nativa in ætate juvenili, cholericis, item senibus, ubi arteriarum pulsus valde tensus ac durus est, mollior vero textura in sanguineis, phlegmaticis, item in pueris: vel obvia etiam est in statu præternaturali, & nil nisi spasmi quædam species est, quæ quam maxime tangit tunicas arteriarum, ex fibris nerveis & musculosis compositas. Et quoniam sic ipsa dispositio arteriarum, ceu instrumenti motus, plurimum confert ad pulsuum mutationem, in proclivi est ratio, quare non semper unus idemque pulsus teste *Ballonio*, in utroque brachio observetur, id quod etiam nos in hemiplexia aliquoties observavimus. Et apprime huc facit luculenta observatio *Raygeri pag.* 20. qui scribit: *in quamplurimis militibus sauciatis & male curatis, notabilem differentiam inter pulsum sani & læsi lateris observavi*.

§. X.

Non convulsivus. Supereſt adhuc in pulsuum classe is, qui maxime omnium memoratu dignus, convulsivus meo quidem judicio merito dicendus. Hic pariter non a sanguine arteriosum alveum perlabente, sed potius ab ipsa nervoso-musculosa ac membranosa arteriæ substantia proficiscitur, & tractorio ac tremulo subsultorio motu, quasi arteria ad superiora raperetur, sese prodit, atque in febribus acutis mortis præsagium præbet, eaque propter recte dici potest pulsus morientium, cui plerumque inæqualis vel intermittens jungitur. Nam sicut circa mortis confinia in toto systemate nervorum, & nervosarum partium confusio & irregularitas motuum cum convulsione percipitur; ita etiam id ipsum contingit in arteriarum tunicis nervosis, & tactu sentitur.

§. XI.

§. XI.

Pulsuū causſa cordis motus ſyſtalticus.

Conſtitutis ſic pulſuum differentiis & genuinis ſpeciebus, evolvendæ ſunt eorundem cauſſæ, inquirendo maxime, quomodo iidem pro diverſitate corporum, atque etiam rerum non naturaliū uſu, differant. Ad pulſuum itaque cauſas quod attinet, originaliter iidem a cordis motu ſyſtaltico & diaſtaltico deducendi ſunt. Hic enim cordis motus maxime omnium dici debet vitalis, & cor primum movens ac ultimum moriens. Scilicet cordis ſtructura ex fibris quamplurimis firmis, tenſis, expanſilibus & contractilibus, ſive elaſticis, longe artificioſiſſime eſt contexta, & ex harum vi ac potentia, vel dum contractionem, ſeu motum activum, ſortitur, qui a ſanguinis aereo-elaſtici valde ſpirituoſi (qualis fit ex breviſſimo illo circulo ex cordis ſubſtantia in pulmones, & ex his in hanc, dum portio ſanguinis ex pulmonibus ſubtilioris facti, per ſubſtantiam cordis muſculoſam tranſit, & mox rurſus beneficio arteriæ pulmonalis ad pulmones fertur, tenuior redituru s) per vaſa coronaria tranſeuntis influxu animatur, & potentia ac virtute fluidi ſubtiliſſimi, quod ex pari octavo & intercoſtali nervorum affertur, magis augetur,

§. XII.

Et diaſtalticus a ſanguine appulſo.

Deinde quum motus cordis non uno illo contractorio, ſed reciproco altero diaſtaltico abſolvatur, poſterior quidem reſpectu cordis, quod patitur dilatationem, dici ſolet paſſivus, nihilominus tamen hic quoque motus dilatatorius, qui fit a contractione arteriarum & impulſu ſanguinis in venas, neceſſarius eſt ad ſyſtolen ſive vim elaſticam contractoriam. Etenim quia corporum elaſticorum ea natura eſt atque conditio, ut poſt dilatationem ſeſe rurſus contrahant, & poſt nimiam contractionem iterum amplient ac in priſtinum ſtatum reſtituant: in corde quoque tanquam parte mira elaſtica virtute inſtructa, poſt expanſionem ejus contractio de novo ſuſcitatur, ita, ut experimentis conſtet, quo major & quo crebrior diaſtole, & expanſio, eo majorem fieri ſyſtolen & conſequenter pulſum arteriarum. Confirmatur hoc luculenter ex eo, quod affluente copioſius & velocius ſub motu laborioſiori, vel aſcenſu ſcalarum, intenſiori & longiori ſermone, ad cor ſanguine, non modo ejus motus intendatur, ſed & pulſus major & crebrior micet, & corpus plus incaleſcat; contra vero ſi debita ſanguinis quantitas cordi vel per largiores hæmorrhagias, vulnerationes, aut venarum inciſiones ſubtrahitur, ſyſtoles ejus cum pulſu & ſanguinis circulo vel valde imminuitur, vel penitus perit, ac vita intercidit. Notavimus paucis abhinc diebus ejuſmodi exemplum in femina, quæ, cur neſcio, ſubito enorme ſanguinis experta eſt profluvium, ut animo primum deficeret, demum tamen refocillaretur. Sed quum e lecto cruore conſpurcato levaretur, & paullo diutius erecta ſederet, ſubito exanimis concidit atque extincta eſt, nullam aliam ob cauſſam, quod ſanguine ob ſitum perpendicularem cordi detracto, ſyſtoles periit, & ſic totus ſanguinis circulus ſubſtitit, qui forſan promto revocari potuiſſet auxilio.

§. XIII.

Hinc cordis motui reſpondet pulſus ac fit.

Sicut itaque æquabilis & moderatus influxus ſanguinis in vaſa coronaria, & conveniens ejus quantitas in cordis thalamos effuſa, motum cordis naturalem, æquabilem & moderatum efficit; ita pariter æqualis & temperata ſanguinis in arterias propulſio, & ipſi cordis motui reſpondens, a moderato ſanguinis & fluidi elaſtici in arteriarum tunicas appulſu dependens arteriarum reniſus ac ſyſtole, pulſum facit naturalem, viciſſim præternaturalem, quando ab hoc temperamento recedit. Et pulſus quidem magnus, ſive ampla arteriæ dilatatio, indicat copioſiorem ſanguinis ad cor affluxum & ſimilem etiam in arterias effuſionem. Parvus viciſſim parcio-

magnus vel parvus.

rem sanguinis in cordis ventriculos confluxum & exiguam ejusdem diastolen, idemque in arteriis contingere notat. Quando porro arteriæ celeriter micant, citatiorem sanguinis ex partibus ad cor succedere refluxū indicioest, si tarde, tardum. Vehemens pulsus adest, ubi celerius ingens sanguinis copia ad cor per venas appellitur; debilis contra, quum pauca quantitas tarde. Inæqualis vero arteriarum pulsatio, sive mox magna, mox parva, mox celeris, mox debilis, intermittens quoque, fit, quando liber sanguinis transitus per vasa coronaria, vel etiam ventriculos cordis, a quodam obstaculo impeditur, ac vel sanguis grumefactus crassus in vasis coronariis, vel fibrosum aut polyposum concrementum in auriculis vel cavitatibus ventriculorum vel vasorum cordis hæret, vel etiam fit, quando sanguis crassus & copiosus celeriter ad cor truditur & systolen ejus ad tempus opprimit.

celer vel tardus.

vehemens ac debilis.

vel inæqualis ac intermittens.

§. XIV.

Major quam vulgo putatur succorū in corpore est quantitas.

Jam quum pulsus cordis, & arteriarum vitalem illum sanguinis circulatorium motum regat ac tueatur, ac is vicissim ab hoc sustentetur; quæstio disquisitione haud certe indigna incidit: quoties una hora universa sanguinis & humorum massa mediante illo perpetuo circulo per cor transeat? In hac autem decidenda, ingens inter medicos est sententiarum divortium, dum non solum in determinanda sanguinis & humorum quantitate in universo corpore, sed etiam ea, quæ uno ictu e corde ejicitur, mirum discrepant; ita quidem, ut omnem humorum in corpore sano, adulto ac robusto apparatum, alii ad 30. alii ad 24. 20. & 16. libras accedere autument; pondus autem cruoris, una systole e corde pulsi, quidam unam unciam, quidam dimidiam, pondere æquare, censeant. Verum mihi certe vehementer errare videntur ii, qui tam exiguam molem, & portionem humorum per cor, & vasa omnia ferri affirmant, & in eo plerumque decipiuntur, quod tantummodo sanguinis rationem ineunt, quasi ille solus circumagatur, quum tamen longe major sit quantitas lymphæ, seri, chyli & succi alibilis, quos omnes humores innumera vascula & tot canaliculi, e quibus maxima ex parte compages corporis nostri ejusque partium coagmentata est, continent, & qui pariter non subsistunt, sed jugi etiam motu circumaguntur, id quod etiam de succo cerebri, medullæ spinalis ac nervorum dicendum. Deinde illi quoque admodum falluntur, qui quantitatem omnem sanguinis ex ejus per vasa aperta effluxu metiuntur, eo quod, hic tamdiu tantum, quam cordis & arteriarum motus, succedit, hoc autem, post interceptum a subtracto sanguine ad cor affluxum & sublatam diastolen, pereunte, subsistit, restitante adhuc in vasis minoribus & inferioribus magna cruoris copia.

§. XV.

Et major fluidorum quam solidorum.

Proinde alia potius via ac methodus excogitanda, qua proportio liquidi ad solidum in corpore humano clare & certius possit detegi: id quod mea quidem sententia commodius perfici nequit, quam si fluidarum æque ac solidarum partium non nihil lance prius libratum calori exponitur, quo humidum aufugiat, & exsiccatum postea rursus ponderatur, videndo, quantum perdiderit ponderis, & inde calculum subducendo. Varia hunc in finem instituī experimenta, & sæpius quidem cum sanguine e vena misso, ac deprehendi, quatuor ejus uncias, facta exsiccatione, unam ut plurimum unciam solidæ materiæ reliquisse, ut adeo tres sint fluidæ, & una tantum solida in cruore portio. Deinde frustum carnis bubulæ recentis, duodecim unciarum pondere, in clibano non adeo acri & vehementi calore siccavi, & aridæ substantiæ uncias quatuor obtinui reliquis octo unciis, partim sub vaporum forma difflatis, partim cum pingue-

guedine liquefactis & exstillatis. Ossa quoque, quæ sunt solidissimæ & maxime compactæ partes, decoxi ad aliquot horas cum aqua, exemta postea arefeci, & dimidium ponderi eorundem decessisse compertum habui. Licet autem pondus & quantitas tot membranarum, cartilaginum, omniumque solidarum partium in corpore humano, exacte determinari nequeat; illud tamen ex hac computatione recte elicitur, fluidam corporis substantiam in genere longe superare solidam.

§. XVI.

Inde eliciendum quoties sanguis circuletur.

Ponamus itaque corporis molem attingere 160. libras, minimum 80. libræ humoris in eo erunt. Ponamus porro, quod etiam fere semper in sano homine evenit, quod uno in minuto septuaginta pulsus, adeoque in hora, quæ sexaginta minutis absolvitur, quater mille & ducenti pulsus numerentur, & quod ea sit arteriæ magnæ cordi concretæ amplitudo in robusto, isque diameter, ut quovis cordis ictu, unciam unam sanguinis quam commode recipere possit; calculo subducto, patebit, minimum ter intra horæ, ac septuagies & bis intra 24. horarum spatium, humorum microcosmicorum pelaguscursum conficere, & cor in circulum abeundo perlabi. Et tam crebra liquorum corporis per cor & omnia vasa circulatio, eam maxime ob caussam necessaria est, quo succus ille, qui ex ingestis esculentis & potulentis extrahitur, ac in mediocriter robusto & non valde agili vitæ genere minimum ad sex libras accedit, cum sanguine intime misceri, ad minima vascula per universam compagem pelli, iterumque per subcutaneos maxime & urinarios tubulos exire possit; quandoquidem observationibus staticis liquido constat, corporis adulti idem semper fere manere pondus, & egesta æqualiter respondere ingestis.

De causis quæ pulsum immutant.

§. XVII.

Ut autem ad pulsus eorumque caussalem disquisitionem redeamus, probe tenendum est, pulsum tam quoad celeritatem, quam magnitudinem, non in omnibus omnique tempore unum eundemque observari, sed ratione magnitudinis cordis & vasorum, copiæ & temperiei sanguinis, nec non virtutis elasticæ canalium, multum differre, & hinc quoque pro ratione sexus, ætatis, temporum anni, aeris, motus, victus, somni, vigiliæ, animi pathematum admodum discrepare. Si sexum spectemus, viri plerumque mulieribus pulsum majorem & citatiorem, fœminæ tardiorem, & debiliorem obtinent, quippe viri, corde majori & ampliori, cui, ut ego in quamplurimis sectionibus observavi, semper vasorum amplitudo respondet, firmioribus quoque fibris & sanguine magis calido turgescente, quam fœminæ, instructi sunt, quæ vasa habent exiliora, laxiora & copiosiora. Deinceps in cholericis & sanguineocholericis, arteriæ validius & celerius micant, quam in iis, qui phlegmatici & melancholici sunt temperamenti. Nam cholericorum sanguis majori copia partium sulphurearum, quæ fons & matrix motus intestini calidi & orgastici sunt, scatet, hinc tenuior, fluxilior, magisque coccinei coloris est, citatius cursum conficit, & excretiones promtiores facit. Quoad corporis habitum macilentiores, & qui fibras strictiores & ampliora vasa habent præobesis, qui laxis fibris dotati, vasaque gerunt angusta, majorem, & validiorem arteriarum pulsationem experiuntur; unde etiam saniores, robustiores, ac ad perferendos labores aptiores sunt illis.

& quidem sexus.

temperamentum.

corporis habitus.

§. XVIII.

Porro ætas multum ad modificandum arteriarum motum confert. Nimirum infantes insignem succorum copiam ad alimoniam & incrementum necessariorum alunt, unde crebriores fiunt diastoles & pulsus, qui tamen ob fibrarum teneritudinem & laxitatem, molliter tangentis manum feriunt. In juvenibus ac viris maximus corporis rigor, sanguis calidus & fibræ strictio-

Ætas.

res, & hanc ob causſam in iisdem pulſus ſtrictior, major & vehementior obſervatur. Senes vero fibras gerunt rigidiores, & ſanguis ob ceſſantem nutritionem redundans, anguſtatis nimium minimis canaliculis, in majoribus vaſis ipſoque corde majorem dilatationem, adeoque pulſum magnum & quodammodo durum facit, qui tamen ob cruorem, deficientibus particulis calidis ſulphureis, craſſum ac ſpiſſum, tardior eſt. *Labor.* Labor, motus, & exercitatio corporis, & pulſum, & circulum ſanguinis, & excretiones, præſertim perſpirationem, augent; *quies.* quies autem & otium & tardiorem, & debiliorem, ſanguinis progreſſum, adeoque etiam arteriarum motum efficiunt. Eundem cum motu præſtat effectum reſpiratio, per ſermonem excitatum, *Sermo intenſus.* vel aſcenſum acclivium in, tenſior facta; qua ſanguis non ſolum velocius per pulmones, ſed etiam univerſi corporis canales agitur, ac pulſus magnitudine & celeritate increſcit. A *Vigilia.* vigilia evidentior arteriarum percuſſus ſentitur, in ſomno vero tardior & languidior eſt. *Potus calidus.* Poſt potum ſumtum calidum v. g. infuſi Coffee & Thee, vel etiam aquarum thermalium, ſtatim frequentiores vibrant pulſus, necnon poſt ingeſtum cibum, adeo ut ſæpius experimentum ceperim, & quum ante prandium in minuto arteriæ ſeptuagies, in quibuſdam ſexagies quinquies pulſarent, poſt illud ad 75. vel 80. quin 100. pulſus aſcenderent. *Animi affectus.* Nihil vero tam ſubito pulſum cordis & arteriarum mutare valet, quam animi affectus; & a terrore quidem pulſus fit inæqualis, parvus & contractus, a gaudio frequens & magnus, ab ira celer ac durus, a triſtitia tardior, minor, profundior ac debilis & poſt impenſas meditationes, languidus ac debilior, neque dubium eſt, quin in deſideriis & affectibus venereis crebrius pariter turbetur.

§. XIX.

Aer. Quam eximia præterea aeris circumfui ac tempeſtatum ſit efficacia ad ſanguinis per arterias motum earundemque percuſſum conturbandum, quotidianis experimentis inclareſcit. In primis experientia compertum habemus, quod ſimul ac poſt diu in atmoſphæra regnantes zephyros, vel auſtros, aquilo, vel eurus flare incipit, mox major tenſio arteriarum fiat, major quoque vigor & magnitudo in pulſibus, quod etiam obſervatur, quando argentum vivum in barometro ſitum ſuum humilem mutat, & ad ſuperiora ſcandit. Contra ea, ſi atmoſphæra & denſa, humida, pluvioſa & diuturna auſtrina ejus conſtitutio, ſub vita præſertim ſedentaria, longiori ſomno, & autumnali tempore, langueſcit pulſus & minor redditur, ſimul quoque ſanguinis circuitus cum excretionibus, in primis perſpiratione impeditius ſuccedit. Ex eodem *Anni tempora.* fonte derivandum, quod pulſus in arteriis pro anni temporibus mirum variet. Videlicet vere medio, ut Majo menſe, maximus vigor corpori ineſt, & pulſus, magnus, interdum vehemens percipitur. Æſtate media arteriæ celeriter, ſed debiliter, percutiuntur, quoniam ob æſtum major inteſtinus & calidus partiũ ſulphurearum fit motus, ſpirituoſæ autem elaſticæ exhalant. Autumno pulſus tardi, molles & debiles percipiuntur; & hieme duriores ac majores micant.

§. XX.

Accedunt medicamenta, quibus identidem peculiaris vis atque virtus ineſt, motum cordis & arteriarum pulſum variis modis immutandi. Etenim quotidianæ obſervationis eſt, a draſtico ſumto purgante, quod ſpaſmis ventrem exercet, & plures dejectiones movet, pulſum duriorem, citatiorem & debiliorem, cum virium languore reddi, qualis effectus etiam ab aſſumto fortiori emetico ſequitur. Medicamenta ex marte parata id ſervant ſingulare, quod ſulphure ſuo metallico egregie fibrarum & canalium elaterem firment atque intendant, unde poſt eorũ uſu pulſus major & robuſtior

Medicamẽta purgãtia & emetica.

Martialia.

per-

percipitur, color faciei vividior conspicitur, & calor corporis adaugetur; quæ si observantur phænomena, indicium sunt boni a medicamento dato effectus, ad expediendas maxime obstructiones in corpore cachectico. Quumque Lauchstadienses medicati fontes eximiam martialis elementi copiam in sinu foveant, exquisita utique ratione nititur, quod sæpius expertus sum, ab eorum potu pulsum languidum antea & minorem, in sexu potissimum sequiori, majorem & frequentiorem reddi ac intendi. Idem quoque ab usu corticis Chinæ in intermittentibus adverti: quippe die vacuo, quo arteriarum percussus solet esse valde tardus, parvus & debilis, hoc propinato, vegetius & robustius micare cœperunt, indicio, auspicatam hujus remedii cæteris paribus esse operationem. *corticis Chinæ.*

§. XXI.

Pharmaca, quæ sale volatili, acri & oleoso turgent, ut essentiæ & spiritus bezoardici, alexipharmaci, ordinario amplificant & exaugent pulsum, atque cordis & arteriarum diastolen, ob principium sulphureum volatile, expansivum orgasticum; & quia sanguinis circuitus inde promovetur, non modo perspiratio, sed & debito adhibito regimine, sudor largior subsequitur. In enormi virium defectu & imminente animi deliquio, arteriarum motus languidus, tardus & parvus, vix interdum perceptibilis observatur, adhibitis autem interius & exterius balsamicis & spirituosis aromaticis, mox immutatur & augetur, qualem effectum etiam vinum generosum præstat. Acida vicissim & nitrosa, peculiari ratione sulphur sanguinis, a quo intestinus ejus calidus motus dependet, figendo & refrenando, corpus refrigerant, & simul semper reddunt arteriarum motum pacatiorem; quare etiam eorum usus, ubi pulsus ratione magnitudinis & celeritatis nimium est adauctus, ut in æstu febrili, præsentissimæ est efficaciæ. *Volatilia.* *Analeptica.* *Acida & nitrosa.*

§. XXII.

Quæ sulphure quodam vaporoso, naturæ adverso, ut sunt, quæ somnum inducunt, ex opio potissimum parata pharmaca, multo magis quæ narcosin & stuporem conciliant, quo nomine hyoscyamus maxime & ex eo concinnata celebrantur, imbuta sunt, pulsus percussum valde parvum & debilem efficiunt, ac vires prosternunt. Et mirandum certe est, quam subito hæc ipsa medicamenta, exigua etiam dosi oblata, vires dejiciant, elaterem solidorum & potentiam motricem minuant, nullam aliam ob caussam, quam quod principio suo subtili, sulphureo, valde expansivo, intima nervorum penetrent, & liquidum quod vehunt purissimum, magnæ ad movendum efficaciæ, adverso suo vapore contaminent; eodem modo ac versa vice, quæ amico, fragranti sulphure scatent, motum cum viribus erigunt atque adaugent. Pariter experientia constat, ab assumtis aliis venenis corrosivis, quorum notissimum arsenicum, pulsum minorem, contractum, durum atque frequentem fieri, qui ante mortem aliquot horis deficere solet, ut percipi plane nequeat. *Soporifera & narcotica.* *& venena corrosiva.*

§. XXIII.

Si ob nimiam sanguinis redundantiam & ampliorem alveorum diastolen, cordis systoles non sufficienter respondet, & pulsus ea propter minor fit ac deprimitur; facto per sufficientem sanguinis missionem spatio, arteriæ vegetius & celerius saliunt, ipseque sanguinis progressus promtior fit atque liberior. Et quia mensium vel hæmorrhoidum fluxus sæpe ob nimiam plethoram supprimitur, evenit, ut post sectam venam, ob celeriorem sanguinis cursum, brevi tempore post insigni valetudinis cum emolumento restituatur. A balneis tam siccis & vaporosis, quam humidis, pulsum vehementer augeri certissimum est, adeo, ut si paulo calidius adhibeantur, febrilis evadat, quem universi corporis *Venæ sectio.* *& balnea.*

ris æstus, cordis palpitatio & capitis dolor sequitur. Etenim in ejusmodi balneis a calore externo humido major sanguinis humorum proritatur expansio, quæ, si nimius balnei æstus est, tantopere augeri potest, ut systolen cordis nimia resistentia suspendat, & lipothymiæ balneantibus, ut crebrioris observationis est, accidant. Quin pediluvia tantum, circa lecti introitum recte usurpata, & sanguinis & arteriarum motum intendere, multiplici constat experientia.

§. XXIV.

Magna itaque verum corporearum vis.

Hæc itaque omnia uberius hactenus excussa, evidentissime confirmant, magnam ac præsentaneam rebus externis corporeis, quibus ad vitam tuendam quotidie utimur, inesse facultatem, cordis motum & arteriarum pulsum, adeoque universam actionum vitalium, naturalium & animalium œconomiam, in melius, vel deterius mutandi. Quibus certe effectibus, quasi totidem argumentis, apertissime erroris convincuntur, qui physicis hisce rebus omnem omnino in corpus agendi illudque movendi potentiam denegant, & principio cuidam rationaliter & moraliter agenti, motuum caussam & directionem modo plane non intelligibili tribuunt.

Ad pulsum mutandum.

Quumque adeo pulsus multis variisque caussis mutari possit, periti omnino medici est, ut easdem curate expendat omnes, ne in promendo ex iis judicio fallat ac fallatur. Nam pulsus quidem certum signum & index motus cordis & circuli sanguinis est, sed si solus is spectetur, & non aliarum simul circumstantiarum, vel caussarum externarum, ratio habeatur, in judicando admodum decipere potest. Exemplo sit pulsus intermittens.

Hinc caurum judicium.

Hic plerumque pro periculi pleno, quin lethali, habetur quidem; experientiæ tamen fide constat, eundem sæpe in sanis, frequentius in hystericis, nec non colica, sine exitio, observari. *Riverius Cent. 3. obsev. 3.* intermittentem pulsum notavit a lumbrico, quo excreto, arteriarum motus ad naturalem statum rediit. Idem auctor *Cent. 3. obser. 77.* pulsum diu & sæpe, ob polypum, superstite longius vita, intermittentem, se tetigisse, testis est. Et *Kerkringius in spicileg. obs. 78.* systolen cordis interceptam adeoque pulsum suffiaminatum, sine funesto eventu, se vidisse confirmat. Flatus quoque pulsum suspendere, *Pechlinus lib. 2. obs. 8.* confirmat exemplo cujusdam, cui flatuum exsurgentium copia mirifice cor constringebat & interturbabatur pulsus, statim vero ac copiosi ructus exirent, liberabatur. Et *lib. cit. obs. 7. pag. 214.* disertis verbis testatur, se pulsum subinde intermittentem in scorbuticis, in fœminis junioribus male menstruatis, sine ullo majori incommodo spectasse.

§. XXV.

Testimonia.

Quare egregium *Fernelii* est monitum, quod *lib. 3. puls. pag 160.* inculcat: *quotidianæ*, inquiens, *corporis affectiones pulsus immutant, sine quarum animadversione, non certo potest pulsus percipi, nec quantum per morbos a naturali distet.* Eandem quoque in rem quam maxime commemorabilis *Celsi* locus *lib. 3. cap. 6.* & dignus, qui totus transcribatur, dum ait: *venis maxime credimus fallacissimæ rei, quia sæpe istæ lentiores celeriores ve sunt, & ætate, & sexu, & corporum natura. Et plerumque satis sano corpore, si stomachus infirmus est, nonnunquam etiam incipiente febre, subeunt & quiescunt: ut imbecillus is videri possit, cui facile laturo gravis instat accessio. Contra sæpe eas concitat & resolvit sol, & balneum, & metus, & ira, & quilibet alius animi affectus, adeo ut, cum primum medicus venit, sollicitudo ægri dubitantis, quomodo ille se habere videatur, eas moveat. Ob quam caussam periti medici est, non protinus ut venit, apprehendere manu brachium: sed primum residere hilari vul-*

vultu, percunctarique, quemadmodum se habeat; & si quis ejus metus est, eum probabili sermone lenire; tum deinde ejus carpo manum admovere. Quas venas autem conspectus medici movet, quam facile mille res turbant.

§. XXVI.

De pulsus mutatione in morbis.

Atque hæ sunt caussæ, quæ arteriarum motum variare & multis modis in statu naturali mutare possunt: proximum nunc est, ut quomodo quibusque rationibus, pulsus præter naturam in variis morbis immutationem subeat, exponamus; quo medicus ex hac pulsuum dignotione, ad cognitionem caussarum internarum & effectuum eo melius pervenire, & sic ex iisdem, & morborum, & caussarum morbificarum, signa atq; indicia cum cerca ratione petere possit. Quum vero ex omni morborum classe præcipuus, immo quasi universalis sit febrilis, qui nulli ætati, sexui, & temperamento parcit, plurimis morbis sese complicat, multos etiam interimit, ipsisque medicis plurimum negotii in curando, & præservando faceſſit; maxime omniū e re fore arbitror, ut paullo accuratius dispiciamus: an certo pulsu, & quonam, febris, cujuscunque sit generis, certo dignosci possit? sive quinam pulsus signum pathognomonicum febris præbeat? Jam quidem non levem hac de re inter medicos tam veteres, quam recentiores, vigere dissensum, videmus, dum alii pulsum celerem, alii frequentem, alii cum *Galeno* pulsum celerem & frequentem simul, pro pulsu febrili, sive febris genuino signo, venditant. Ego vero jam supra clarius ostendi, controversiam hanc nullius fere esse momenti & facile hac ratione dirimendam, si ex vero ponamus: frequentiam proprie non esse de natura nec motuum, nec pulsuum, celeritatem autem singulorum pulsuum non posse dijudicari & exquisite determinari, quam per ictuum numerum frequentiorem, sive sæpius repetentem. Hinc quando quæstio est de pulsu febrili, celer quidem proprie is est, qui febribus jungitur, easdemque indicat; quia tamen frequentia a crebrius repetita vibratione magis in sensus incurrit, & celeritatem comprehendit, rectius utique ii medicorum sentiunt, qui pulsum frequentem pathognomonicum febris signum esse aserunt.

& quidē febribus.

quarum signum frequentia.

§. XXVII.

Quod testantur auctores.

Et sane quamplurimi ex recentioribus quoque non infimi subsellii medici, hoc asertum calculo suo comprobant. Audiamus *Sylvium*, qui in *praxi l. 2. pag. 460.* ita disserit: *hoc unicum febri omni soli & semper competens signum est, adeoque pathognomonicum, pulsus scilicet præter naturam frequentior, quo præsente, febrem adesse, absente autem, abesse, certo pronunciari queat. Nec enim aliud signum quod competat omni febri innotuit Practicis, reliqua enim signa omnia, non tam febrem, quam febris speciem, gradus & tempus indicant aut demonstrant. Sylvio* asurgit diligentissimus observator *Ettmullerus*, in *tom. pract. p. m. 248. pulsus*, inquiens, *naturaliter frequentior recte statuitur signum pathognomonicum febrium a* Sylvio, *tam in* dissertatione de natura febrium, *quam* in praxi, *quicquid in contrarium scribat* Deusingius, Tract. disquisitione Anti-Sylviana. Idem confirmat clarus Belgarum Practicus *Deckerus*, in *notis ad Barbette p. 102. ubicunque*, scribens, *pulsus præter naturam frequentior observatur, ibi febris est.* Et *Schelhammerus in tr. de puls. p. 27.* frequentem in omni febrium genere nunquam non sese offerre scribit, & cum calore earum esse signum pathognomonicum.

§. XXVIII.

In febribus quoque adest pulsus durus.

Monendum vero est, quod licet in omni febre pulsuum præsto sit frequentia, minime tamen ex eo concludere liceat, ubi pulsus frequens, ibi febris. Nam superius jam in caussarum evolutione ostensum est, in pueris & cholericæ temperaturæ viris esse, & a motu fortiori corporis in balneo, asumto sudorifero, ab animi pa-

pathematibus, post epilepsiam & vinum potum, naturalem arteriarum motum fieri frequentiorem, quum tamen febris absit. Quapropter hæc cautio a medico, ne decipiatur, adhibenda est, ut prius studiose exploret: an forsan a caussa externa hæc pulsuum frequentia fuerit orta; ac deinceps, ut inquirat: num etiam alia febris essentialia signa, ut horror & refrigeratio extremorum, adsint. Porro etiam probe notandum id, quod a paucis notatum, quod scilicet in febribus omnibus frequens non modo sit pulsus, sed & simul ob tensionem arteriæ, plus renitens & naturali durior. Nam certe pauciſſimæ sunt febres, in quibus pulsus non solito durior observatur, exceptis modo quibusdam vere malignis febribus sudoriferis, e quarum numero maxime sudor sic dictus Anglicus & colliquativus, quæ potius undoso pulsu ac summa virium dejectione indicantur. Febris quippe, secundum nostram rationalem demonstrativam explicationem, est affectio systematis nervosi & vasculosi, universali spasmo quodammodo constricti, qui non modo nervosas, & musculosas fibras, sed & ipsa arteriosa vasa eorumque tunicas, quæ ex fibris nervosis & musculosis conflatæ sunt, afficit. Et ab hac tensione & constrictione partium, quę sic proprie de essentia febris est, dependet non modo tensio & durities, sed & frequentia pulsuum aliaque symptomata febri juncta; quandoquidem spastica hac fibrarum strictura, dum vasa capillaria nimium angustat, angustia celeritate compensatur, & sanguis citatiori mutuo attritu incalescit; a priori frequentia, a posteriori, corporis æstus.

§. XXIX.

Varia tamen pro tempore febris. Ut autem paullo specialius innotescat, quomodo in variis febrium generibus pulsus sit comparatus, primo tenendum est loco, eundem quoad tempora decursus morbi febrilis, eximie differre. Nimirum in principio continuæ, vel paroxysmo intermittentis, plerumque tensus esse solet, parvus & frequens, deinde augescit & paullo major fit, tum in statu, sive vigore æstus, in magnitudine adhuc crescit & vehementius ferit, & tandem circa declinationem, & tensio, & celeritas remittit, simulque secretiones & excretiones in cute, perspiratio nempe & sudor succedere incipiunt. Malum contra indicium est, si in febribus continuis, circa dies criticos, septimum scilicet, nonum & undecimum, cum horrore & refrigerio extremorum, pulsus sit parvus & celer, vel etiam celer & vehemens, cum urina aquosa & tenui, eo quod spasmos in extremis augeri, & sanguinem impetuose ad caput agi, ob fractum robur ibi exitialem phrenitidem inducturum, nunciat. Pessimi autem præsagii est parvus, frequens & debilis, quippe qui, virium summam prostrationem & internam inflammationem in sphacelum concedere subindicat, cui si complicatur inæqualis & intermittens, mortis periculum prodit. *qui malus.*

§. XXX.

De pulsu in variis febrium generibus. Deinceps in principio quartanæ pulsus parvus, durus, frequens & inæqualis esse suevit, & in statu tertianæ, item ardentis, vehemens. In febre synocha magnus quoque & celer arteriarum percussus, qualis maxime venæ sectionem indicare solet. Ante eruptionem exanthematum in variolis & morbillis, arteriæ quoque frequenter pulsant, post eruptionem autem & tensio & frequentia exspirat, tempore vero suppurationis rursus pulsus frequens fit sub febre sic dicta secundaria, & sub declinatione iterum successive redit ad statum naturalem. In malignis & petechialibus frequens quidem, parvus & debilis, sed contractus micat pulsus, cum magna virium prostratione, qui, si in mollem & undosum transit, cum multo sudore & urina sanorum simili, non remittentibus symptomatibus, mortem præsagit. In febribus inflamma-

to-

toriis, & ubi dolores juncti sunt, ut peripneumonia, ordinario durus & frequens, quandoque etiam magnus percipitur. Et catarrhales denique febres ipsasque lentas, pulsus vesperi ingravescens & celerius succedens stipat & indicat.

§. XXXI.

In aliis morbis ut capitis. Ad reliquos porro morbos quod attinet, & ad pulsus in iis habitudinem, in his quidem, qui caput obsident, ut mania, phrenitide, melancholia, multum quoque variare solet, & modo celer, modo tardior, modo languidus, modo robustus, nonnunquam inæqualis, tangitur; plerumque vero in his morbis intra caput fortiter arteriæ pulsare solent, a sanguine copiosius ibi congesto, cum dolore tractorio & lancinatorio, luculento indicio, multum ad cordis & arteriarum ipsiusque sanguinis motum turbandum conferre cerebri membranarum & nervorum constitutionem. In aliis, ut epilepsia, apoplexia & hemiplexia, præsertim, si major sanguinis copia præsto fuerit, durus plerumque & frequens, quandoque etiam magnus, deprehenditur. Vicissim ubi resolutum genus nervosum viresque prostratæ, in lethargo, sopore & dispositione ad syncopen, mollis, rarus & languidus tangitur, qui, si demum adeo gracilescit, ut vix percipi queat, corpus interea frigido sudore perfunditur, lethalem ingruere catastrophen *pectoris.* per ipsam constat experientiam. Quando pectus & partes in eo contentæ vitales patiuntur, pulsus utplurimum frequens, languidus & inæqualis esse solet; qualis potissimum deprehenditur in cordis palpitatione, nec non in asthmate convulsivo, ubi tamen plerumque intermittens jungitur, præsertim si uterque morbus a polyposo concremento, intra cor vel ejus vasa, fovetur.

§. XXXII.

Hæmorrhagiis. Quod si porro sanguis redundans exitum moliri incipit v. c. per menses aut hæmorrhoides, creber, parvus & quodammodo durus arteriarum est motus, ob spasmos, quibus sanguis ad locum excretorium congeritur: quum vero perrumpit, increbescit, & in magnitudine augetur. Affectus spasmodici, hypochondriaca & hysterica pathemata, dolores coli & calculi, nec non qui caput aliasque externas quoque partes infestant, sub pulsu crebriori ac duro affligunt, qui, si mollescit & amplior fit, spasmos in systemate nervosarum partium conquiescere, & sanguinis motum ad naturalem ordinem redire portendit. In dysenterico alvi fluxu utplurimum arteriarum pulsatio frequens & parva; ubi vero febris complicatur, frequentiæ magnitudo jungitur. Lues denique venerea, scorbutus, cachexia & hydrops, pulsu languente ac debili stipantur. *Spasmodicis & doloribus.* *Dysenteria.* *Lue venerea &c.*

§. XXXIII.

Atque hæc sunt, quæ de pulsibus & judicio recte ex iisdem formando, in ampliſſimum usum breviter dicta sunt. Interim tamen, quia hæc doctrina ita comparata est, ut apprime in eandem quadret, quod *Celsus* de medicina generatim edixit, plura esse, quæ nec dici possint, nec scribi; monendi utique sunt artem exercituri, ut experientia duce eandem mature addiscere laborent, & exquisito studio in cognoscendis ac dijudicandis pulsibus versentur. Mirandum autem certe est, nostros medicinæ practicos ad ægrorum lectos accedentes pro more tantum pulsum contrectare, tam levi brachio, ut vix duos ictus exspectent, quum tamen sæpenumero post decem demum vibrationes, inæqualitas vel intermissio percipiatur, maxime, quando sanguis inæqualiter mixtis partibus refertus cordis penetralia pertransit. Neque etiam sufficit, pulsum in uno tantum carpo tangere, sed in utroque id faciendum, quin in collo quoque & temporibus; eo quod experientia testatur, discrepare sæpius pulsum in manuum carpis, & in uno loco commodius, quam in altero explo- *Conclusio cum monitis.*

plorari. Quumque non minus multum interſit, ut pulſuum numerus atque celeritas exacte diſtinguatur ac determinetur; apprime ex uſu eſſe poterit ad normam horologio, quod minuta ſecunda indicat, ſingulos ictus accurate numerare ac definire.

CAPUT XIII.

De judicio ex ſanguinis inſpectione & examine recte eliciendo.

§. I.

In medicina judicio opus.

VIx ulla datur diſciplina, quæ tanto judicio opus habet, ac ipſa medica, ita prorſus, ut omne medici officium in recto, & ſano judicio conſiſtere videatur. Nam ad corporis ægrotantis naturam pernoſcendam, ad morbi genium, cauſſas ejus, progreſſum, ſucceſſum & eventum indagandum, ad congrua quoque remedia invenienda, eaque certo ordine & tempore applicanda, itemque ſi ad valetudinem tuendam, & morboſas varii generis, pro differenti corporum natura arcendas afflictiones, conſilium, quæ ſalubria, vel inſalubria ſint, promendum, exquiſito ſemper maxime opus eſt judicio. Hinc certe quo magis medicus perſpicaci judicio excellit, eo præſtantior merito habendus eſt. In nulla tamen medicinæ parte, ſi famam & exiſtimationem ſuam tueri velit artifex, tam caute & circumſpecte ſe gerere debet, & attentiori omnium circumſtantiarum penſitatione ac perita deliberatione ſua perficere, quam in ea, quæ ſemiotica dicitur, & in dignoſcendis morbis, eorumque ſucceſſu atque eventu prædicendo occupatur.

maxime in ſemioticis.

§. II.

Prognoſis optime ex ſanguinis circulo deſumitur.

Quemadmodum vero omnes prænotiones & prædictiones certis quibuſdam ſignis atque indiciis nituntur; ita prognoſis pariter medica nec hiſce eſt deſtituta. Certiſſima tamen ac optima ad rectam ac fidā prognoſin formandam ratio eſt, qua medicus ex eo fundamento, quo vita & integritas omnium actionum continetur, tanquam optimo criterio, judicandi rationes petit atque elicit. Jam vero omnium conſenſione, progreſſivus ille & vitalis ſanguinis & humorum, beneficio motus ſolidorum ſuccedens circulus, uti univerſæ medicinæ, ita etiam Semiotices principium eſt atque fundamentum. Ex quo quidem liquido primum pateſcit, pulſuum exactiorem doctrinam & rationalem explicationem, quam antecedenti capite perſequuti ſumus, medico ſcitu maximopere eſſe neceſſariam.

§. III.

Per pulſum & inſpectionem ſanguinis.

Quumque adeo ſanguis princeps ille humor ſit, a quo vita, ſeu conſervatio corporis noſtri vitalis & omnium functionum integritas, item ſecundum *Hippocratem* prudentia ipſius mentis dependet, & ſine quo anima nihil efficere poteſt: poſt pulſuum, ſive ſanguinis per cor & arterias motus diſquiſitionem, in quæſtionem merito cadit: annon ex ipſo ſanguine, ejuſque examine, & inſpectione, de integro vel morboſo corporis ſtatu indicia promi, & remedia quoque, quæ utilia, vel noxia, deſumi queant? Vulgus quidem ea in opinione verſatur, & a medico æque ac Chirurgo quam maxime urget, ut ex ſanguine e vena miſſo, de ſtatu ſanitatis vel morbi, judicium proferat. Neque deſunt medici, qui multa & mira ex inſpecto ſanguine hariolantur, quo morbo nempe æger laboret, quæ cauſſa morbi ſit, & quibus remediis ad ſanguinem emendandum utendum. At vero utut non penitus hanc doctrinam repudiare aut rejicere velimus; multis tamen eam difficultatibus laborare, & admodum infidam eſſe, non ſine ratione profitemur.

quæ tamè fallax.

§. IV.

Quia ſanguinis bonitas

Videlicet nondum res inter medicos confecta eſt, quinam optimus habendus ſit ſanguis, dum alii tenuem, fluidum

non evicta & in omnibus una.

fluidum & rubicundum, alii talem, qui mox poſt emiſſionem in gelatinam rubram concreſcit, quidam, qui coagulum craſſum in fundum deponit, & fluidam in ſuperficie mediocrem ſeri quantitatem monſtrat, pro optimo agnoſcunt. Quiſquis vero optimus ſit, illud tamen certum, vitalem hunc purpureum liquorem ratione ætatis, ratione victus & vitæ generis, ratione regionum & anni temporum, etiam in ſanitatis ſtatu magnopere variare, adeoque univerſali normę penitus non eſſe locum. Deinceps corpora, quæ ingro & gelatinoſo nitide rubicundo gaudent ſanguine, ut ſunt ſanguineæ complexionis hominibus, multis & gravibus ſæpe morbis attentari, non facile quiſpiam peritus medicus negabit, multo minus ii, qui ſanguinis abundantiam pro frequentiſſima morborum cauſſa æſtimant, dubitabunt.

§. V.

Sanguis aſpectu ſæpe malus in ſanis & vice verſa.

Tum etiam hoc per experientiam curioſiorem obſcurum eſſe nequit, ſub ſanguine, qui aſpectu pravus videtur, nihil tamen incommodi percipi; & viciſſim optimum quoad ſenſum ſanguinem, ex ægro & graviter decumbente corpore extrahi. Notatu hanc in rem digna ſunt, quę prodidit *Ballonius obſ.* 2. *Ephemerid. pag.* 91. dum ait: *plurimis impurus ſanguis detractus, quibus mortuis & ſectis, partes integræ deprehenſæ; aliis purus, quibus viſcera & pulmones putres ſunt inventi, & formoſiſſimis mulieribus ſemper fere impurus detrahitur.* Idem teſtatur *Mauritius Hoffmannus in inſtit. diſſ.* 7. *impurus*, inquiens, *ſanguis, ſæpe præ puro vitam diutius promovet, & in quibuſdam corporibus optimus ad ſenſum peſſimus eſt.* Ego quoque ſæpius obſervavi, in ſcorbuticis, hecticis, ſanguinem eleganter rubicundum ac fluidum emitti, in ſanis vero & robuſtis corporibus, denſum, glutinoſum, nigrum & facile coagulabilem. Inprimis Weſtphali, qui duriori & falſo victu cum pane groſſiori utuntur, citra incommodum quoddam, multo minus morbum, ſanguinē valde denſum alunt, & qui crebrius, ſi refrigeſcit, in ſuperficie ſerum inſtar glutinis concreſcens & variegatum exhibet. In apoplecticis pariter, paralyticis, item morbis ſpaſmodicis, convulſivis, ſæpe optimum ratione coloris & conſiſtentiæ deprehendi ſanguinem. Quin vidi, ex arteriolis in virulento carcinomate diſruptis, ſanguinem fluidum & nitide rubicundum ſtillaſſe, qui exterius nihil plane vitii habuit.

§. VI.

Et tum demum nocet,

Fallax itaque atque infidum omne judicium, quod ex ſola ſanguinis inſpectione arceſſitur; unde etiā procul dubio factum, quod antiquiſſimi artis noſtræ antiſtites, *Hippocrates & Galenus*, qui omnes ſanguinē ceu vitæ theſaurum agnoverunt, de judicio in morbis ex ejus aſpectu ferendo parum admodū prodiderint. Sane ſanguis, etiā ſi vitioſus, quamdiu promte & expedite per corporis meatus movetur, non facile lædit; & optimus contra, ſi vel ſtagnat, vel firmiter impactus hæret, aut extra vaſa effunditur, non modo morbi, ſed & ipſius interitus cauſſa fit. Nam qui morborum & ſymptomatum genealogiam probe callet, is facile perſpiciet, eorum originem, non tam a craſi vitiata fluidorum, quam potius a vitio ſolidorum, vitio loci maxime & motus, eſſe arceſſendam. Optimæ certe notæ ſanguinis portio, quando vaſis elabitur, putreſcit, & funeſta excitat ſymptomata, in cerebro apoplexiam, febrem, convulſionem epilepticam, & lege conſenſionis vomitum in ventriculo; intra cavitatem thoracis, vel abdominis paullo majori quantitate effuſus, in fœdam & lethalem abit putredinem. Si vaſis adhuc contentus cruor membranis cerebri firmius impactus hæret, phrenitidem, in tunicis ventriculi & inteſtinorum funeſtam inflammationem, in ſphacelum abeuntem, ciet. In cordis thalamis & vaſis majoribus, ubi congrumatus hæret, ſyncopen vel ſubitam mortem producit. In ſubſtantia muſculorum

quando extravaſatur.

aut ſubſiſtit.

quum

quum firmam concipit stasin & in motu progressivo sistitur, in sphacelum, sive mortiferam concedit putrilaginē.

§. VII.

Multique morbi sine vitio sānguinis accidunt.

Neque ullum amplius præterire poterit, viscerum a sanguine vel sero infartum, obstructionem & indurationem, gravissimas chronicas passiones, cachexiam, hydropem, hecticam ingignere, in quibus sæpe sanguis e vena missus vitio carere videtur. Et sicuti venenum datum exigua mole, sanum, & qui integrum sanguinem habet, cito necare valet; ita etiam miasma in peste & aliis contagiosis morbis, vel materia in podagra, arthritide, & scabie retropulsa, sævis spasmis, citra vitium in sanguine, homines perimit. Quin, licet pluribus nostro tempore solenne sit, in affectibus chronicis spasmodicis, qui in viris mali hypochondriaci, in sequiori sexu hysterici nomine veniunt, sanguinis spissitudinem ceu caussam accusare; nihilominus tamen sanguinem hoc morbo affectis e vena consistentia & calore bonum ac laudabilem detrahi, crebriori experientia convincimur. Nam spasmi tā universales, uti sunt febriles, quam certarum partium, gravissimorum symptomatum auctores quidem sunt; rarius tamen a denso & crasso sanguine, sed potius ab ejus copia, nimia expansione, vel etiam subtili in eo latente acrimonia, exsuscitantur.

§. VIII.

Utilis tamen sanguinis aspectus & exploratio.

Quamvis autem ex sanguinis aspectu præsagium admodum fallax & plurimi morbi ex eodem plane non deduci queant: ejus tamen inspectio & paullo curatius examen non plane usu caret, qui vero plus ad præscindendos, quam ad sanandos morbos pertinet. Placuit mihi quam maxime hanc in rem insignis locus *Celsi lib. 2. c. 10.* ita differentis: *e vena sanguis cum erumpit, colorem ejus habitumque oportet attendere. Nam si is crassus & niger est, vitiosus est, ideoque utiliter effunditur. Si rubet & pellucet, integer est, eaque missio sanguinis adeo non prodest, ut ea noceat, protinusque est supprimendus:* Gravis hic auctor sanguinem tenuem & rubentem, integrum, crassum vero & nigrum, vitiosum pronunciat; quod licet non sit perpetuum, magni tamen hoc monitum in administranda venæ sectione usus est. Nam quum ejusmodi crassus, niger, & mox in coagulum abiens sanguis, ægre admodum per minima & capillaria partium vascula cursum absolvat; facile ibi hæret, & obstructiones, quæ fœcundæ chronicarū passionum matres sunt, excitat. Vel si quando ejusmodi sanguis, fortiori corporis aut animi commotione, aut intenso frigore, aut etiam propter dolorificas & spasmodicas internarum partium contractiones, vi & impetu quodam in vascula, quæ secundum naturam non sanguinem, sed tenuiorem lymphaticum humorem vehunt, truditur, ibi quam facile firmius impactus hæret, & graves ac funestas inflammationes conciliat. Id quod etiam quotidiana fere docet experientia, dum in pleuritide vera, peripneumonia, semper fere sangui, cui serum instar glutinis tenax innatat, e vena emittitur. Igitur quam maxime salutare est, talem sanguinem ubi offenditur, ad pessima mala avertenda detrahere, quo reliquus deinde cruor eo melius subigi, circulari, & congruis eum in finem adhibitis alcalinis, volatilibus, diluentibus, aqueis, aquis salubribus attenuari & subtilisari possit.

§. IX.

Sanguis floridus nimis vitiosus.

Sanguis vero nimis tenuis, floridus, coccinei coloris, non semper boni quippiam præsagit, præsertim si sero sit destitutus, & in fundo nullum obscuri coloris coagulum ponat. Nam talis color vel a salibus largiter admixtis alcalinis, in arthriticis & scorbuticis gignitur, vel nimium intestinum calidum motum arguit, ut in lentis & hecticis febribus, vel etiam partium sulphurearum exuberantem copiam, a liberaliori vini & aromatum usu, præsertim in cholericæ constitutionis hominibus,

nibus, ſubindicat. Nonnunquam tam tenuis ac floridus ſanguis obſervatur, quando viſcera, inprimis ſanguineæ, craſſiore cruore infarcta ſunt, quandoque etiam a ſpaſmodicis convulſivis partium internarum motionibus, qualem nos ſæpius in ejuſmodi ſpaſticis & convulſivis motibus vidimus. Hac igitur conſiſtentia & colore præditus ſanguis, pro diverſitate cauſſarum, quibus ortum debet, magis vitioſam qualitatem corrigentia, ut gelatinoſa, mucilaginoſa, nutrientia, acrimoniam tenuem ſalino-ſulphuream contemperantia, vel etiam acidula, calorem exſtinguentia & ſedativa, quam evacuationem & imminutionem deſiderat. Digna eſt, quæ hic inſeratur *Paullini* obſervatio in *M. N. C. Dec. 2. Ann. 6. obſ. 64.* de juvene febre maligna correpto, cui ſanguis e vena miſſus, valde roſeus elegantiſſimi coloris, ſed ſero maxime deſtitutus, ſubſequente morte. Et nos ſæpius annotavimus, motus & inſultus epilepticos alioſque ſpaſmodicos morbos, evacuato tali ſanguine fuiſſe exacerbatos. Unde utique *Celſi* præceptum, quod raro, præſertim copioſe, ejuſmodi ſanguis mittendus ſit, exquiſita nititur veritate.

§. X.

Quid indicet ſeroſus nimis.

Porro vitioſus merito is cenſendus eſt ſanguis, qui ſero nimium redundat, & exiguam maſſæ rubicundæ portionem in complexu fovet, eo quod læſam ſanguificationem & parciorem perſpirationem, imminutum quoque urinæ fluxum prodit, ac utique cacheziam & tumores œdematoſos hydropicos minatur. Quando ſerum intenſo flavo colore tinctum eſt, ut linteamina inficiat, biliosa recrementa, aut minus a ſanguinis connubio ſegregari, aut propter obſtructos biliarios ductus a lymphaticis vaſis reſorberi, indicio eſt. In ſcorbuto, ſcabie, cachexia & menſium ſuppreſſione, ſerum plerumque variegatum, lividum atque cæruleum colorem monſtrat, plus minus turbidum vel albicans, vel tunica ſpiſſa, lactea candeſcente obductum eſt, & in ipſo coagulo ſubſidente grumi & color niger cum bruno intermixto comparent. Si in lue venerea & ſcorbuto conſummato ſanguis emittitur, ſerum utplurimum ſupernatat copioſum, limoſum ac turbidum. In febribus ardentibus parum ſeri dimittit, ac ut ſæpe ſpectavi, color eſt coccineus cum magna ſpuma. In variolis, morbillis, item acutis & continuis febribus, ſanguis fluidiſſimus comparet, plane non in coagulum concreſcens; eo quod vehementi illa inteſtina calida motione omnis gelatinoſa ſubſtantia abſumitur, & ſalinum principium quaſi in alcali convertitur, quod omne coagulum arcet. Confirmat hoc *Wepferus in hiſtor. apoplect. 16. in ſchol.* fidem faciens, ſe ſanguinem in cordis ventriculis & vaſis majoribus fluidum, nec poſt obitum grumeſcentem, in cadaveribus febre continua defunctorum reperiſſe.

ſero flavo.

livido.

& limoſo imbutus.

ac non concrescens.

§. XI.

De ſanguinis examine per ponderationem.

Et hæc ſunt potiora, quæ ex ſanguinis aſpectu probabili conjectura præſagire licet; quæ tamen ita ſunt comparata, ut neutiquam univerſalia ſint, ſed pro circumſtantiarum & individuorum ratione diſcrepent. Jam etiam de diverſis modis ſanguinem humanum examinandi nonnulla adjicienda. Sunt hi varii, & primo quidem is, quo ejus gravitas ſpecifica reſpectu aquæ ſimplicis exploratur. Perficitur hoc inſtrumento ſtatico, quo ego etiam urinam, lac, ſalſos, & medicatos fontes, ponderare ſoleo. Tum quidem immiſſa, ſanguini oblongo vitro excepto, lance patet, ejus libram, tantundem aquæ pluvialis, unius & dimidiæ tantum unciæ pondere, ſpecifica ſuperare gravitate. Alter ſanguinem examini ſubjiciendi modus eſt, quo proportio ſolidi & fluidi indagatur, quando nimirum calori exponitur, quo ſicceſcat & in pulverem fatiſcat, quo, uti ſuperius meminimus, conſtat, tres fluidæ ſubſtantiæ partes, & unam ſolidæ, in ſanguine ſani hominis contineri.

Et exſiccatione

§. XII.

Sanguis de quo judicandum in patinam

Porro solenne mihi est, si judicium de sanguine ferendum, ut jubeam, quo portio ejus, sive e vena brachii, sive pedis, educatur, in patinam, & alia in aquam immittatur. Is enim, qui in patellam effusus, copiam & coagulum sanguinis ac seri exhibet, simulque affusis variis liquoribus chymicis tentari potest. Tum quippe conspicere licet, quam promte a spiritu acido, salis nempe vel vitrioli, coagulum subeat, qualis consistentia admixto saturato corticicis chinæ decocto, eidem inducatur; tum quoque jucundo comparet spectaculo, ab affusis liquoribus alcalinis, fixis & volatilibus, cruorem fluiditatem recipere & rubedinem ejus mirum intendi, quum contra instillata aqua forti, serum lactescente, & cruor gryseo colore, inficiatur. Pariter sæpius experimentum cepi, & nitri pulverem, vel potius ejus solutionem, sanguini addidi, ac eundem inde semper fluidiorem redditum & coccineo colore imbutum vidi, ut hinc satis mirari nequeam paradoxon assertum, quod in clarissimorum virorum scriptis, qui nitri virtutem in morbis summis concelebrant encomiis, me aliquoties legisse memini, sanguinem scilicet a nitro inspissari potius & coagulari.

§. XIII.

Et aquæ mittendus.

Ex illa vero portione, quæ in aquam profiliit, varie sanguinis & seri substantiæ optime cognoscuntur. Nimirum pars sulphurea, quæ matrix coloris est, aquam rubedine inficit, & hac ex tinctura, prout magis vel minus saturata est, copia sulphuris, aut tenujoris, aut crassioris, recte colligitur; ubi tamen notandum, quod quo diutius aqua sanguinolenta in libero aere stet, eo magis color austerus ac brunus reddatur. Deinde hac etiam ratione non solum in conspectum veniunt partes nutribiles chylosæ, quæ instar flocculorum fundum petere solent, sed sæpius etiam ingens portio gelatinæ, ut manibus eximi possit, quod sæpius conspexi in plethoricis sanguineę complexionis, præsertim fœminis spongiosi habitus, quibus labor, abstinentia a largiori & lauto cibo, potissimum in cœna, maximo est præsidio. Denique hoc modo commode indagari potest, num sanguis sit fibrosus? hoc est, multis filamentis & quasi fibris carneis refertus, quę mutuo coeunt, & in superficie sparsę hęrent. Talem sępe vidi in epilepsia, palpitatione cordis, & anxia pectoris oppressione laborantibus, & certum polypi, vel præsentis, vel futuri, præbet indicium. Qui ut corrigatur & noxa arceatur, sæpe sæpius insigni cum emolumento crebriorem usum medicatorum fontium, præsertim Selteranorum, qui purum alcali vehunt, suasi, interdicendo penitus potum frigidum, spirituosum, crassum & acidum, & injungendo potum dilutum largum, cum motu & exercitio corporis.

§. XIV.

Idem sanguis sacrificatione ac ejus extractum.

Ultimo loco dum de sanguine educto sermo est, subjungenda adhuc quædam sunt de vulgari illa, sed erronea sententia, ac si sanguis, sub scarificatione per cucurbitulas extractus, longe tenuior ac fluxilior sit eo, qui e vena brachii vel pedis mittitur. Ego certe sæpius periculum feci, & sanguinem scarificando evocatum siccavi, ac deprehendi, tres pariter tantum fluidi partes aufugisse, & quartam restitasse solidam, modo cautio adhibeatur, ne dum spongia madida sanguis abstergitur & cucurbitulæ eluuntur, aqua cruori admisceatur. Et sane quum unus idemque sanguis per minima & magna vasa feratur, incisis quoque minoribus in cute, idem consistentia & indole, quam qui majoribus effluat, necesse est. Porro etiam non levis sed crassus error est, quem Chirurgi, ut imperitiam velent, de industria sæpe admittunt, dum, si vena pedis minus rite pertusa sanguis non effluit, cruorem crassum, qui incisionem obstruat, incusant, quum tamen is per exilissimos & capillares innumeros in corpore canales transire

Nec crassus effluxum impedit.

possit

poſſit. Et licet non inficiandum, a terrore quandoque, præſertim in pedibus, cutem conſtringi, & fluxum quodammodo retineri poſſe; remittente tamen ſtrictura, ſanguis poſtea liberaliter manat, operatione autem ſiniſtre adminiſtrata, plane non effluit.

§. XV.

Concluſ. Et hæc de judicio ex ſanguine brevibus dixiſſe ſufficiat; quæ tamen, quum non ex ſpecioſe incruſtatis fictionibus, quas in arte noſtra quam maxime deteſtor, ſed attenta, ſincera atq; multiplici experientia ſcripta ſit; eximio uſui fore iis, qui in artis operibus dextre ac perite verſari nituntur, certiſſime confido. Sæpius autem cum tædio profecto conſpicio, in libris ſic dictis practicis & ſemioticis, citra experientiam, dogmata proferri, quæ veritati minus ſunt conſentanea, atque ex luxuriante imaginatione, vel minimum poſſibili ſpeculatione, fluunt, quaſi vero omnes morbi ex ſanguinis inſpectione cognoſci & curandi indicationes inde elici queant.

CAPUT XIV.

De judicio in morbis ex urina aliiſque excretis rite ferendo.

§. I.

Excreta quoque indicia medico præbent.

QUum vitalis corporis noſtri conſervatio & omnium ejus functionum integritas, non modo in perenni ſanguinis & humorum circuitu conſiſtat, ſed & maxima ex parte a debito excretionum ſucceſſu dependeat; Medicus utique non tantum ex pulſu, qui genuinus circulationis index eſt, atque etiam ex ipſius ſanguinis aſpectu & ſubtiliori indagine, verum etiam ex iis, quæ quotidie per varia emunctoria foras e corpore ſecedunt & evacuantur, ſtatus tum ſani & ordinati, tum morboſi & præternaturalis, ſigna & indicia petere, atque ex iſtis judicia ac prædictiones formare debet.

§. II.

Inprimis urina. Utut autem multa, & varia, e corpore ad tuendam valetudinem proſcribantur; nullum tamen eſt, quod magis ſenſibus manifeſtum & commodius aſpici & tractari poſſit, quam urina. Quo etiam factum eſt, ut ab antiquiſſimis artis noſtræ auctoribus, *Hippocrate* præſertim & *Galeno*, nulla in ſemioticis doctrina tam cumulate & diffuſe in relictis monumentis excuſſa deprehendatur, ac ea, quæ de urina & petendis ex ea ſignis, quibus ſanitas & periculum prædici poſſit, tractat. Quin non modo plebem, ſed & alios non indoctos, conſtans tenuit opinio, ex ſolius urinę inſpectione, univerſum corporis & ejus partium internũ ſtatum ejuſque integritatem, vel vitia, quam optime cognoſci poſſe ac detegi; qua erronea credulitate, plures ex idiotis & lucripetis medicaſtris, ad decipiendum miſerum & ad judicandum ineptum vulgus, hodiernum peſſime abuti ſolent. Quia autem multa in medicorum, tum antiquorum, tum recentiorum, monumentis tradita proſtant, quæ veritati & experientiæ minus reſpondent, ratione & fundamento carent, neque intelligi aut explicari poſſunt, plura quoque ad urinam, tam ſani, quam ægroti hominis, penitius cognoſcendam deficiunt: utiliſſimum fore duxi, ſi hoc argumentum, in praxi ſcitu neceſſarium, paullo curioſiori indagine perquirerem, hanc de urina doctrinam in meliorem & rationalem ordinem redigerem, a confuſione & obſcuritate liberarem, atque adeo eam magis intelligibilem & explicabilem efficerem.

§. III.

Urina ſuperat omnes excretiones. Prius vero quam ad præternaturalem urinæ in morbo affectis conſtitutionem atque naturam indagandam accedamus; e re fore exiſtimo, ut urinam ſani hominis, quoad ſuam eſſentiam, elementa, originem & quantitatem, curatiori examini ſubjiciam. Primo igitur ſciendum eſt, ejus originem & materiam ab aſſumtis potiſſimum

simum liquidis esse repetendam, quæ quo majori copia hauriuntur, eo plus lotii reddi perpetuæ est experientiæ. Deinde & hoc observatu dignum, quantitatem urinæ, in nostris præsertim regionibus, reliquorum, quæ perspiratione, alvo, aliisque egestionibus educuntur, quantitatem & pondus excedere. Nam licet secundum *Sanctorii* calculum & assertum, communis fere usque eo invaluerit opinio, materiam, quæ diffiatione perpetua e cute exit, reliqua omnia excrementa copia superare, atque etiam in Italia & locis præcalidis id fieri non negandum sit; accuratiori tamen, a me etiam instituto examine, in nostris his frigidioribus ad septentrionem magis vergentibus oris, hoc non ita contingere patet. Notavit idem quoque *Jacobus Keil in tentamin. physico-med. pag.* 173. qui multa experimenta statica eum in finem adornavit, ac deprehendit, urinam unius diei, vel viginti quatuor horarum, esse duarum librarum & unciarum fere sex; perspirationis autem quotidianæ pondus tantum ad uncias triginta plus una assurgere, & quod per alvum excernitur in uno die, esse communiter ponderis unciarum quinque.

§. IV.

Experimenta instituta. Ego veritatis cupidus, quæ non ita pridem in proprio corpore eum in finem feci experimenta & quid observarim, fideliter communicabo, quæ certe non sine usu & fructu erunt. Per duos nempe hebdomades diebus singulis certam potus & ciborum portionem assumsi, & exeuntem postea urinam ponderavi. Videlicet cerevisiæ Lœbejunensis tenujoris, cujus libra teste hydrometere drachmas 5. & dimidiam solidæ materiæ continet, duas quotidie mensuras, quæ minimum quatuor civilium librarum pondus æquant, bibi; deinde mane decocti coffee 5. pocula, quorum unumquodque duas capit uncias, adeoque decem uncias sorbillavi; juscolorum porro in prandio & cœna, decem circiter, & vini Hungarici in prandio quinque assumsi uncias; quibus demum accedunt unciæ circiter sex liquidi cum solidis cibis apparatis ingesti: ut adeo subducto calculo, sex minimum liquorum libras corpus quotidie subjisse pateat. Solidorum autem, panis nempe, carnium & obsoniorum pondus, quotidie non facile libram excessit. His ita assumtis, urina interdiu & noctu emissa ad libras quatuor, interdum aliquot uncias plus, interdum minus, accessit. Alvi excrementa, aspectu judice, non facile octo unciarum pondus excesserunt. Adeoque quum ex septem ingestorum libris, per urinam & alvum circiter libræ quatuor & unciæ duodecim fecesserint, supereſt pondus librarum duarum cum quatuor unciis, quod corpore non graviori interea facto, per cutis spiracula, halitum oris, mucum narium, faucium & salivam, procul dubio rejectum.

§. V.

Observata tali varie posse. Hæc per aliquot hebdomades capta tentamina, & eadem quotidie fere a me observata, quum in eodem vitæ genere & corporis agilitate mense Decembri domi me continerem: neque tamen dubium est, quin in aliis, pro diversitate temperamentorum, motus & exercitationis, anni etiam temporum, pro diversa quoque qualitate & indole assumtorum, variare possint, adeo, ut vel perspiratio auctior urinæ quantitatem minuat, vel alvus etiam solutior reliquas omnes excretiones modificet. Id vero minimum in genere valde vero simile, nostris in regionibus, nisi extraordinariæ aliæ causæ externæ accedant, urinæ copiam in sanis quantitatem materiæ perspirantis superare.

§. VI.

De quantitate solidi in urina. Deinceps ad accuratiorem hujus doctrinæ notitiam pertinere etiam, ut medicus perspectum habeat, quantum solidæ materiæ in libra una lotii sanorum contineatur. Quemadmodum vero ad explorandam specificam gra-

gravitatem fluidorum, sive quantitatem solidi in fluido contentam, nihil aptius est, cylindri statici hunc in finem artificiose confecti usu; ita etiam medicus commodissime ejusmodi instrumento non modo ad contenta liquidorum, quæ ingeruntur, ut cerevisiæ, vini, aquarum & lactis, sed & urinæ, uti potest; de quo tamen nemo fere hactenus cogitavit. Altum enim de ponderatione urinę in scriptis medicis est silentium, ac de ejus quantitate, colore, sedimentis, item an turbida, vel pellucida sit, sermo duntaxat habetur; quum tamen nihil solidi deglutiamus, cujus partes non quotidie ex massa sanguinis secedant, & cum urina eliminentur: in quo etiam maxima in statu sano & præternaturali deprehenditur diversitas. In genere vero id perpetuæ observationis est, quod quo major est in corpore perspiratio & interior calor, quo minus fluidi aquei, quo plus potus spirituosi assumitur & corpus motu agitatur, eo gravior semper est urina, levior vicissim, si hæc dicta contraria sunt. Ego itaque per aliquot septimanas memorata victus ratione utens & tempore brumali domi degens, sanus ceterum & valens, emissam posteaquam surrexissem urinam ad lancem hydrometricam exegi, ac notavi, libram ejusdem minimum unciam dimidiam, interdum etiam drachmas quinque solidi, complecti, & facta aliquoties evaporatione, pariter ex libra dimidia drachmas duas, vel dimidiam adhuc, obtinui. Eandem quoque solidæ in urina substantiæ esse quantitatem notavit *Antonius de Heyde obs.* 89. qui ex urinæ unciis tribus per evaporationem drachmam unam materiæ siccæ eduxit.

Per ponderationem & exsiccationem cognoscenda.

§. VII.

Ut vero porro ad penitiorem & uberiorem materiæ ab evaporatione relictæ cognitionem pertingerem, complura institui curiosa experimenta, quæ hoc loco recensere haud abs res erit. I. Vel solus aspectus testatum facit, materiam ex urina restibilem, penitus differre ab ea, quæ exhalata cerevisia restitat: ex quo utique conficitur, liquidum quidem ex potu transire in urinam, sed non solidum, quod magis ortum suum ex humoribus interioribus vitalibus, sanguinis & seri massa, trahit. II. Massa post urinæ exhalationem relicta non facile ad siccitatem constantem deducitur, sed quantumvis arida in aere tamen liquescit, haud secus quam omnia salia neutra, quibus multæ particulæ oleosę sulphureæ admixtæ sunt, ut terra foliata tartari & salia vegetabilium essentialia. III. Drachmæ hujus cramatis affudi unciam unam spiritus vini rectificatissimi, qui prompte extraxit tincturam ex bruno rubicundam, saporis salsi paulisper amaricantis, relicto in fundo scrupulo minimum materiæ gryseæ spongiosioris terreæ, quæ nec aqua calida, nec spiritu amplius poterat dissolvi. IV. Essentiam sive potius tincturam hanc in cochleari argenteo admovi flammæ candelæ, & post evaporationem remansit instar mellaginis magma salso-amaricans, cui aliquot guttulas olei tartari per deliquium plenius saturati instillavi, & mox odor volatilis urinosus, instar salis ammoniaci, nares feriit. V. Eandem tincturam accendi, & deflagrato primum vini spiritu, postea flamma successit, plane alius coloris atque naturæ, instar ignis, qualis emergere solet, quando oleum destillatum in spiritu vini solvitur, & deflagratione instituta, post vini spiritū combustum, oleum ardet. VI. Partem magmatis ab evaporatione urinæ relicti miscui cum oleo tartari per deliquium, & penetrans, urinosus, volatilis fœtor mox difflatus est. VII. Ejusdem massæ nonnihil igne cremavi, & cineres relicti sunt nigri, qui saporem salis communis linguæ imprimebant. VIII. Cineribus his affudi quicquam aquæ, ut sal in se reciperet, & liquamen instillavi solutioni lunæ, unde facta præcipitatio. IX. Alii hu-

Experimenta cum residuo instituta.

jus reſidui portioni in vitro affudi oleum vitrioli, & vehemens facta eſt turgeſcentia & ebullitio, cum denſo & albo aſcendente vapore, odoris penetrantiſſimi, qualis ſolet emergere, quando oleum vitrioli admiſcetur ſali communi, vel ſali ammoniacali. Denique hiſce a me inſtitutis tentaminibus addere placet ea, quæ *Barchuyſen* adornavit, & *in pyroſophia* recenſet: unciæ nempe ſex urinæ ſani hominis, deſtillatione dederunt uncias quinque & drachmas ſex phlegmatis, reſidui in cucurbita ſcrupulos quinque & ſemis, ulterius igne rite tractati, ſalis volatilis drachmam ſemis, olei empyreumatici ſcrupulum ſemis, tantundem ſalis fixi & terræ grana octodecim præbuerunt.

§. VIII.

Urina elementū continet aqueum & ſalinum.

Ex hiſce commemoratis experimentis facillimum jam erit, genuina urinæ elementa eruere ac ſiſtere. Hæc inter primum & potiſſimum locum obtinet aqua, quam ex ingeſto maxime potu accipit, & cujus partes 30. ad unam partem ſolidi remixtę deprehenduntur. Poſt humidum urinæ principium commemorandum ſal, quod triplex in ea hoſpitatur, culinare nempe, acidum & volatile. Et culinare quidem cum alimentis ad maſſam ſanguinis tranſit, ac per renes, ceu congruum ſalium emunctorium, cum urinoſo ſero colatur. Quod vero ſal urinæ ad communis naturā accedat, ex eo pateſcit, quod non ſolum urina inſpiſſata cum aleo vitrioli ſpiritum & vaporem ſalis communis volatilem in auras emittat, ſed etiam lixivium ex cineribus combuſti reſidui cum aqua factum ſolutionem argenti præcipitem det, itemque per deſtillationem, quod ſæpius a me factum, ſal enixum culinari in omnibus quoad effectus ſimile, educi queat. Alterum in urinoſo latice comprehenſum ſal, eſt acidum, quod etiam per alimenta, quæ multum acidi fovent, in ipſius connubium tranſit. Hoc autem purum obtineri nequit, ſed partim cum particulis terreis alcalinis, partim cum tertia ſalis in urina ſpecie, volatili nempe urinoſo, quale in ſanguine largius hoſpitatur, ſeſe miſcet, & ſalis ammoniacalis genium habet. Hinc enim eſt, quod addito oleo tartari per deliquium, acidum figatur, & ſpiritus volatilis urinoſus avolet, cujus ortus non ex alimentis, ſed ex ipſius ſanguinis maſſa derivari debet.

§. IX.

Oleoſum ac terreſtre.

Accedit oleum, quod urina in complexu fovet, duplex iterum, temperata nempe pinguedo & oleum valde ſubtile calidum. Illa ex alimentis & chylo, quæ multum pinguis ſubſtantiæ complectuntur, ortum trahit, & ſi largius immixta, non modo innatat urinæ, ſed etiam matulæ parietibus adhæreſcit, uti ſæpius fit in nimio æſtu, qui pinguedinem colliquat; hoc vero valde tenue, evaporabile & inflammabile, ex inteſtina partium ſanguinis ſulphurearum agitatione gignitur, & in deſtillatione oleum empyreumaticum largitur, ac in tincturam redactum, poſt deflagrationem ſpiritus vini, inſtar olei ardet. Quod enim urina ex ſanguine recipiat particulas ſulphureas, calidas, oleoſas, ex eo patet, quia ab aſſumtis ſuaveolentibus oleoſis, ut oleo juniperi, ligni ſaſſafras, nucis moſchatæ, balſamo de capaiva, urina ſuaveolentem & quaſi violaceum odorem; inficetum vero ac fœtidum ab allio, balſamo ſulphuris, aſa fœtida acquirat. Quartum elementum eſt ipſa terra, quæ rurſus vel tenuis valde, vel craſſior & fixior eſt. Fixior & craſſior, cum alimentis, præſertim aqua, quæ ſemper multum calcareę fixæ terrę continet, corpus ſubit, ac præcipuum fundamentum tartari qui matulis accreſcit, nec non concretionibus calculoſis præbet, & inſtillato oleo vitrioli, efferveſcentiam ſuſcitat. Tenuior ſanguinis ſoboles eſt, & cum aqua & oleo pingui mixta, mucilaginem conſtituit, quæ inſtar nubeculæ deſcendentis oculis conſpicitur, vel etiam, ſi ejus major

quan-

quantitas, in fundum secedit, nec vini spiritu, nec vitrioli oleo, solvitur.

§. X.

Color urinæ unde? Color urinæ dependet maxime ab oleo calido subtili, quod, quo magis cum salibus miscetur, eo saturatior fit color; eo quod ea omnium salium natura, ut principium sulphureum, quod matrix coloris & odoris est, mirifice exaltando eum intendant. Et licet oleum & terra alias non bene & intime misceantur: fit tamen hoc in urina, tam cum neutro, quam alcalino volatili. Quumque adeo salinum elementum cum sulpure & oleo intime permixtum sit, patet ratio, quare illud a purissimo vini spiritu, qui consortium puri salis alias respuit, sulphure autem admixto amat, absorbeatur, haud secus ac videmus in tinctura sulphuris, scoriarum antimonii & antimonii acris, item quando spiritu vini rectificatissimo nitrum artificiale valde sulphureum, ex aqua forti & sale ammoniaco, plene solvitur.

§. XI.

Urina jumentorum differt. Et hæc omnia ita observantur in urina humana; dispar autem urinæ jumentorum est ratio. Ita non semel evaporari jussi urinam vaccinam, quæ reliquit magma valde salinum flavum, amaricantis saporis, cui infudi spiritum vini purissimum, & extraxi tincturam flavam, instar bilis amarissimam, eoque facto, remansit sal, cui affudi aquam pluvialem, & solutionem filtratam rursus coagulavi, ita obtinui sal tartariforme neutrum, instar salis plantarum essentialis, quod originem suam ducit ex ipsis herbis, quibus vescuntur, nullum vero vestigium fuit salis communis. Ex quo etiam apparet ratio, quare urina vaccina tempore verno collecta & interius ad aliquot hebdomades, quotidie ad majorem quantitatem ascendendo, pota, sæpius, uti aliquoties Berolini maxime apud Gallos vidi, mirum effectum in affectibus chronicis, maxime cachecticis, ictero, principio hydropis & mensium suppressione, præstiterit. Discimus etiam exinde, partes in urina sulphureas multum affinitatis habere cum iis, quæ in bile continetur.

§. XII.

Præsagia ex urina tenui aquosa. In conspectum sic ductis genuinis urinæ humanæ in statu sano elementis, faciliori nunc & leviori modo in phœnomenorum, quæ in lotio ægrotantium subinde præsto sunt, meliorem explicationem & notitiam, unde proveniant, & quas causas agnoscant, pervenire poterimus. In quo quidem perficiendo, ordinis & brevitatis caussa, observationes, quas in praxi subinde per crebriorem experientiam annotavi, & quæ regulæ vim habere possunt, proponam, & rationes postea subjiciam. Et primum quod attinet ad urinas pondere leves, consistentia tenues, instar aquæ sæpe pellucidas, eas quam maxime in gravioribus internarum & membranosarum partium spasmis, pathematibus hysterici, hypochondriacis atrocibus, in cardialgia, affectione calculosa, nephritica, convulsiva, apparere, crebriori edocti sumus experientia. Pariter in gravioribus capitis morbis, ejus nempe doloribus, in vertigine, phrenitide, mania, melancholia, epilepsia, valde tenues & leves emitti urinas, idemtidem perpetuæ est observationis. Idem contingit in gravioribus nervosarum partium affectionibus, quæ a caustico veneno, vel a vermibus tunicas intestinorum rodentibus, in convulsionibus concitantur. Et quod probe notandum est, tenues & aquosæ ejusmodi urinæ non modo in ipso statu & exacerbatione horum morborum prodeunt, sed & aliquot dies ante, ac paroxysmos imminentes nunciant. Unde non mirum est, quendam apud *Tulpium lib. 2. obs. 19.* ex tenui lotio, triduo ante præsagire potuisse cordis palpitationem.

§. XIII.

Tenues quoque, aquosæ & perpe-

Quid portendas in febribus.

tuo albæ ejusmodi urinæ in diuturnis morbis difficulter judicant & securæ non sunt; in vigore autem febrium si copiosæ fluunt, & ante dies criticos, multum alunt periculi, & phrenitidem imminentem præsagiunt, teste jam *Hippocrate sect. 2. aph. 22. sect. 4. aph. 70.* qui *lib. epid. sect. 2.* id confirmat exemplo ægri, qui secundo die surdus, circa meridiem deliravit & quinto die mortuus est, & alius *sect. 3. ibid.* qui quarto die obiit phreniticus. Idem auctor sæpenumero etiam observavit, easdem urinas, si in inflammationibus gravioribus internis, uteri, pulmonum, ventriculi comparent, nunquam periculi esse expertes, præsertim si creber stimulus sit ad matulam, & copiosissimæ ac tenues reddantur. Nam dilutæ ejusmodi aquosæ, pondere leves, omnis sedimenti expertes, & quæ pauxillum solidi habent urinæ, a nimium per spasticas strictura coarctatis & angustatis ductibus renum secretoriis & excretoriis proveniunt, & luculentum totius generis nervosi spasmis affecti testimonium ferunt, quum lege consortii & consensionis, renes etiam & ductus urinosi simul compatiantur. Albæ autem prodeunt & pellucidæ hanc maxime ob causam, quod strictiores tubuli, plerumque nonnisi id, quod valde tenue est, & diametro canaliculorum respondet, admittunt, unde crassæ & sulphureæ moleculæ remanent. Et copiosæ utplurimum profluunt, quia in affectibus spasmodicis, ob tubulos subcutaneos constrictos, parum humidi perspirat, sed ad renes eo copiosius fertur, ac urinæ insinuatur. Quod vero in acutis morbis ejusmodi tenues & aquosæ urinæ inflammationem, vel jam præsentem, vel certo futuram, in ventriculo aut capite, subindicent, hæc subest ratio: quia ob spasticas strictura, sanguinis impetus urgetur ad interiora ac superiora, quo fit, ut is in tunicis cerebri & ventriculi, præsertim viribus jam fractis, firmius impactus subsistat & inflammationes præcipitis periculi pariat.

Debetur spasmis.

§. XIV.

Monendum tamen est, quod tenues, aqueæ, plus minus turbidæ urinæ, non semper a spasmis ortum trahant, sed aliam etiam agnoscant causam, & vel vires valde fractas, vel partium sulphurearum in sanguine, a quibus & eorum motu calor & spirituascentia dependet, defectum, vel vim ventriculi digestricem imbecillem, vel etiam sanguificationem læsam & copiam cruditatum, tam in primis viis, quam massa sanguineæ admixtarum, prodant. Quare qui novissime a morbo diuturniori convaluerunt, v. c. a dysenteria, a febre acuta exanthematica, morbo Hungarico, variolis, si nimium præsertim indulgent appetentiæ, ex defectu caloris & spirituascentiæ in fluidis, facile multas colligunt cruditates aqueas, quæ quum minus commode per cutem diffari possint, subsistunt, intus remanent & per urinam secedunt. Et hæc utique est ratio, quod etiam in cachexia, leucophlegmatia, enormibus hæmorrhagiis, in principio anasarcæ, in chlorosi virginum, in mensium suppressione, tales urinæ crudæ, turbidæ, pallidi, subviridis, vel tenuis citrini coloris, copiose mingantur. Notavit hoc jam *Hippocrates*, qui ejusmodi urinas tenues & aqueas splenetica appellat, quia in iis, quibus facies coloris luridi est, & lien laborat, observantur. In fluore quoque mulierum albo, qui soboles utplurimum cachexiæ & mensium suppressorum, plerumque urina pallida & turbida, quandoque cum sedimento squamarum instar visitur.

Aliisque causis.

§. XV.

Porro in omni calore præter naturam aucto & æstu febrili, urinæ pauciores & coloratiores, flavo & rubro colore plus minus saturato tinctæ, profluunt, eo quod internus accensus calor, partes sanguinis sulphureas, a quibus color, valde exaltat, auget &

Urinæ rufæ sine sedimento unde?

& humidum insensibiliter consumit ac dissipat. Tales urinæ febricitantiũ plus minus rubicundæ, vel tenues, vel leves, vel crassę & pondere graves, tam in intermittentibus, quam etiã continuis, manant. Scilicet ipso in paroxysmo, sive motuum febrilium, & intermittentium, & continuarum, exacerbatione atque vigore, urinæ redduntur tenues, perspicuæ, sine sedimento, uti obvium est in tertianæ continuæ aut intermittentis paroxysmo, in ardente, item cholerica febre, ubi ordinario urinæ pellucidæ, sed flammeo colore, qualis in destillatione spiritus nitri apparet, tinctæ conspiciuntur. In intermittentibus vero, aliquot horis post intermissionem & die a febre vacuo crassiores secedunt, & quam facile, si quiescunt, vel levi tantum frigori exponuntur, sedimentum dimittunt, quod etiam si fit in febribus continuis, circa dies præsertim criticos, febrem solutam & salutem portendit.

Post paroxysmũ subsident.

§. XVI.

Sedimẽtũ quid indicet?

Hoc sedimentum, pro copia, diversa conditione ac temperie partium in sanguine, parcius vel copiosius, & differentis quoque coloris esse solet. Si color est roseus & purpureus, sanguinis copiam peccare, uti obvium in febribus synochis sive continentibus, indicio est. Quando sedimentum intense flavum, bilem, fusci autem coloris & atri, copiam bilis atræ, sive secundum Recentiorum explicandi modum, copiosas sulphureas calidas particulas, acido-terreis intime per calorem immixtas, designat, quale in febre scorbutica purpurata, in quartana etiam, minus fausti est ominis. Si id quod subsidet admodum copiosum, magnam viscidorum & crudorum humorum copiam in corpore prodit, atque in corporibus repletis, obesis, spongiosioris habitus, febris intermittentis pertinaciam portendit. Et recte hinc scribit *Galenus*; *l. 5. de cris. c. 12. qui exotio & repletione febricitant, si sanitati restitui debent, necessario in urina subsidet.*

§. XVII.

Si nullũ sedimentũ malum omen.

Quemadmodum vero boni ominis signum, si urinæ febricitantium crassiores fiunt & sedimentum ponunt: ita contra quæ in febribus intermittentibus extra paroxysmum nullam exhibent subsidentiam & pellucidę diu stillant, nec frigoris accessu in fundum quid dejiciunt, pejoris sunt notæ. In primis crebriori experientia compertum habeo, quando in tertiana vel quartana febre, finito paroxysmo, urina non turbatur & crassamentum rejicit, pessimi esse præsagii, præsertim si ab imperitis medicis improvide tractetur iis remediis, quæ motus febriles intempestive supprimunt, & sufflaminant. Non semel enim, sed aliquoties hac ratione in pueris ingruente paroxysmo lethalem epilepticum insultum accessisse vidi: senes autem non facile convalescunt, sed demum viribus fractis, sub frigore & spasmis, nullo succedente calore intereunt. Quod si porro in febribus inflammatoriis, pleuritide, peripneumonia, inflammatione ventriculi, mesenterii, uteri, urina vel tenuis perspicua & purpurei coloris, vel bruno & austero colore imbuta exit, cum spuma, sine omni sedimento, non faustum præbet signum. Antiquissimum hanc in rem *Hippocratis* est testimonium *prænot. §. XI.* ita differentis: *si in febribus urina fulva est, & tenuis, materiam incoctam significat, si vero diuturna fuerit talis, periculum est, ut homo sustinere possit, nisi concocta fuerit.* Pariter id etiam perpetuum est, turbidam in febre continua urinam, quę nec igne, nec quiete clarescit, aut sedimentum ponit, multũ periculi minari: malum tamen etiam est indicium, quando in continuis urinæ primis diebus crassescũt, reliquis vero & maxime criticis, tenues & sine sedimento manant.

§. XVIII.

Cur sit malum?

Ratio vero quare in febribus æstuosis urinæ claræ tam anticipitis & periculi

culi pleni ominis, contra, quæ multum coctæ materiæ deponunt in fundum, salutiferæ putentur, in procinctu est. Nam tenues ejusmodi, & rufæ urinæ magnum æstum & vehementem partium internam agitationem, simul etiam solidarum & nervosarum partium spasticam ingentem affectionem significant, quæ spasmorum diuturnitas, atque vehementia multum certe periculi alit. Crassior vero urina si prodit, certum præbet signum, spasmi tam nervosarum, quam vasculosarum partium, vehementiam remittere, ampliari ductus secretorios & excretorios, & excrementa crassioris substantiæ transmittere, quo fit, ut non solum urina cum sedimento copiosior fluat, sed & totum corpus æquabiliter sudore, idemtidem crasso, fœtido ac viscido perfundatur, & alvus antea adstricta solutior fiat. Ex quo quidem dilucide patescit, multum interesse, ut medicus critica illa in morbis tempora, quæ veteribus coctionis dicuntur, ex urinæ inspectione cognoscat, & sic cum certa ratione verax de morbi eventu judicium interponere queat.

§. XIX.

In declinatione febrium catarrhalium

In declinatione febrium catarrhalium, item variolarum & morbillorum urinæ in vigore morbi & febre pellucidæ & aquosæ, crassiores etiam & coloratiores cum sedimento secedunt, certo indicio, morbum, id est spasticas constrictiones partium, solvi atque remittere, ut ductibus urinariis iterum patulis redditis, impuritates salinæ sulphureæ viscidæ seri, quæ ipso morbi tempore progenitæ, liberum jam habeant ingressum atque exitum. Quandocunque vero post phthisicum aut alium vehementem ac diuturnum morbum, urina diutius fertur crassa, pauca, saturate & obscure rubra, cum copioso sedimento, pinguedo supernatans vitri urinarii parietibus adhæresci, corpusque interea tabescit; morbum in febrem lentam & hecticam concessisse testatur, qua rarissime æger servatur, eo quod corrupta ex læso viscere materia sanguini & lymphæ intimius nupta, instar fermenti motu intestino calido mixtionem, & crasin sanguinis temperatam dissolvit, & optimum etiam alibilem succum in excrementitias salso-sulphureas sordes convertit, simulque pinguedinem corporis colliquat. Idem metuendum periculum, quando in hydropicis urina hecticorum similis profluit. Nam parcum ejus stillicidium, lympham ex ruptis vasculis lymphaticis in cavitatem vel porosam partium substantiam secedere, & color obscure rubicundus crassiusque sedimentum, partim motum intestinum calidum sanguinem dissolutorium, partim etiam obstructum hepatis emunctorium, quo sordes biliosæ separari solent, arguit.

Urinæ diu crassæ malæ.

§. XX.

Urinæ crassæ sine febre.

Dantur tamen etiam in morbis chronicis, citra febrem & calorem internum auctum, urinæ crassiores, valde saturato colore rubicundo bruno tinctæ, ponderе admodum graves, adeo ut interdum libra una, teste cylindro statico & evaporatione, uncias tres, vel quatuor, solidescentis materiæ in complexu foveat. Obvium hoc est quam maxime in scorbuto confirmato, in arthritide & paralysi scorbutica, senectute extrema, quandoque etiam in passione nephritica, conquiescentibus dolorum tormentis, nec non in ictero flavo & atro. Læsam autem in ejusmodi urina esse proportionem elementi aquosi & salino-sulphurei, exinde patescit, quod affusa sufficienti aquæ solius simplicis copia, ad naturalem tincturam reduci possit. Crassities quippe & color ille fuscus ab excrementitiarum salinarum & sulphurearum partium in sanguinis & humorum massa hospitantium copia, ortum trahit, quæ propter hepatis obstructionem, a succorum vitalium connubio non rite segregantur. Nam jecoris viscus, cum in omnibus

In scorbutico.

chro-

chronicis morbis, tum maxime in scorbuto patitur, ut etiam *Willisius in tr. de febribus* fidem faciat: se plurima scorbuto defunctorum cadavera secuisse, & observasse, quod in culpa fuerit in nonnullis hepar prorsus exsangue & instar uberis vaccini exsuccum, in aliis vesica biliaria, aut vacua, aut lapidibus obsessa, aut amurca minime amarescente repleta.

§. XXI.

Ictero flavo & nigro. Quando porro ejusmodi crassiores mirum austeri coloris urinæ, (*Wie dickes braunes Bier*) crocea tinctura immersa linteamina inficiunt, certum est indicium, bilem propter obstructos, vel spasmo constrictos ductus hepaticos & cysticos, & denegatum in duodenum influxum, per vasa lymphatica regurgitare ad sanguinis & lymphæ massam, & icterum adesse. Ubi vero color in atro-brunum vergit, icterum designat nigrum, qui non tam a bile reflua, quam potius ab ejus secretione in hepate plane impedita nascitur. Nigredo autem acido admixto tribuenda: eo quod ob defectum bilis, quæ alcalino suo elemento, acorem, qui ingestis inest, temperat atque obtundit, succi acetosi ad sanguinis massam transeunt, ibique sulphureis, oleosis, ac biliosis particulis unitæ, atrum excludunt colorem, haud secus ac videmus, acido liquore bili affuso, post digestionem eandem primum viridescere, ac deinde nigrescere. Quumque in provectiori senectute, ob angustationem, contractionem, & collapsum tubulorum excretoriorum in hepate, necnon in cute, multæ salinæ sulphureæ & viscidæ sordes retineantur: urinæ solenniter in ætate gravibus crassiores, graviores magisque tinctæ redduntur, præsertim si paullo liberalius vino utantur, in primis spirituoso, ut Hungarico, quod oleosum est multum atque sulphureum.

Senectus.

Quid indicent oleosæ?

§. XXII.

Nonnunquam redduntur urinæ copiosa materia pingui imbutæ, sive oleosæ, quæ sine strepitu mittuntur, in superficie cutem variegati maxime cærulei plerumque coloris exhibent, ac vitri urinalis parietibus tam firmiter adhæresunt, ut nonnisi lixivioso liquore detergi possint. Origo harum procul dubio calori interno nimio, ipsam pinguedinem colliquanti tribuenda, quæ liquefacta, & postea in sanguinem recepta, sese miscet cum sanguine & sero, ac humore salso muriatico demum dissoluta, per renum colatorium in urinam defertur. Annotavit *Sylvius* exemplum fœminæ juvenculæ, cujus urinæ tam copiosa innatavit pinguedo, ut in perfrigerata superficie butyri instar aut olei frigidi concreti comparuerit. Et memorabilis quoque est *Fernelii lib. 3. cap. de urina* historia, de bibulo quodam optimi corporis habitus, qui diebus circiter octo, ex ingenti corporis mole ad summam gracilitatem, citra ullam morbi vim, traductus est. Potissimum tamen tales pinguiusculæ urinæ in consumtione corporis, atrophia, phthisi, hectica observantur; quinimmo in omnibus febribus, urinæ quando profluunt crassioris substantiæ, multum pinguedinis secum evehunt, quæ eo copiosior est & diutius durat, quo corpus est pinguius.

§. XXIII.

Tartaro referta. Supra quoque cum de analysi urinæ naturalis actum fuit, mentio facta est, quod sal acidum, cum alcali, sive volatili, sive fixo mixtum, sive neutrum & tartariforme, ordinarium sit urinæ ingrediens, quod dubio procul ab excessivo acido per alimenta ingesto, & in sanguine contento, oriatur. Hoc autem sale tartareo si urinæ nimium refertæ sunt, quod cognoscitur, quando matulæ parietes & fundus copioso tartaro incrustantur, indicium est dispositionis ad calculum renum & vesicæ. Majoris periculi est, ubi crassum, rubrum & friabile sabulum, mox emissa urina, fundum

Sabulosæ.

dum petit, quippe quod morbum nephriticum adesse, plane evincit. De quo luculentum *Hippocratis* suffragium *aph. 79. Sect. 4. quibus*, perhibentis, *in urina subsident sabulosa, iis vesica calculo laborat.* Interdum quoque crystalli mi-

cum crystallis, purulentæ, glutinosæ &c.

cantes fulvæ copiose esse apponunt lateribus matulæ, quæ doloris arthritici, rheumatici, plus minus fixi vel vagi, indicium præbent. Quando urina mingitur mox cruenta, mox ob puris miscelam lactescens, interdum glutinosa, crassa tenaci materia mali odoris onusta, quæ fundo adhæret, nec vitri agitatione dissolvitur, certum exulcerationis renum vel vesicæ documentum præbet. Quin ipse in calculo, & ulcere vesicæ sæpius lotium tam tenax vidi, ut instar albuminis ovi cohæserit, nec guttatim aut per vices potuerit effundi, sed inclinata matula, omne simul massæ instar elapsum sit. Eandem quoque in rem facit notabilis observatio, in *M. N. C. Dec. 3. A. 8. obs. 11.* consignata, de urina crassa glutinosa, quæ ad ulnæ longitudinem potuit extendi, & filtro imposita, ne guttulam transmisit.

§. XXIV.

Qualis in gonorrhœa.

In gonorrhœa, præsertim chronica, & maligna, non solum prostatæ, sed plerumque vesica etiam exulcerationem patiuntur; unde urinæ turbidę & crassæ, *Wie Kraut-Lacke*, emittuntur, quæ sedimentum copiosum rejiciunt mucosum, quod exsiccatum & carbonibus injectum, fœtidissimum odorem spargit. Alias semen purum, propter levitatem, urinæ innatat. Pariter sæpissime in calculo vesicæ, hæc ipsa vel ejus spincter erosus est, ac tum urina crassa furfuracea mingitur, cum exiguis carunculis & fibrillis, quæ a vulgo pro vermibus habentur; id quod confirmat *Hippocrates sect. 4. aph. 66. 67. quibus*, inquiens, *in urina crassa existente, caruncula, aut veluti capilli, aut furfuracea quædam, simul exeunt, his vesica scabie laborat.* In stranguria crebrius ad mingendum est stimulus, sed parum

vesicæ scabie.

stranguria.

mittitur, idque turbidum, valde salsum & acre, cum filamentis, identidem fundum petentibus, & tunc sphincter plerumque spasmodici quippiam patitur. Si sanguis lotio est admixtus, instar loturę carnis, seu vini rubri comparet, sed postea cruor ima petit, & purpureum colorem, quando ex renibus, atro-fuscum vero, ubi ex adapertis vesicæ venis prodiit, refert. Talem sanguinolentam urinam in sene vegeto octogenario, qui jugiter dolorem præsorium in regione pubis sentiebat quotiescunque equitabat, vidi.

& mistu cruento.

§. XXV.

Et hisce, quæ jam attulimus, liquido elucescere arbitror, uroscopiam & uromantiam haud exiguæ utilitatis esse in praxi medica, nec ceu inutilem & fallacem floccipendendam, multo minus despectui habendam: eo quod non modo fluidorum, sed & solidorum conditio, habitus & status hoc ipso adminiculo perspici potest ac erui. Nam ex urina levi ac tenui, præternaturaliter & spasmodice affectum esse nervosarum partium systema patet; ex crassiori vero & ponderosa, ductuum urinariorum nimis relaxatus tonus, seu atonia elucescit. Deinceps hoc subsidio depravatam esse sanguinis mixtionem, sive ejus dyscrasiam & impurarum salino-sulphurearum partium copiam, optime cognoscimus, maxime in morbis chronicis, & qui a cacochymia nascuntur. Porro viscerum sanguinis depurationi inservientium, præsertim hepatis, constitutionem lotium prodit. Tum proportio & vinculum seri ac sanguinis, quale sit in morbis, sive acutis, sive chronicis, inde elici potest. Præterea gradus interni caloris, sive intestinæ partium sanguinis sulphurearum commotionis, hac ratione paullo clarius, præsertim in æstu febrili, dignoscitur. Defectum quoque caloris naturalis, virium ac spirituascentiæ, quæ ad digestionem ingestorum & mutationem in succum & sanguinem necessa-

Uromantiæ utilitas in pathologicis.

riæ

fariæ sunt, inspecta urina quadantenus comperimus. Maxime vero urinæ solertiori consideratione & examine viarum & ductuum urinariorum ac seminalium, ut renum, uretherum, vesicæ, ejus sphincteris, urethræ, vesicularum seminalium & prostatarum dispositio ac constitutio manifestatur. Neque minus in febribus, tam continuis, quam intermittentibus, urinæ inspectio eximio pollet usu, eo quod ex hac non modo massæ sanguineæ conditio, sed & an materia febrilis cocta vel incocta sit? an crisis morbi completa vel incompleta? qualis spes valetudinis? num funesti quippiam immineat? an recidivæ vel alius morbi metus? planum fit ac innotescit.

§. XXVI.

Et therapeuticis. Tandem urinæ etiam consideratio in therapeuticis haud spernendum præstat usum. Quia enim vera pathologia sive exquisitior cognitio status morbi, quem uroscopia patefacit, basis est rationalis therapiæ: multum utique adiumenti ad hanc dextere suscipiendam ac perficiendam illa afferre videtur. Et aquosa quidem urinarum tenuitas, si præsto est, probe inquirendum, num a spasmis? an vero defectu virium & spirituascentię ortum trahat? Ubi hoc, spirituosa, analeptica, balsamica, aromatica, quæ balsamum sanguini fœnerant, adhibenda; si illud, fugienda sunt hæc, & potius leniora diaphoretica, cum antispamodicis, nitrosis, cinnabarinis permixta, locum inveniunt. Quando porro in febribus intermittentibus tenues, leves, & flammeo colore apparent, nihilque deponunt; a cortice chinę, & quæ parem cum ipso, maxime constipandi, & febriles motus supprimendi facultatem habent, penitus abstinendum est, quorum usus, quum urinæ crassiores secedunt, prævia evacuatione alvina, tutissimus est. Intensiorem urinæ colorem in febribus, humectantia, acidula, nitrosa exposcere, quisque judicabit; crassas vero & rubicundas, quæ citra calorem in affectibus chronicis minguntur, diluentia, inque primis emunctoriorum tubulos obstructos referantia, aquarum mineralium, acidularum, thermalium & martiatarum convenientem, nec non seri lactis dulcis usum, exigere. Ubi ex viarum urinariarum vel spermaticarum vitio urinæ turbidæ, & larga crassa mucosa tartarea substantia fętæ redduntur, nil præsentius & efficacius est fontibus medicatis temperatioribus, ut aquis Spadanis, Wildungensibus, Selteranis, thermis Piperanis & Emsensibus, ad eluendas ac detergendas sordes, acrimoniam diluendam & partes afflictas consolidandas, adjunctis simul exterius balneis temperatis. Calculosa tartarea concrementa & mucidum ex ulcerata renum substantia prodiens lotium, apertius omnium efficaciter diuretico. rum, salinorum, ipsarum quoque Carolinarum, quæ propter calcareum salinum elementum fortiter nimis pellunt, usum interdicunt, & potius traumatica, leniter roborantia & demulcentia injungunt, ut sunt emulsiones seminum quatuor frigidorum, dauci cum lycopodio, infusa, vel decocta ex hedera terrestri, equiseto, virga aurea, fragaria, veronica, radice altheæ, aliisque id genus pluribus.

§. XXVII.

Ex sudore quoque signa tenenda. At vero non solum ex urina, sed etiam ex aliis excretis, inter quæ subtiles excretionis cuticularis sordes potissimum fere locum tenent, de statu in egro nec non vitiato ac præcipue de salutari, vel infausto morborum eventu, medicus tanquam ex certis signis indicium petere debet. Veteres, ut refert *Jo. Langius in epist.* tam in cognoscendis, quam dijudicandis morbis, plus, sudoris calorem, odorem & saporem, quam lotii differentias observarunt: quare etiam moris fuit, sudores in balneo strigili ex-

exceptos & olfacere & deguſtare. Sudor enim,ut *Galenus de ſalubr.* ait,omnium humorum per univerſam corporis compagem index eſt : urina vero tantum eorum, quæ in conceptaculis venarum continentur. Neque hæc aſſertio fundamento deſtituitur. Nam urina potiſſimum potui, cui etiam proportionalis eſt,materiam debet;&craſſiores aqueas, & maxime varii generis ſalinas,quæ per alimenta aſſumtæ fuerunt, atque in ipſo ſanguine progenitæ ſunt,recrementitias materias a corpore evehit;quandoquidem renes & viæ urinariæ congruum ſalium emunctorium conſtituunt, quin omnis generis ſalia, ſive alcalina, ſive acida, ſive neutra,volatilia,ſive fixa fuerint,vel etiam cauſtica, item nitroſa, ſingulari plane ratione ad renale illud vaſculoſum cribrum feruntur, & urinam quoque movendi facultate pollent. Per fibroſam vero ac poroſo- tubuloſam cutis texturam, corpus magis a partibus aqueis tenuioribus, & maxime ſulphureis, ſub forma vaporis, vel madoris, expurgatur.

§. XXVIII.

Perſpirationis & ſudoris differentia.

Diligenter tamen hoc loco obſervandum eſt,ingentem inter peſpirationem & ſudorem intercedere differentiam.Scilicet perſpiratione, inſenſibilis halituum e corporis cortice ſuccedit diflatio,adeoque tantummodo particulæ tenuiſſimæ aqueæ & ſulphureæ ſalinæ magna quotidie in copia in auras mittuntur, linteaminibus corpori circumvolutis ſiccis remanentibus: in ſudore vero particulæ aqueæ & ſulphureæ magis craſſiores, peculiaris ſaporis & odoris, vel fœtoris prodeunt, quæ cutem & induſia conſpectius humectant, adeo, ut interulæ interdum poſt ſudorem quinque vel ſex unciis graviores quam antea deprehendantur,quum contra in perſpiratione,pondus induſii per hebdomadem geſtati vix uncia una increſcat, ob materiam mucidam oleoſam craſſiorem in poris obhæreſcentem.Deinde obſervamus, perſpirationem in robuſto,ſudorem viciſſim magis in imbecilli corpore fieri, & plus etiam materiæ excrementitiæ illa, quam hoc excludi, ut hinc probe notante *Sanctorio* in aureo *de Medicina ſtatica* libello,corpus a perſpiratione longe agilius & levius, a ſudatione vero debilius & gravius reddatur. Porro ſaluberrima illa minus in ſenſus cadens ſordium per corticem corporis excretio magis a vegetiori ſanguinis progreſſivo motu & circulo, atque vigore motus cordis & arteriarum oboritur; ſudor autem potius a calore & motu inteſtino partium ſulphurearum, quę in mixtione ſanguinis continentur, & a fibrarum, & tubulorum cutaneorum majori relaxatione provenit. Tum frequenti conſtat obſervatione, ſub conſtitutione aeris ſicca & ventis ex euro & borea flantibus, expanſiva elaſtica reddita, & ſcandente altius in barometro argento vivo, inſenſibilem in corpore perſpirationem quam maxime vigere:contra vero ſub aere levi & rarefacto,humido, flante potiſſimũ zephyro & auſtro, nec non ſub lapſu mercurii,corpus ad ſudationem mirum diſpoſitum eſſe. Quin ipſe multiplici obſervatione confirmatum habeo, quod ſub debilitate,a morbo potiſſimũ relicta,& atmoſphæra exiſtente admodum levi,humida & pluvioſa, ſudores ex cutis tubulis largiter profluant,cum urina ſimul craſſiore, multum ſedimenti ponente; inducta autem per mutationem ventorum e contraria plaga ſpirantium aeri alia conſtitutione,protinus ſudores reſiccentur & cohibeantur, urina quoque largior & tenuior fecedat, corpuſque longe agilius,ſomnus quietior, animus ad labores magis diſpoſitus & erectior reddatur.Ex quo ſatis clare intelligitur, tam inſignem atque conſpicuam eſſe fluidi aerei & ætherei ad mutandos excretorios in corpore motus potentiam,ut ſupervacaneum & ſterile molimen foret, ad occultum quoddam & vere imaginarium principium motus in corpore

in

in explicandis hisce phænomenis, tanquam ad asylum confugere.

§. XXIX.

Sudoris materia sulphureæ indolis est.

Hæc autem materia, quæ per subcutaneos tubulos ex intimis corporis penetralibus foras amandatur, quod valde sulphureæ naturæ, & cutis præcipuum sulphuris excrementitii, haud secus quam renes salini excrementi, sit emunctorium, plura evincunt. Etenim sudor peculiarem & odorem, & colorem, & pinguedinosam quoque substantiam, quæ phænomena, secundum Chymicorum doctrinam, principii sulphurei soboles sunt, exhibere solet. Et mirum certe, quam eximie effluvia, quæ e corpore halant, immo etiam ipse sudor, pro ratione ætatum, temperamentorum, & ingestorum, differant. Nimirum qui allio & cepis frequenter utuntur, inficetum dispergunt odorem, contra vero quibus suaveolentia balsamica, item moschus & ambra, in frequentiori usu, gratum spirant. Sic etiam odor sudoris ratione anni tempestatum discrepat, ac æstate potissimum acidum, sæpe instar aceti vini penetrantis, redolet. Peculiarem quoque sudor in nonnullis morbis & specificum quasi obtinet nidorem, ut in scabie, lue venerea, variolis, morbillis, & maxime omnium purpura, adeo ut vel solo odore, ægrotantes ejus præsentiam dignoscere queant. Quod quidem quemadmodum de odore in propatulo est, ita pariter observationibus constat, quod sudor indusia vario colore tingere soleat. Placet in hujus confirmationem quædam in *Miscellaneis naturæ curiosorum* consignata recensere exempla, dum *Dec.1. An.6. pag.20.* atri, *Dec.2. An.3. pag.83.* sub axillis miniati, *An.4. pag.203.* cærulei, *An.6. pag.45.* cruenti, *An.4. pag.329.* crocei, *An.6. pag.5.* rubicundi, *pag.29.* viridis, *Dec.1. An.6. & 7. pag.110.* lutei sudoris, mentionem injiciunt.

quod testatur odor

& color.

§. XXX.

Maxime omnium tamen illud notatu dignum, quod sudor non unius ejusdemque naturæ ubique e corpore manet, sed pro diversitate partium varius. Ita specifici odoris est, qui profluit ex capillitio, & peculiaris odor percipitur, quando regio pone aures digito asperius fricatur. Sub axillis graveolens sæpe offenditur ex sudore nidor, necnon inguine, item in scroto & osse sacro gravem & discrepantem spirat pædorem, qui adhuc differt ab eo, qui inter digitorum pedum interstitia prodit. Ipse quoque sudor copiosior in una, quam in altera corporis regione manat. Nam in partibus superioribus, ut capite, collo, dorso & pectore, item in posterioribus liberalius, parcius vero in inferioribus & anterioribus, erumpit. Jam quidem mirum videri posset, qui ex uno fonte & materia, sanguinis nempe sinu, tam diversus & alius sudor secedat; sed mirari desinet, qui considerabit, ita comparatam esse corporis ubique machinam, ut vel viginti, quos facile numerare liceret, diversæ indolis, qualitatis & virtutis succi utiles atque inutiles, ex una sanguinis massa, secernantur & excernantur: haud secus ac in nutritione vegetabilium, ex sola aqua pluviali, pinguiuscula terrestri materia fœta, diversæ formæ, saporis, coloris, virtutis, consistentię germina, ut folia, cortices, flores, fructus, succi, gummata generantur ac producuntur. Quod mirabile naturæ tam in regno vegetantium, quam animantium negotium, non, ut quidam somniant, spiritui peculiari architectonico, plastico, aut alii omnia moraliter, & rationaliter dirigenti, vel peculiari partium virtuti attractrici, splendidis certe ignorantiæ terminis, in acceptis ferendum, sed a sola diversa mechanica structura, flexura, magnitudine, & figura minimorum tubulorum, quæ apparet maxime in glandulis, duci ac derivari debet. Neque ea propter est quod dubitemus, quin sola

Sudor quoque varius & quoad loca differens erumpit.

tu-

tubulorum structura & ductu, ita motus fluidorum dirigantur, ut crasis, mixtio & unio partium corpus constituentium mutetur ac invertatur, & ex emergente inde nova combinatione & unione partium, alius formæ virtutis, & qualitatis substantiæ gignantur.

§. XXXI.

Sudoris caussa intestina præter naturalis commotio.

Jam si porro in caussam sudoris, & largioris & frequentioris, sive præternaturalis, inquirimus, illa duplex meritо asserenda. Prima est partium sulphurearum, quæ mixtionem sanguinis ingrediuntur, intestina valde agitata commotio & evolutio, qua ipsa massa sanguinis & seri tandem in excrementitium salino sulphureum humorem dissolvi incipit. Altera est tubulorum subcutaneorum nimia relaxatio, sub qua humores serosi facile secedunt a crassioribus sanguineis, ac sensim protrusi eliminantur. Quibus jam positis, facile apparebit ratio, quare omnia ea, quæ ad intestinum partium sanguinis sulphurearum motum augendum faciunt, ad sudorem movendum aptissima sint. Horum in numerum referenda cholerica corporis constitutio, ætas juvenilis, macilentus corporis habitus, tempus æstivum, paullo vehementior corporis motus, aer calido-humidus australis, vini, præsertim oleosi & spirituosi, ut Hungarici, potus, & medicamenta, quæ oleo subtilissimo evaporabili imbuta sunt, quo nomine nota sunt ex vegetabilibus radix enulæ, petasitidis, ostrutii, levistici, angelicæ, imperatoriæ, crocus, flores sambuci, ex animantibus, omnes spiritus & olea destillata, ex mineralium classe flores & lac sulphuris, regulus antimonii medicinalis, sulphur antimonii, nostro modo præparatum & fixatum. Vicissim in procinctu quoque erit ratio, quare infantes, senes, obesi, humoribus repleti, otio & somno nimium indulgentes, parum ad sudorem dispositi sint, quippe qui spissos non modo & viscidos in vasis humores, qui difficilius per minimos cutis tubulos feruntur, alunt, sed imminutam partium sulphurearum in sanguine experiuntur intestinam agitationem.

§. XXXII.

Et cutis dispositio laudabilior.

Requiritur vero etiam ad prolicien-dum sudorem certa dispositio in cute, quæ consistit in convenienti ejus relaxatione & pororum ac tubulorum apertione, ut sudoris materia sufficienter adduci & secerni queat. Nam si in ulla corporis parte vis expansiva & elastica eminens est, certe in ipsa cute conspicitur, quæ, ut gravidæ & hydropici testantur, mirum sese diducere atque expandere, iterumque in pristinam dimensionem contrahere potest. Et elastica hæc cuti propria virtus, non aliter quam in omnibus inanimatis elasticis corporibus, ut chordis, funibus, tabulis ligneis, comparata est, ac non modo pro diversa aeris constitutione, ut humidi & levis, remittitur, sicci vero & frigidi iterum adducitur, sed & a caussis internis, fluidi tenuissimi, quod est in sanguine ac nervis, motu, varie in relaxatione & constrictione modificatur. Hinc enim est, quod in omnibus gravioribus doloribus, in affectibus spasmodicis, ira, nimio sanguinis fervore cutis plane sicca, aspera & arida ostendatur, adeo ut facilius sit e pumice aquam, quam ex ejusmodi corpore sudorem elicere. Secus vicissim fit, & facillima ad sudorem prochivitas in declinatione paroxysmorum febrilium spasticorum, item in imbecillitate virium a morbis restitante, ab atmosphæra humida & calida, pluviosa, balneo vaporoso, vel a medicamentis, quæ dolores ac spasmos sistunt ac sedant, ut nitrosis papaveraceis assumtis, præsto est, eo quod hæc omnia mirifice relaxant, & ampliant cutis poros ac tubulos. Quin diuturnus etiam animi mœror peculiarem hunc pariter exserit effectū, quod cutis, præsertim pedibus inductæ, tenui sol-

solvat ac remissiorem reddat, ut hinc, quod sæpius observavimus, sudore largiter diffluant.

§. XXXIII.

Sudores boni omi-nis qui.

Postquam igitur causas, viam & modum, quo cuticularis excretio perficitur, paullo curatius pervestigavimus; haud difficile nunc erit, ex sudoris natura atque eliminatione in statu morboso & præternaturali, præsertim febribus, ratione eventus indicium & judicium desumere. Quum vero vetustissimus artis nostræ parens *Hippocrates* passim in scriptis suis, maxime *aphorismis, prænotionibus & coacis*, multa eximia & veritati apprime consentanea præcepta & axiomata prognostica, ex sudoris natura & modo excernendi petita proposuerit: hæc in pauca conferre & sic in compendio exhibere, operę duxi pretium. Affirmat quippe hic medicorum princeps, boni ominis sudores esse, qui circa dies criticos, ut dimidium quarti, septimum, undecimum, decimum quartum, decimum septimum, vigesimum primum erumpunt, qui porro per universum corpus, nec in una tantum parte, nec parce & interrupte, sed copiose & sufficienter manant, quos alleviatio symptomatum & virium erectio sequitur, & qui cum signis coctionis in urina, alvi fecessu, vel precedente, vel comite, succedunt. Nos maxime illos judicamus salutiferos, qui fiunt, quando pulsus præter naturam celer, vehemens, vel durus, in molliorem & sedatiorem transiit.

§. XXXIV.

Qui mali?

Contra vero omnes sudores, qui in febribus statim in principio, & extra dies criticos contingunt, symptomata non levant, sub alvo constricta, cum urina tenui sine sedimento, ac pulsu præternaturali, nec immutato prodeunt, a docta antiquitate, cui etiam experientia firma & constans suffragatur, semper pro malis & symptomaticis merito habiti fuerunt; eo quod ingentem virium imbecillitatem, partium solidarum atoniam, mixturæ sanguineæ dissolutionem atq; etiam causam morbi adhuc nobilioribus nervosis partibus firmiter insidentem produnt, & multiplici experientia cōstat, plures sub & in ejusmodi sudore occumbere. Infausti etiam præsagii sunt, qui tantum unam corporis partem occupant, & recte utique *Hippocrates sect. 4. aph. 38.* prodidit: *qua parte corporis sudor manat, morbum illius partis arguit*. Nam in morbis capitis apoplexia, phrenitide, affectibus soporosis, caput sæpe totum sudore diffluere, pedibus frigidis, observamus. In asthmate convulsivo, catarrho suffocativo, peripneumonia, pectus multo sudore perfunditur, & plerumque omnes, qui in peripneumonia primis mox diebus citra levamen sudant, pereunt, ac sphacelosa plerumque subest inflammatio, vel in suffocativo asthmate polypus absconditur. Quin id quoque observatione compertum est, quando symptomata post sudorem non levantur, plerumque subsequi recidivam, vel morbum diu extrahi. Quam in rem egregium est *Martiani* in *comment. ad coac.* testimonium: *si sudor non tollit febrem, sed hæc remanet, tunc symptomaticus est, & morbi recidiva, vel ejus longitudo exspectanda*. Omnium tamen pessimi sunt frigidi, præsertim quando interiora ex inflammatione ardent; unde *Hippocrates Sect. 4. aph. 37.* it. in *prognost. cap. 2.* frigidos sudores cum febre acuta mortem indicare affirmat, in mitiori autem morbo ejus longitudinem.

§. XXXV.

Sudor in paroxysmis nullus.

Porro quotidiana docet experientia, ipso in paroxysmo & vigore febrium, item dolorum & motuum spasticorum, in gravi cephalalgia, cardialgia, dolore intestinorum, colica, epilepsia, in nimia etiam seri profusione per alvum, salivam aut urinam, vel etiam nimiis hemorrhagiis, cutem aridam, siccam &

frigidam esse, ac sudore penitus destitui, simul ac autem sæva hæc pathemata de vehementia remittunt, vel penitus intermittunt, & morbus est in declinatione, sudor protinus ex toto corpore evocatur, id quod maxime obvium, in declinatione intermittentium. Incidit quoque sæpius, ut post febres, tam acutas, quam chronicas, curatas, ingens dispositio, & habitus corporis ad continuos & largos sudores remaneat, qui etiam facili de causa, levi externo calore, vel si oculos claudant, & somnus obrepat, provocantur. Causa hujus largæ sudationis vel ex regimine in sudoribus criticis minus curate ab ægris servata repetenda est, vel quod nimis cito auræ frigidiori se committant, ut remanens intus excrementitio quæ sudore diffletur materia, mixtionem sanguinis ad dissolutorium quendam motum disponat, vel etiam quod superato morbo avidius & largius cibum ingerant, qui ob imbecilliorem a morbo redditam digestivam ventriculi & intestinorum vim, non bene solvitur & subigitur, unde copiosus & crudus chylus sanguini affusus, non bene cum eo miscetur, sed quam facile per emunctoria ab eo secedit.

post eos largus.

Sæpe nimius.

§. XXXVI.

In nullo tamen morbo profusiores manant sudores, quam in purpura, sive rubra scorbutica, sive alba cum febre juncta; certo indicio, a fermentali quodam impuro succo totam sanguinis & humorum massam in colliquativam dissolutionem esse conjectam. In malignis morbis, quorum causa interna partium sphacelatio, cum summa virium jactura, sub pulsu sæpe debili & minus frequenti, urina quoque non adeo colorata, sed sanorum simili, manant sudores copiosi, fœtidi, sæpe frigidi, & lethales, qui de putrida sanguinis resolutione testimonium exhibent. Solennes quoque sunt hecticis, & ubi partes nobiliores abscessum vel ulcus alunt, copiosi & valde debilitantes sudores, qui in scholis medicis colliquativi vocantur, & idemtidem a materia purulenta corrupta, quæ sanguinem in intestinum fermentativum motum ciet, proficiscuntur. In scorbuticis quando ex hepatis vitio & sub deficiente biliosarum partium separatione, lympha multis sulphureis excrementitiis scatet partibus, sudores etiam nimii valde molestant, præsertim si alvus simul obseratur.

Maxime in purpura.

In malignis.

hecticis.

Scorbuticis.

§. XXXVII.

Et in hac quidem effusa nimis sudatione, perquam utilia deprehendi alvum laxantia ex manna, tamarindis, item serum lactis dulce, cum pulvere nitroso præcipitante datum. In aliis autem longis & largis sudoribus, quorum causa nimia cutis atonia & interna partium sulphurearum in sanguine resolutoria commotio, egregie ex usu fuerunt analeptica, cum roborantibus & leniter constringentibus, item acidula, quippe quæ non modo partium solidarum tonum ac robur firmant, sed & unionem ac mixtionem partium sanguinis vinciunt & servant, quorum classem liquor meus anodynus mineralis, spiritus salis dulcis, spiritus sic dictus regius Michaelis, ex spiritu rosarum, salis dulcis, cum moscho, ambra & confectione alkermes paratus, tinctura rosarum cum phlegmate vitrioli acidulato confecta, saccharum rosaceum, tinctura coralliorum, vel earum solutio cum succo citri facta, ducunt. Alii eundem in finem species de hyacintho valde extollunt, quarum virtus sine omni dubio ab ingredientibus, quæ sunt leniter constringentia, idem ab admixta camphora, ambra & moscho, licet horum dosis exigua sit, minime vero a sterili & effœto gemmarum pulvere minus solubili, petenda est ac derivanda.

Quomodo resicandus.

§. XXXVIII.

Hactenus de excretione, quæ per urinarias vias & universale cutis emunctorium succedit, indole, & promendo in-

Alvus excretio ad cut.

ju-

judicio egimus: superest jam, ut etiam de ea, quæ per alvi fecessum contingit, nonnulla addamus. Quemadmodum autem per urinam maxima & superflua liquidi ex potu portio, una cum salinis crassioris texturæ partibus, secedit, & per cuticularem evacuationem salino-sulphureæ, intestino calido motu ex intima sanguinis mixtione evolutæ sordes, proscribuntur: ita per alvum non modo relictæ post chylum ex alimentis extractum fœculentiæ & furfures, sed & crassiores sulphureæ biliosæ, in amplissimo hepatis viscere segregatæ, ac per peculiares canales intestinis insinuatæ scoriæ, una cum lymphaticis fermentalibus, ex pancreate, glandulis & tunicis glanduloſis intestinorum stillantibus succis, foras ejiciuntur; eum pariter in finem, quo reliqui vitales corporis humores a sordibus pernicialibus repurgentur, nec unquam a temperata ad integritatem necessaria indole desciscant.

Servationem corporis necessaria.

§. XXXIX.

Non quidem negandum, eam alvinæ excretionis esse rationem, ut interceptus ejusdem legitimus naturalis successus, non tam præsentaneo damno sanitatem afficiat, quam si perspiratio aut urinæ fluxus cohibetur, sed sæpius diu sine vitæ vel manifesto valetudinis periculo retineri potest. Quia enim sanguinis massa per cutis tubulos, & maxime renale cribrum, a recrementis salinis & sulphureis liberaliter depuratur, his rite & sufficienter secedentibus non illico noxa metuenda, licet fæces crassiores aliquandiu in longo & amplo intestinorum tractu moram nectant, modo tonus hujus canalis non adeo sit labefactatus, ut flatibus cedat, sed iisdem elidendis ac demum scybalis egerendis sufficiat. Et certe complura in observatis medicorum commemorantur exempla de diuturna alvi obstructione indemni, ut apud *Rhodium Cent.2.obs.81. Mœnichen obs.5.* necnon in *M.N.C. Dec.1. An.3.obs.25. Dec.2. An.3.obs.83.* quo etiam referenda, quæ *Listerus* in *comment.* ad *Sanctorii Medicin.static.pag.150.* memorat, de sene quodam, octogesimo & sexto ætatis anno adhuc perfecte sano, qui, licet multum cibi carnesque pariter subcrudas ingereret, a pluribus tamen annis rarissime, & nonnisi semel per hebdomadem, alvum deposuit.

Licet aliquandiu sine noxa suppressi possit.

§. XL.

Nihilominus tamen ex solennioribus ac eminentioribus excretionibus est alvina, ac non solum vitali corporis conservationi, sed etiam morborum solutioni, quæ nonnisi evacuatione absolvitur, quam maxime inservit. Quare ejusdem consideratio, utique tam ad sanum, quam morbosum corporis statum cognoscendum, ac ferendum de eo judicium, utilis admodum est atque necessaria. Potissimum tamen ex eorum quæ alvo secedunt copia, habitu & modo excernendi, medicus non tantum de alimentorum digestione & chyli elaboratione, nec non de humoris biliosi ac pituitosi secretione atque excretione, verum etiam de motus intestinorum peristaltici, immo totius generis nervosi constitutione, indicia sumere, ac certior reddi potest.

Hinc recte ex eadem judicium petentur.

§. XLI.

Jam itaque quum fæces colorem flavum naturalem ab admixta bile mutuentur; his albis, vel gryseatantum tinctura infectis secedentibus, in proclivi est judicare, biliosi humoris in intestinis esse defectum. Hic autem defectus, vel ab obstructis, aut constrictis biliferis ductibus, ut in ictero, proficiscitur, vel ab exsuperante acidorum succorum prima in regione copia, qua bilis obtunditur, ejusque color extinguitur, ortum trahit, uti obvium est in senibus hypochondriacis, infantibus, si lac in ventriculo coacescit, omnibusque, qui paullo largius potum, multum acidi in complexu fovent, ingerunt. Ac tum quidem candescentes fæces, minus fœ-

Excrementa alba biliis defectum indicant.

tentes, cum doloris sensu, præsertim in recto, ac tenesmo secedunt. Quandoque etiam eandem ob caussam difficilior est ac tardus alvi secessus, & varia in abdomine accidunt pathemata ac termina, in primis tamen molesta nauseabunda circa præcordia adest sensatio, quam nostri *das Ubelseyn* appellant, quæ mane potissimum & absoluta digestione percipitur. Ac in his quidem omnibus nullum præsentius datur remedium pulvere acidum absorbente, cum diluente, & leniter carminativo vehiculo assumto. Cessant quippe hoc facto dolores & alvus ad officium redit. Quod vero absorbentia & sic dicta præcipitantia, quo etiam referenda magnesia, nec non pulveres bezoardici terrei, sedes uti crebrioris observationis est, moveant, hæc utique subest ratio, quod alcali terreum acidos prima in regione succos imbibens, convertitur in sal neutrum, nerveas intestinorum tunicas ad excretionem sollicitans. Notabilis hanc in rem est observatio *Schelhammeri* in *M.N.C. Dec. 2. An. 5. p. 30.* de puero, qui convulsivis motibus simulque alvo pertinacius obstructa laborans, propinata ex aquis refrigerantibus cum absorbentibus mixtura, & purgatus est, & convaluit.

§. XLII.

Fusca & bruna bilis copia.

Viciſſim quando scybala auffero, bruno, vel fusco colore infecta alvo feruntur, largius in sanguine progigni, & copiosius ab eodem separari biliosas sordes, indicio est. Excluduntur autem biliosa ejusmodi excrementa solenniter tempore æstivo, quo ob vehementem calorem multum bilis generatur, & ad intestina fertur. Observantur quoque in cholericę constitutionis hominibus, nec non in iis, qui corpus crebrius motu exercent, vini ac spirituosorum potui nimis indulgent, & in iram proclives sunt. Potissimum tamen in febribus biliosis, cholericis, tertiana continua & intermittente, febre quoque ardente sive causo, sordes alvinæ multæ, bile largiter refertæ, maxime sub declinatione & perfecta morbi solutione, ſalino-sulphureis scoriis, quæ æstate secedunt. Quia enim hi morbi partim ab ipsa bile stagnante & corrupta natales ducunt, partim etiam sub ipsis per motum intestinum calidum adauctum largus bilis est proventus: ratio utique patet, cur tam biliosa egerantur scybala, ac remittente demum sub declinatione febris spasmo, copiose, insigni tamen cum emolumento, prodeant, ipsumque morbum solutum haud raro indicent. Pariter in melancholia hypochondriaca, mania, cachectico morbo & hysterico malo, alvus non solum segnis est & tarda, sed fœces etiam durę ac intensius flavo ac fusco colore, quin nigricante conspicuæ, exsolvuntur, nullam plane aliam ob caussam, quam quod ob acidi uberiorem in canale alimentorum proventum, adstringitur excretio, ac bilis acido commixta, ob diuturnam moram, nigredinem contrahit.

§. XLIII.

Viridis excrementorum coloretam a bile.

Ex eodem fonte, bilis nempe constitutione, virideſcentium excrementorum origo repetenda. Sunt hæc quam maxime familiares infantibus lactentibus, & plerumque atrocibus ventris torminibus, inquie, jactatione corporis, febre, insequente crebro convulsione epileptica, stipantur. Mali igitur sunt indicii, & lac acidum factum, & cum bile quasi confermentatum, viridem colorem, & corrosivam indolem contraxisse, produnt. Excluduntur tamen interdum etiam in adultis virides per alvum sordes, ut in passione cholerica laborantibus, præsertim quando post vehementem iram copiosa bilis ad tenuia intestina, acidis succis referta, propellitur. Neque minus in hypochondriacis & hystericis, sæpius non solum per vomitum, sed etiam alvum, viridia sub graviſſimo pathematum spasmodicorum insultu excernuntur. Sæpe etiam ipsa natura per biliosas & copiosas dejectiones, sponte repurgat corpus a redundantibus

nimis fervida progenitæ, cohibita ab aere frigido & humido, ineunte maxime autumno, perspiratione, partim ad hepar, partim etiã ad glandulosas intestinorum tunicas relabuntur, ac demum in ipsum canalem delatæ, molesta tormina, & spasmos excretorios producunt. Quod si tamen acres hi succi diutius per intestina feruntur, tonus non solum eorundem nimium destruitur, sed ipsę demum etiam tunicæ exeduntur, ut atrophia, hectica, tormina continua, affectus hypochondriacus flatulentus, tumores œdematosi, ipseque hydrops, accedant.

§. XLIV.

Fœtor excrementorũ unde?

Ut color, sic quoque fœtor excrementorum bili iisdem immixtæ plerumque debetur, quæ quo parcius inest, ut albis, eo minor est nidor, eo gravior, quo largius. Quod si igitur fæces mirum fœtent, aut cadaverosum plane pædorem diffiant, indicium est vel bilis copiosæ & corruptæ, vel sphacelosæ in intestinis corruptionis. Hinc quando in malignis vel dysenteria scybala fœtidissima secedunt, putredinis lethiferæ ipsiusque mortis præsagium præbent. Putent tamen etiam sæpius scybala infantum a vermibus, si in putrilaginem fatiscunt, ac tum simul adsunt vagi in abdomine dolores & corporis æstus cum virium languore. Ubi vero alvus fœtida non solum, sed etiam spumosa, crebra & varii coloris fertur, cum ardente dolore & continuo ad desidendum stimulo, ut in dysenteria, humores valde acris & corrosivæ naturæ ad intestina ferri, & talem quoque rodentem ad recti glandulas amandari, haud fallax suppeditat indicium.

§. XLV.

Fæces mucidæ quid indicent?

Porro sæpius contingit, ut fęces admodum mucidæ, pituita crassa tenaci scatentes, exsolvantur. Ex his de imbecilli ventriculi & intestinorum digestrice virtute, necnon de alimentorum crudorum ac difficilioris solutionis, potus quoque minus salubris usu, judicandum; id quod sæpius obvium est in iis, qui novissime a morbo convaluerunt, & avidius cibos ingerunt, in senibus ac his, qui vitæ genus agile, cum otioso, & victum calidum, cum frigido, commutant. Quando vero major muci pellucidi, vel qui albumini ovi similis est copia, cum tenesmo ac molestissimo recti dolore excernitur, certo ut plurimum argumento est, sanguinem exitum molientem in fine recti obhæresce re, ac mora in glandulis largiter deponere mucum, pressione vero dolorem cum tenesmo ciere.

§. XLVI.

Excrementa liquidæ & copiosa.

Nonnunquam etiam excrementa liquida prodeunt & copiosa, appetitus simul viget, corpus tamen emaciatur magis, quam increscit. Quod si contigit, exiles villosæ in intestinis tunicæ ductus muco obsessos & invisc atos esse arguit, ut nonnisi tenuis & aquea chyli portio a minus patulis osculis recipi queat, pinguis vero, gelatinosa & nutribilis portio ingressu excluſa, fæces dilutiores & sic diarrhœam reddat chylosam. Merito quoque ab obstructione lacteorum lævitas intestinorum senibus familiaris repetenda, eo quod ætate ingravescente alvei minutissimorum in corpore canalium sensim angustantur, corrugantur, ac concidunt, ut hinc nutritio intercidat, ac multum alibilis liquidi per anum effundatur. Vicissim quando scybala durissima, instar lapidis compacta, magna cum difficultate egeruntur, haud fallaci indicio concludendum, ob mucosas intestinorum glandulas obstructas aut plane induratas, vel nimium calorem, excrementa siccescere, & labascente simul motu peristaltico, diutius retineri. Quin non raro ea intestinorum siccitas alvique est duritiei, ut nonnisi injecto clysmate, aut sumto pharmaco, quicquam exsolvatur, quam in rem memoratu dignus casus a *Ballonio lib. epidemior.*

dura nimis unde?

mior. pag. 58. enarratur, ubi post insuperabilem alvi siccitatem, facta sectione jejunum ita angustum & cartilaginosum deprehensum est, ut vix per illud chylus defluere. Et hinc quoque est, quod nulla medicamenta purgantia calidiora, præsertim si humidum jam deficit, excretorios in intestina hiantes ductus stringendo, alvum potius obstruant, quam solvant.

§. XLVII.

De seybalis sanguinolentis.

Exit præterea cum fæcibus quandoque sanguis sincerus, quod, si sine torminibus exquisitis succedit, ex ani venis stillat, ubi autem dolores circa umbilicum gravissimi & crebriores dejectiones simul urgent, ex erosis ab acri humore tenuium vasis manare & dysentericum morbum adesse, testantur. Et sicuti prius plerumque pro sanitate est, ita posterius, si longius extrahitur, affectum hypochondriacum flatulentum, tormina, hydropem, tumores œdematosos, atrophiam & hecticam, ob exesas sensim intestinorum tunicas, in-

& nigris.

ducit. Cruori quoque admixto debentur excrementa instar picis nigra, quæ cum summo virium lapsu, & mirifico fœtore dejiciuntur, ac de morbo sic dicto nigro documentum ferunt, præsertim si vomitus simul sanguineus accedit; eo quod sanguis post diuturnam in vasis mesaraicis stagnationem, demum in ileum tenuissima membrana obductum perrumpit, & ad crassa descendens, cum fæcibus quasi confermentatus, nigrorem & fœtorem ipsis conciliat. Et de ejusmodi dejectione intelligendus utique *Hippocratis aph.* 21. *Sect.* 4. *dejectiones nigræ, qualis est sanguis niger, sponte venientes, sive cum febre, sive sine febre pessimæ; & quanto colores magis pravi fuerint plures, pejus.*

§. XLVIII.

Alvi excretio de motu intestinorum testatur.

Præter hæc, de bilis aliorumque in intestinis succorum indole, signa, alvina quoque excretio de motus peristaltici, & universi nervosarum partium systematis constitutione indicium suggerit. Quemadmodum enim alvi facilis & conveniens successus, reciprocum relaxatorium & constrictorium motum in tunicis intestinalibus ordinate, & æquabiliter succedere testatur; ita contra simulac hæc motio vitium patitur, & nimia adest vel adstrictio, vel dilatatio, seu atonia, alvus aut supprimitur, aut effuse fluit. Nervosarum autem partium constitutio, eo certius ex alvina evacuatione cognoscitur, quo major inter has & intestina viget consensio, qua vitium ex illis ad hæc, & ex his ad illas, mutuo propagatur.

§. XLIX.

In genere mala alvus cardialgiæ.

In genere igitur tenendum: legitimum intestinalis excretionis successum illibatæ sanitatis; turbatum vero, adversæ valetudinis certum esse indicem. Alvi enim torpor vel plenaria suppressio recte sentiente *Sponio aph.* 27. *Sect.* 2. omnium conturbationem, & vasorum impuritatem affert, eaque propter merito inter signa imminentis morbi refertur, eo quod sensibiles corporis partes gravius affectas esse, & spasmo jam stringi subindicat. In primis teste eodem *Sponio l. c. aph.* 28. & per experientiam compertum est, obstructo inferiore ventre, flatus in universum corpus discurrere, ut distentis postea nimium ab iis intestinis cum ventriculo, sanguinis liber progressus impediatur, & ad alia superiora maxime loca conversus, varia, eaque gravia pathemata, cieat. Nimis effusa autem per alvum secessio indicio est, post vehementiorem sub crebriori dejectione strictiuram, succedere nimiam fibrarum remissionem & laxitatem, qua fit, ut copiosior humorum affluxus eo contingat, quibus denuo spasmi ac tormina cum dejectione proritantur. Haud absimilis ratio est, quando alvus aliquandiu fluit, postea vero per aliquod tempus tensa est ac stricta, quippe quod pariter vitiosum peristalticum motum, ac intestina

nimis fluxa.

inordinatio.

mox

mox spasmo, mox atonia, detineri, arguit. Quumque adeo reciproci hujus in intestinorum volumine motus conservatio, magnum conservandæ valetudinis sit præsidium, destructio autem multorum morborum, & symptomatum mater, omni utique studio, in statu naturali, ea vitare decet, quæ eundem turbant ac lædunt, ut sunt in primis ira terror ac mœstitia, frigida potio largius sudanti corpori ingesta, omnia austera, acida, adstringentia & duræ compagis alimenta, cibi nimis pingues & flatulenti, nimius cerevisiæ, vini & spiritus vini potus, omne frigus, nimiæ vigiliæ, & mentis fatigatio, ex medicamentis, creber usus purgantium in primis drasticorum, opiata, mercurialia, saturnina, item acida stiptica.

§. L.

Alvina excretio in capitis,

Ad morbos quod attinet & judicium ex alvina egestione in iis petendum, in omnibus capitis, & nervorum affectibus, propter mutuam partium nervosarum consensionem, alvus stringitur, & omnis ipsius constipatio, ingignit, fovet, & exacerbat capitis & nervorum morbos. Obvium hoc est in vehementiori cephalalgia, hemicrania, epilepsia, mania, melancholia, affectibus paralyticis, ophthalmia, & auditus quoque difficultate, qui omnes morbi optime solvuntur alvi fluxu paullo diuturniori, quippe qui sedatos esse primis in viis spasmos, humores ad caput urgentes, & materiam peccantem ad inferiora descendere ibique exsolvi testatur. Hinc ex vero *Celsus lib.* 4. *c.* 3. alvum fluxam superiores partes sæpe resolvere; & *Hippocrat. Sect.* 7. *aph.* 5. dysenteriam in insania bonam esse, asserunt. In reliquis quoque chronicis passionibus spasmodicis, pathematibus nempe hypochondriacis & hystericis, alvus ut plurimum constipata pedesque frigidi observantur. Quæ ambo ubi præsto sunt, certo prædici possunt variæ ac multæ in superioribus afflictiones, ut præcordiorum anxietates constrictive, cardialgia, difficilis spiratio, melancholia, cephalalgia, vertigo, cordis palpitatio, ructus, digestio abolita, dolor flatulentus in hypochondriis, eo quod hæc omnia post inæqualem redditum per spasmos in inferioribus humorum cursum, eundemque ad superiora coactum, subsequuntur.

aliisque spasmodicis morbis qualis?

§. LI.

In febribus quæ bona vel malæ?

Accedunt febres, de quibus pariter experientia compertum est, nullam earundem, sive sit continua, sive intermittens, inflammatoria, vel exanthematica, lymphatica, lenta aut hectica, sine prævia alvi adstrictione accedere, quæ etiam sæpius diu in morbi decursu perdurat, eundemque eo graviorem reddit. Quod si vero alvus secundum naturam ferri incipit, tam quoad qualitatem, quam quantitatem, haud fallaci spe sanitatis restitutio exspectanda, eo quod hoc facto, certum est, spasmos, qui morbum proxime faciunt, in nervosis partibus solvi atque remittere. Quin multæ febres, præsertim putridæ & malignæ, item biliosæ, oborto justo tempore alvi fluxu solvuntur, & ex eodem, reliquis quoque concurrentibus, salutis petendum est indicium, quod pluribus in *dissert. de diarrhœa in febribus malignis salutari*, excussi. Monendum tamen, quod si in principio febrium & extra dies criticos intempestive alvus largius secedat, malum & infausti decursus præbeat indicium.

§. LII.

Alvina excretio quomodo in chronicis.

Quum igitur in omnibus affectibus chronicis spasmodicis, convulsivis, hypochondriacis & hystericis, alvus segnis, adstricta & dura admodum noxia sit: artis utique est ac prudentiæ, utilissimæ hujus excretionis successum conservare, quod tamen minime acrioribus stimulantibus perficiendum, sed potius apprime ex usu sunt salina, abstergentia, nec non absorbentia & balsamicæ pilulæ, quas extracta amara, re-

sinæ temperatæ, extractum rhabarbari & aliquot grana aloes rite præparatæ ingrediuntur, una cum clysteribus emollientibus, carminativis & oleosis.

& febribus prudenter movendis. In febribus autem, quia æque strictura nimia, quam laxitas, periculosa, eo magis artifici providendum, ne in alterutro delinquat, sed potius accommodata diæta ac regimine, & congruis tam internis, quam externis præsidiis, alvinæ excretionis successum perite moderetur. Hinc ubi alvus subducenda, neutiquam drasticis, acrioribus & stimulantibus utendum, sed leniora propinanda, mannata scilicet, tamarindinata, tartarea atque nitrosa, cum clysteribus lenientibus ac oleosis. Neque etiam dejectiones, licet nimiæ videantur, adstringentibus, opiatis & narcoticis vi sunt comprimendæ, ac potius blanda diaphoretica fixiora, mitigantia, cum aliquot granis nitri, vel uno & altero corticis chaccarillæ, necnon succino præparato, vel floribus sulphuris & dimidio grano theriacæ cœlestis, omne ferunt punctum.

& nimia compescenda.

CAPUT XV.

De crisibus & criticis diebus in experientia rationali fundatis.

§. I.

Ad prognosin referenda crisis. AD prognosin medicam, sive judicium de morbis, præsertim acutis, eorumque fausto vel infausto eventu ferendum, referenda etiam doctrina de crisibus, a plurimis Veterum maximi habita & passim in scriptis celebrata, a multis vero Recentioribus, quibusdam etiam Priscorum, partim in dubium vocata, partim neglecta. Primus autem omnium qui de crisi scripto mentionem fecit, est vetustissimus medicinæ antistes *Hippocrates*. Is enim serio inculcavit, septimi cujusvis & dimidiati septeni diei, in acutis morbis medico rationem esse habendam, eo quod iisdem per sudorem maxime, alvum aut hæmorrhagiam, a natura instituantur excretiones, quarum successu absoluto, ipsæ febres demum solvantur. Et hos dies vernacula sua criticos, sive decretorios, nuncupavit, quia judicium de morbi eventu ferrent. Per crisin vero, quod vocabulum erat κρίσιμον priscis vel noxiorum e corpore excretionem, (qui *Hesychio & Suida* auctore, notante *Langio lib. 1. ep. 37.* τὸ κρίνειν, sequestrare & veluti per cribrum aliquid excernere, denotat) intellexerunt, vel ipsam morbi solutionem criseos nomine insigniverunt, (uti effert *Hippocrates l. 1. de præception.* κρίσις ἐστὶ πάθους μετάστασις,) vel etiam crisin pro ipsius naturæ motu & pugna cum morbo habuerunt. Alii quoque crisin judicium medici, quod format, vel formare debet ex morbi circumstantiis de ejus eventu, esse voluerunt.

quid per eam intellexerint veteres?

§. II.

Crisis septenarius semissis tenarioctonarius dicta. Ut autem genuinus crisеos sensus & criticorum dierum ratio eo luculentius pateant, ex his, qui multum iisdem detulerunt, maximeque *Hippocrate*, tanquam primo fonte hausta, adducemus præcipua testimonia. Primum esto quod exstat *de dieb. judicat.* §. 9. ita habens: *judicantur febres quarta die, septima, undecima, decima quarta, decima septima, & vigesima prima, quædam etiam trigesima, & quadragesima.* Et *Sect. 2. aph. 23. & 24.* crisеos successum sic conceptis delineat verbis: *acuti morbi in quatuordecim diebus judicantur, septimæ quarta index est. Alterius hebdomadis octava principium est. Considerandæ vero est undecima; hæc enim quarta est secundæ hebdomadis. Deinde rursus considerandæ decima septimæ; ipsa enim est quarta quidem a decima quarta, septima vero ab undecima.* Porro *li. 3. præsag. §. 7. & 8.* perite monet: *morbos advertere a prima die oportet, atque singulos dierum quaterniones observare, sic enim haud obscure scies, quo se conversurus sit morbus.*

Nam

Nam febres ardentes epidemicæ judicantur bono ordine in septem ac decem diebus. Huc etiam referenda, quæ *lib. de prænot.* §. 20. prodidit: *placidissimæ febres & signis securissimis nitentes, quarto die desinunt, aut prius, malignissimæ vero & signis horrendissimis oborientes, quarto die aut prius occidunt*. Eandem cum *Hippocrate* sententiam tuetur *Galenus*, qui integrum de diebus decretoriis concinnavit librum, in quo principes dies criticos vocat septimum, decimum quartum & vigesimum primum, ac in iisdem plures sanari, quam mori declarat.

§. III.

Ac fit cum excretione.

Septenos itaque & semiseptenos dies Veteres crisi dicarunt, quibus acutæ & continuæ febres in salutem terminentur. Ipsam vero crisin his diebus per excretiones, sudorem potissimum, alvum, vel hæmorrhagiam succedere idemtidem tradiderunt, omnesque evacuationes, quæ extra criticos hos dies contingunt, pro minus salubribus, sed symptomaticis censuerunt. Et de sudore quidem perspicuis id testatur verbis *Hippocrates* *vel per sudorem.* *Sect. 4. aph. 36.* sic scribens: *sudores febricitanti si inceperint boni, sunt tertia die & quinta, & septima, & nona, & undecima, & decima quarta, nec non decima septima & vigesima prima, porro vigesima septima & trigesima prima & trigesima quarta. Hi enim sudores morbos judicant, qui vero non sic fiunt, dolorem significant, & longitudinem morbi & recidivas*. Idem confirmat *Galenus de dieb. decretor. qui sudores*, inquiens, *manant diebus indicantibus, non criticis, laborem significant, & diuturnitatem morbi: nam judicatoria, non judicantia, aut sunt funesta, aut certe siniſtri judicii*. Ac in eodem libro de sudoribus extra periodos crisimos fluentibus sic prodidit: *in sexto judicantur ægri cum difficilibus symptomatibus & periculo non mediocri, imperfecte & obscure*.

§. IV.

Hæmorrhagiam aut alvi fluxum.

Perficitur vero etiam solenniter crisis per sanguinis stillicidium & alvi fluxum. De utroque in procinctu sunt testimonia. Nam de hæmorrhagiis criticis egregius est locus *Hippocratis lib. 1. epistol.* §. 115. *in febribus*, inquientis, *ardentibus populariter grassantibus, quibus bene ac largiter sanguis per nares erupit, per hoc maxime servabantur, & nullum novi, qui in hac constitutione mortuus esset, si recte sanguis profluxisset. In Philisco enim, Epaminone ac Sileno, quartæ ac quintæ die parum de naribus stillavit, & moriebantur. Sanguis autem plurimus erupit, maxime adolescentibus & in vigore constitutis, & talium plerique perierunt, quibus sanguis non erupit; senioribus vero ad morbum regium res devenit, aut alvi ipsis turbatæ sunt, aut dysenterici facti sunt*. De salubritate autem liberalioris alvinæ in morbis excretionis passim apud *Hippocratem* exstant effata, ut *Sect. 4. aphor. 28. Sect. 6. aphor. 17. Sect. 7. aphor. 29.* inprimis tamen huc referendum quod de febribus inculcat, dum *libr. de judicat.* §. 4. *ardentes febres biliosæ*, ait, *solvuntur plerumque septimo, aut decimo quarto die, sudore, aut alvo liberiore*.

§. V.

Crisin repudiarunt veteres quidam & recentiores.

Tam magnifice de crisi & criticis diebus senserunt *Hippocrates* atque *Galenus*, quorum tamen fidem subleſtam reddere & hanc doctrinam plane in dubium vocare haud veriti sunt antiquorum medicorum nonnulli. Hos inter primus fuit *Asclepiades*, qui teste *Cælio Aureliano libr. 1. cap. 14. pag. 37.* asseruit, non esse in passionibus statos dies, quos crisimos appellat, nec certo aut legitimo tempore ægritudines solvi. Idem cum *Asclepiade* professus est *Celsus libr. 3. cap. 4. est*, inquiens, *de diebus ipsis dubitatio, quoniam antiqui potissimum impares sequebantur, eosque tanquam tunc de ægris judicaretur, κρίσιμους nominabant*. Id Asclepiades *jure ut va-*

num repudiavit. Neque in ullo die, quia par imparve esset, ægris majus vel minus periculum esse dixit. Interdum enim pejores dies pares fiunt. Non nunquam etiam in ipso morbo dierum ratio mutatur, fitque gravior, qui remissior esse consueverat. Et paucis interjectis sic pergit; *Verum in his quidem antiquos tunc celebres admodum Pythagorici numeri sesellerunt; cum hic quoque medicus non numerare dies debeat, sed ipsas accessiones intueri.* Ex recentioribus *Comes de Flisco*, vanitatem criticarum periodorum adstruxit, *libr. de fato* perhibens: in praxi numerum hunc dierū non semper observari, & sæpius aliis etiam diebus crises fieri. Ut mittamus, quæ *Helmontius lib de tempor. it. de febrib.* nec non *Christianus Langius in Misc. nat. curios. & Faber in panchymagogo*, contra observationem crisium in medium attulerunt.

§. VI.

Nonnulli in Græcia tantum succedere putant.

Mitiorem hac de criticorum dierum existentia sententiam fovent ii, qui licet non penitus eosdem negent, autumant tamen, in Græcia tantum, minus in nostris regionibus, succedere crises. Hunc in sensum scribit *Waldschmidius fundam. medic. pag.* 113. *nihil opus, nos adeo curiosos esse debere in caussis crisium rimandis, quum in nostris regionibus & nostro hoc tempore, tales crises non amplius fiant, nec prædictiones nostræ in morbis acutis adeo certæ, nec indubitatæ fidei, prout apud* Hippocratem *inveniuntur.* Eidem sententiæ pollicem premit *Eustadius de die astronom. in nostræ*, inquiens, *Germaniæ regionibus, & præsertim sub nostro polo & in solo nostro, rarius crises perfectæ ad salutem veniunt.* Et *Hollerius comment. in aph. Hippocr.* testatur, in frigidis & borealibus regionibus rarissime exspectari criticas exactas evacuationes. Neque ab his dissentire videtur *Baglivus Prax. pag.* 140. asserens, in Græcia perfecte succedere crises in acutis morbis, non vero ita in nostris septentrionalibus regionibus, idque adscribendum putat aeris puritati & tenuitati illius regionis & adjacentis orientis valde elastici, quum noster aer aqueis & crassis impuritatibus fœdatus, humores quoque corporis magis impuros faciat, ut ad debitum crises, sive despumationis officium, nunquam pervenire possint.

§. VII.

Quid per experiētiam ōstet de crisi.

In hisce tam diversis auctorum opinionibus & objectis tot difficultatibus, non expeditior ad veritatem inveniēdam via, quam ipsa experientia (quæ facta ingenue fistit, ac optima veritatis & ratiocinationis medicæ parens est,) duce patet, prudenter in consilium vocatis observationibus practicis. Quare in exponenda hac crisium ratione ac natura, instituto me apprime satisfacturum confido, si, exuto omni auctoritatis præjudicio, ea, quæ per institutum, a quadraginta & quod excurrit annis, artis exercitium, mihi iterato de febrium solutione, quomodo? & an certis ac statis diebus eadem contingat? innotuerunt, candide tradam, & postea rationes adæquatas subjiciam. Scilicet frequentius observavi, febres quasdam viginti quatuor horarum spatio perfecte terminari, quas Veteres ea propter dixerunt ephemeras. Synocham mitiorem quarto, graviorem septimo die, vel per narium stillicidium, cum proclivitate ad somnum, vel per largum sudorem cedere; ardentes vero & biliosas febres, causos dictas, nisi funestum sortiantur exitum, utplurimum tertio vel undecimo die, liberali sudatione, plerumque cum alvi fluxu, ad finem pertingere, expertus novi. Ipsæ tertianæ sæpius intenso cum æstu aggrediuntur; circa tertium autem & quartum diem remittit insultus, ac in intermittentis typum transit. Complu ries quoque, & maxime anno 1710. Berolini observavi catarrhales & epidemicas febres cum gravibus symptomatibus ingruentes, quarta autem die

in ephemera.

synocha.

causos.

tertianæ.

catarrhalibus.

die solutas, excretione facta pustulari circa nares & labia, cum sudore pruriginoso.

§. VIII.

Pleuritide vera & peripneumonia.

In pleuritide vera & peripneumonia leviori, inter tertium & quartum diem per tussim cum levamine ejici materiam cruentam, hanc in junioribus & sensibilis naturæ septimo, in adultioribus vero & ubi inflammatio paullo profundior, demum circa decimum quartum diem, inflammationis sequi discussionem, cum largo sudore & liberali screatu, respiratione quoque liberiori, idemtidem experientia compertum habeo; edoctus id crebrius, quum Mindæ Westphalorum, ubi morbus quasi endemius, artem primum factitarem. Pleuritidis autem spurię & hepatitidis decursus atque solutio, plerumque septimo, vel undecimo die, per sudorem, aut alvi profluvium, multoties a me annotata. Febris quoque erysipelacea, quæ sæpe cum gravibus symptomatibus, horrore, trigore, vehementi æstu, interdum etiam delirio invadit, intra diem tertium & quartum conquiescit, amandata ad summam cutim materia acri biliosa, cui nonnunquam tumor glandularum inguinalium jungitur. Qui de pestilentia vera scripserunt observatores, confirmant, febrem pestilentem nonnisi erysipelaceam malignam esse, ac in ea salutis præbere indicium, quando circa tertium, quartum, vel etiam septimum diem, in partibus carnibus carbunculi, aut in glandulis bubones, apparent.

Pleuritide spuria & hepatitide erysipelacea.

& pestilenti febre.

§. IX.

Variolis morbillis.

Vix tamen ullo in morbo tam conspicua sunt critica tempora & naturæ ordo, quam in variolis. Hæ enim eodem modo ac morbilli cum truculentis symptomatibus adoriuntur plerumq; quę facta circa dimidiatum septimum exanthematum eruptione, una cum febre eximie remittunt, idque durat in variolis ad septimum usque, quo succedente primum in facie, postea in pectore, brachiis & manibus ac demum infimis partibus suppuratione, febris denuo accenditur sic dicta secundaria, quæ ad undecimum usque diem protrahitur, & donec pustulæ, eodem ut suppurari inceperunt ordine, a suprema ad infimam corporis regionem siccentur, ac demum frustulatim decidant. Et sic in salutem decurrit variolarum morbus, ubi vero vires ferendis symptomatibus non sufficiunt, nono vel undecimo die lethalis accidit catastrophe. Aliud periculosum exanthematum genus sunt petechiæ, quæ quarto, vel septimo die, in corporis cortice comparere, & prodeuntes levamen cum liberiori respirationis succesu inferre solent. Tandem multiplici quoque experientia perspectum teneo, febres multas epidemice grassantes continuas putridas, petechizantes, solvi & salutarem sortiri eventum circa undecimum diem per copiosum alvi profluvium: de quo pluribus egi in *dissertat. de diarrhœa in febribus malignis salutari.*

petechiis.

continuis & epidemicis.

§. X.

Crises etiam extra septenos dies contingunt.

Quamvis igitur nihil dubii sit, quin in nostris etiam regionibus, in febribus præsertim acutis, septenarius dierum numerus, magnas mutationes in morbis adducat, ac eodem non modo symptomatum, sed & totius morbi cessatio, cum evacuationibus incipiat & successive absolvatur; nihilominus tamen non semper circa septenos dies crises, sive mutationes in pejus, vel deterius, sed extra dies quoque hos decretorios, paribus scilicet, octavo, decimo & duodecimo contingere, per experientiam constat. Potissimum in hominibus plebeiis, rusticis, simplici & populari victu fruentibus, & qui neque inordinata vitæ ratione, neque affectuum impetu, sanguinis massam impuram reddiderunt, parum quoque medicamentis utuntur, crises cum sufficienti evacuatione perfectas fieri, idemtidem a nobis observatum est. Pariter multiplici experientia confirmatum

Quibus maxime solennes?

quibus minus?

tum teneo, hos, qui corpore prædito teneriori cum cute valde perspirabili, naturæ agilioris & sensibilioris, ætate juvenes vel viri sunt, & febribus acutis, inflammatoriis & ardentibus laborant, citius crises, quibus morbus ad salutem, vel mortem, terminatur, experiri, quam ii, qui torpidiores natura, temperamento phlegmatici ac succulenti, quippe qui diutius cum morbis conflictantur, protracto ad tres & longius septimanas, febrium discessu.

§. XI.

Non omnis larga evacuatio, Monendum vero, quod non omnes largæ evacuationes, præsertim, quæ per cutem diebus ordinariis criticis succedunt, salutem spondeant, sed illę tantum, quas symptomatum notabilis remissio, pulsus duri & celeris in molliorem & sedatiorem mutatio, liberior & minus anxia respiratio, animus erectior, urina crassior consistentia cocta, corporis quies, somnus placidior, ac ut verbis *Hippocratis Sect. 2. aphor. 13.* utar, nox placidior, comitantur & consequuntur. Nam ali-

aut symptomatum remissio crisis. quot certe ipsis criticis diebus, sub largis sudoribus occumbere vidi. Neque etiam omnis pathematum remissio, quæ sæpe etiam diebus paribus accidit, crisis censenda, sed ea tantum, cui arteriarum motu magis naturali & respiratione liberiore facta, evacuationes aut junguntur, aut postea accedunt.

§. XII.

In crisi cognoscenda circumstantiarum, Et certe præclare monet *Galenus lib. 1. de dieb. decret.* quod crisin cognituro noscenda sit ætas, natura, anni tempus, locus & pulsuum micatio. Sicut enim hæc omnia de crasi & mixtione humorum, nec non dispositione solidorum ad motus vegetos & promtos, aut imbecilles & tardos testantur: ita pro eorundem differentia, ipsæ non modo corporum naturæ variant, sed & operationes & effectus, qui in corporibus contingunt,

temporis, diversi comparent in morbis. Hinc perpetuæ fere observationis est, quod si sudores largi in febribus inflammatoriis, etiam exanthematicis, statim in principio & ante debitum eruptionis tempus manant, vel etiam materia variolacea ordinario termino citius expellitur, & exanthemata comparent, nec post eruptionē pulsus sedatior fit, signum pessimi præbeat ominis. Ego quoque frequentius annotavi, quod febres epidemice grassantes, sive catarrhales, sive rheumaticæ, sive exanthematicæ, sub ordinatis & constantibus anni constitutionibus prognatæ, staras magis & tempestivas obtineant crises ac solutiones, quam quæ præsto sunt, ubi aeris temporumque vicissitudines prę ternaturales admodum præcesserunt, quippe quæ non tam exacte servant tempora, sed difficilioris sunt solutionis, quod scite innuit *Hippocrates Sect. 2. aphor. 8. in constantibus*, inquiens, *temporibus, si tempestiva reddantur, morbi constantes & judicatu facillimi fiunt, in inconstantibus autem inconstantes & qui difficulter judicantur.*

& tempestatis ratio habenda.

§. XIII.

Crisis per imprudentem medicationem turbari potest. Deinceps medentum sagacioribus apprime cognitum est, ordinatos & criticos ad excretionem cum salute tendentes in febribus naturæ motus, imprudenti medicatione mirum turbari, perverti posse, ac plane impediri. Egregia sunt quæ hanc in rem affert *Prosper Martianus in comment. in lib. 2. de morb. Hippocrat. sect. 2. pag. 174. continuo*, inquiens, *medicamentorum refrigerantium usu propter febrem, incrassatis humoribus corporibusque densatis, spontaneæ evacuationes sæpe prohibentur, ut hæc non sit levis causa, cur nostris temporibus tam raro fiant crises, quæ frequentissimæ erant antiquis.* Neque minus luculentum est *Baglivi* testimonium, qui in *prax. pag. 254. mirari desinant*, ait, *practici, si hodie nec frequentes, nec perfectæ succedant crises, uti olim in Græcia, siquidem illi Græcarum legum vel ignari, vel obtrectatores, a principio morbi ad declinationem usque*

pur-

purgantibus, diaphoreticis, phlebotomiis, spirituosis aliisque imprudenter & intempestive exhibitis medicamentis, ægrotantes fere conficiunt; ideo impossibile est, ut humores per tam diversas remediorum seditiones distracti, ad criticæ despumationis negotium statu tempore disponantur, sed assiduis confusionibus agitati, loco crisεos perfectæ in metastases præternaturales desinant, atque hac de causa nec crisεos, nec dierum criticorum, nec aliorum demum naturæ motuum regulas ab antiquis traditas, in febribus observabimus. Quapropter exquisita nititur veritate, quod idem auctor *l. c.* tradit; rusticis, & qui medicorum opera non utuntur, crises per sudorem, alvi fluxus, aliasque naturę vias perfici, & motu prorsus ordinato fieri.

§. XIV.

Inprimis in variolis & morbillis.

In nulla vero ut supra meminimus febre, tam solenniter observatur crisεos successus, quam in exanthematica illa fere toti generi humano communi, variolarum nempe & morbillorum; interim non desunt, qui, quod certe mirum, sine ulla solida ratione illum negare audent, aut minimum eundem minus curant, quum tamen merito nobis in febribus sit crisis, quando circa statum quoddam tempus, cum notabili quadam evacuatione, vel etiam excretione per cutem, symptomatum fit remissio, immo cessatio, cum meliori pulsu & respiratione, quod certe post eruptionem variolarum & morbillorum conspectius obvium, licet postea tempore suppurationis nova secundaria febris, magis symptomatica, accendatur. Quare gravissimum utique in hoc morbo per imprudentem medicationem conciliatur ab ignaris damnum, dum vel nimis expellentibus & calido regimine intempestive instant, vel etiam in contrarium eruptionem cohibent nimis refrigerantibus, ut valde nitrosis, quorum alias præstantissimorum etiam nostro jam tempore pessimus passim invalescit abusus, ut per eosdem motus ordinatos salutares turbatos, multosque, qui revera potuisset servari, periisse, observarim. Quin omnes evacuationes in morbis criticæ, maxime tamen per sudorem, si supprimuntur imprudenter, vel minus sufficienter succedunt, morbi recidivas, vel pejorem priori, & solenniter febrem lentam invehere solent, de quo notandus *Hippocratis aphor.* 12. *Sect.* 2. ita habens: *quæ relinquuntur in morbis post judicationem, recidivam facere solent.* In exanthematica autem illa febre, quæ seculo abhinc nostris plane incognita, jam vero admodum familiaris, in expulsione materiæ causticæ ad corporis corticem critica, stati dies non tam certo observantur, symptomata tamen, quando eadem contingit, semper complacantur. Neque denique in recensendis observatis criticis omittendum, quod nulla dies in febribus continuis & acutis, etiam exanthematicis, maxime variolis, magis fatalis sit, quam nonus & undecimus, quorum alterutro plurimi occumbunt, utut reliqui etiam non omni careant periculo.

quin omnibus morbis.

purpura non servat crises.

Periculosi semper 9. & 11. dies.

§. XV.

Criticæ numero septenario adstrictæ mutationes.

Postquam igitur in conspectum ea produximus, quæ circa crises & dies criticos in certa experientiæ veritate ipsoque facto fundata sunt; nunc, quum nihil sine ratione sufficiente in rerum natura fiat, paullo curiosior incidit quæstio: cuinam scilicet causæ illa observatio, quod septenario numero, tam magna, vel in melius, vel deterius fiat mutatio, tribuenda sit? Veteres, quibus corporis nostri mechanico-organica structura, & rerum corporearum natura, proprietates & operationes, motuumque regulæ, plane erant incognitæ, naturæ, tanquam agenti cuidam & principio rationali omnia secundum ordinem, numerum, mensuram & tempus in corpore nostro producenti adscripserunt, in auxilium etiam vocatis cœlestium syderum, solis & maxime lunæ influxibus, quam Priscorum sententiam, plures etiam

non a principio interno.

etiam ex nostri sola credulitate sequi video. Sed qui in philosophicis erroneam per petitionem principii argumentationem norunt, & nihil in rationali explicatione & deductione, nisi quod clare & distincte concipi, definiri, vel sufficientibus argumentis probari & adstrui potest, admittunt, fictiones quoque a claris & distinctis conceptibus, sterilia nomina, a causis realibus distinguere didicerunt, minime hac philosophandi, quæ pigris, non vero sagacioribus ingeniis accommodata admodum, ratione contenti sunt, eo quod ex gratis supposito tali principio, nullum naturæ phænomenon commode explicari & intelligi potest, tantum abest, ut vel levissimus usus in applicatione ad praxin inde sperandus.

§. XVI.

Sed motibus in corpore.

Neque enim crisis pro actu quodam mentali aut ideali, quales quidem etiam dantur in corpore, haberi potest, sed potius pro mechanico, sive certo effectu motuum, qui fiunt in corpore nostro, a causis potissimum corporeis & physicis. Nam quia omnes in rerum natura effectus & mutationes, ad quas vita, conservatio, nutritio, mors, morbus, medicamentorum operatio & sanatio spectant, nonnisi a certis motibus dependent, quin a certa rerum corporearum figura, magnitudine, nexu, situ & vi agente, resistente proveniunt, & omnes inde resultantes effectus certum etiam gradum ac numerum, sive quantitatem motuum desiderant; necesse utique est, ut notabiles effectus certo quodam absolvantur tempore, quia hoc nihil aliud est, quã certus motuum sibi invicem succedentium ordo & numerus. Quod vero solennissimæ naturæ operationes in toto universo, & maxime microcosmo, potissimum ad septenarii numeri terminum, uti ex diversis ætatum periodis & annis climactericis, de quorum rationali explicatione egi peculiari dissertatione, patet, succedant atque contingant, clarissime sapientissimi divini opificis summam & infinitam in structura universi & præcipue corporis exhibitam artem arguit, eaque propter ordinati hi omnes septenario numero adstricti & comprehensi universales in sacris quoque obvii effectus, longe rectius a prima, una & infinita causa, Deo, quam a multis particularibus principiis rationaliter & moraliter agentibus, deducuntur.

ex summi opificis instituto derivanda.

§. XVII.

Et sic quoque crisium in morbis ratio reddenda.

Ut itaque clarum etiam ac verum conceptum habeamus de crisi in morbis, illa nobis nihil aliud est, quam morbi, & symptomatum successiva cessatio, quæ propter spasmum universalem illum, qui in febribus omnes nervosas & vasculosas partes occupat, maxime in emunctoriis resolutum & causam quæ ipsum produxit correctam, vel expulsam, contingit. Jam quum ipsæ febres acutæ, pro causa, vel stases sanguinis & humorum inflammatorias, vel humorem quendam causticæ corrosivæ indolis, partibus nervosis inhærescentem, habeant; ad stases vero sanguinis in vasis præternaturales expediendas & materiam causticam nervis inimicam corrigendam, & ab interioribus ad exteriora emovendam, certi partium solidorum motus & fluidorum appulsus requirantur: aliter sane fieri & res concipi nequit, quam ut certis etiam temporibus cessatio morbi & symptomatum sequatur atque eveniat, quam evacuationes liberaliores, remittentibus spasmis, per cutem, alvum, urinam, potissimum vero pulsus & respiratio melior, & magis naturalis, testantur. Quod si itaque hæc omnia non observantur, neque evacuationes junctæ sunt, certum indicium est, morbum, vel ejus causam, nondum per naturam, hoc est motus naturales, victam esse & subjugatam, sed ingens adhuc periculum corpori imminere, quod cum tempore semper ingravescit.

§. XVIII.

§. XVIII.

Porismata ex crisi practica.

Reddita sic crisium rationali explicatione, multo rectius nunc medicus de crisi Veterum perfecta, imperfecta, evacuatione critica salutari & symptomatica, judicare poterit atque decernere. Inde etiam ratio patebit, cur circa sic dictos criticos dies, rectissime monente *Hippocrate*, nihil moveri debeat, ne motus naturæ ordinati & salutares, quibus materiam peccantem per convenientia organa ejicit, turbentur, & ad alia incongrua loca non sine periculo divertantur. Denique prona quoque elucescet consequentia, evacuationes istas salutares, quibus partim materia, quæ morbum fecit, partim etiam noxii humores, qui sub ipso morbo geniti & accumulati fuerunt, excludantur, non imprudenter cohibendas esse, ne vel recidivæ, vel lentæ febres, aut aliæ chronicæ affectiones, ingignantur, sed potius eo respiciendum, ut, si motus evacuatorii paullo segniores sint ob debilitatem virium, roborantibus & analepticis iidem adjuventur ac promoveantur.

§. XIX.

Crises quoque præsto sunt in intermittentibus.

Quæ quidem omnia sicuti de febribus acutis, continuis & ardentibus in propatulo sunt: ita jam quæstio indagine haud indigna emergit: num etiam in intermittentibus febribus crises dentur? quod utique certo respectu affirmamus. Licet enim in iisdem dies certi & stati, qui etiam ad essentiam crisium non pertinent, minus obvii sint: ubi tamen solutio morbi & symptomatum successiva fit, junctis largioribus evacuationibus, ibi recte nostra sententia crisin fieri asseritur, eaque propter quum in omnibus paroxysmis febrium id eveniat, ac sub declinatione largi sudores fluant, urina cocta & cum sedimento appareat, non raro etiam vehementia symptomatum in tertianis per excretiones purulentas circa labia, item in quartanis per pustulas scabiosas & ulcerosas, humore quodam acri corrosivo a partibus interioribus nervosis ad exteriores propulso, mitigetur atque discedat, crises in iisdem contingere neutiquam erit negandum.

§. XX.

Nec non aliis chronicis morbis.

Neq; etiam in aliis chronicis morbis insolentes adeo sunt criticæ solutiones. Nonnulli enim morbi, quantumvis diuturni ac rebelles, ita sunt cōparati, ut cum die & tempore, maxime circa diversas novas ætatis periodos, sponte solvantur ac cedant. Ac de epilepsia quidē notum, quod infantili & juniori ætati quam maxime sit infesta, pubertatis autem tempore ac erumpente in virginibus mensium fluxu, sæpissime discedre soleat. Ut adeo experientiæ respondeat *aph.* 28. *Sect.* 3. *Hippocrat. plurimæ affectiones pueris judicantur partim in quadraginta diebus, partim in septem mensibus, partim in septē annis partim ad pubertatem accedentibus.* *epilepsia.*

Deinceps omnes dolores graviores, cephalalgia, cardialgia, atroces colici, nec non paroxysmi epileptici & spasmodico-convulsivi, crises suas servant, quibuscum complacantur. Ipse porro crebrius observavi, quod graves nervorū & capitis morbi, motus convulsivi ac epileptici, item vertigines & insaniæ, quin pathemata spasmodica, quę hypochondriacam melancholiam referunt, propulsi ad corporis superficiē purpuraceis efflorescentiis, aut erumpentibus pustulis ulcerosis, felicissime terminentur, præsertim si medicus congrua medicina salutarem hanc crisin prosequatur ac tueatur. Nam sæpius hi morbi a caustica quadam scorbutica materia, nervosis partibus firmiter inhærescente, natales ducunt, quæ, si ad exteriores partes robore naturæ amandatur, graves istæ internarum partium affectiones conquiescunt. *Sennertus* quoque, *Rhodius*, *Tulpius* & *Pechlinus* multa consignarunt exempla, maniam, melancholiam & epilepsiam, diarrhœa, excretionibus cutaneis & abscessibus discessisse. Sopores profundos, vertiginem, mentis turbationem, nec non asthmata convulsiva, accedente dolore

doloribus

nervorū & capitis.

dore podagrico, vel erumpente hæmorrhoidum fluxu, judicatos fuisse ac penitus sublatos, sæpius vidi. Hydropem anasarcam, oborta spontanea diarrhœa, *Foreſtus lib.* 10. *obſ.*31. & largissima narium hæmorrhagia *Hildanus Centur.*1.*obſer.*50. sine medicamentis subsediſſe ac evanuisse, testantur. Et quæ plura hanc in rem facientia, in superioribus jam *cap.*8. *&* 9. nec non antecedente 11. ac 12. sparsim inseruimus.

CAPUT XVI.

De certis imminentis in morbis periculi, ipsisque mortis indiciis.

§. I.

Prognoſis utilis & neceſſaria.

QUamvis non negandum sit, nobilem illam de morborum decursu & maxime eventu perite judicandi scientiam, non directe ad finem artis obtinendum pertinere: nullum tamen dubium est, quin eadem utilis admodum & scitu necessaria sit, & quam maxime ad evincendam certam artis nostræ rationem ipsiusque medici existimationem servandam conferat. Nam præclare pro more suo *Hippocrates*, artis prognosticæ facile princeps, statim in limine *prænotionum* tradidit: *Medicum prænotionem adhibere optimum esse mihi videtur. Prænoscens enim & prædicens apud ægrotos, & præsentia, & præterita, & futura, & quæ ipsi ægroti delinquunt exponens, fidem utique fecerit, quod ægrotorum res magis cognoscat: quare audebunt homines seipsos medico committere.* Idem *lib. prædict. Sect.* 3. inculcat, *in prædictionibus* inquiens, *medici illius probe memores esse debent, quod si cui succesſerit prædictio, is apud ægrotum intelligentia præditum admirationi fuerit; si vero quis aberraverit, supra hoc quod hodie habetur, fortasse etiam insanire videbitur.*

§. II.

Ardua tamen & difficilis.

Dolendum modo, excellentem hanc & divinam fere in morbis præsagiendi scientiam, tam arduam, tam infidam, incertam & dubiam deprehendi, ut non immerito judicium de morborum eventu ex vero formandum sit in difficillimis, & medici etiam periti sæpissime in hoc delinquant. Nam quia Veteres non ex integris morborum historiis, sed paucis duntaxat circumstantiis, regulas prognosticas desumserunt; neutiquam certe mirum est, parum certi iisdem inesse, ac easdem sæpius experientiæ non respondere. Accedit, quod, quum primi medicinæ auctores, neque vitæ, neque morborum, aut mortis, in quo posita sit, naturam & rationem intellexerint, structuræ quoque corporis humani atque ex ea pendentium motuum plane ignari fuerint, ex observationibus etiam plenis veras causas & notas futuri in morbi eventus, convenienti & rationali modo elicere haud potuerint, sed potius etiam hanc artis nostræ partem empyrice tantum coluerint, eaque propter symptomata, sub quibus aliquoties ægros mortuos observarant, pro funestis illico declararint, quum tamen eadem pro diversitate corporum, morborum, regionum, morbi etiam temporum, mirifice varient, ut hinc derivata prognostica præcepta rarius veritati & experientiæ sint consentanea. Recentiorum autem quamplurimi vix alia incedunt via, & simul ac artem salutarem opificii instar addidicerunt, ad ejus exercitium, minus instructi iis subsidiis, quæ rationalem efficiunt medicum, properant, aut statim inter initia morbi præcipitanter nimis, antequam certas notas habere possunt, judicium interponunt, eaque propter non possunt non in prognosi formanda graviter delinquere & falli, ut tanquam moribundum deserant, qui postea convalescit, aut vicissim vel juramento, ut novi, fidem faciant, convaliturum, qui elapsis vix aliquot horis, occumbit.

§. III.

Sed quo magis difficilis & ardua hæc

hæc præsagiendi ars est, eo magis laborandum medico, quo eandem addiscat, & potissimum certa ratione & experientiæ subnixa imminentis in morbis signa, acquirat, de quo etiam non est quod desperemus. Nam illud negari nullo modo potest, omnes eventus, sive ad salutem, sive interitum referendi sint, a certis, adæquatis & proportionatis caussis proficisci, nec sine his contingere posse. Quod si itaque caussas, cur æger necessario ex morbo mori debeat, quis probe noscat; nullum sane est dubium, quin ex earum præsentia futurum interitum conjicere possit atque prædicere. Vicissim quando artifex exacte callet, quo modo, quo tempore, quibus viis aut excretionibus morbus solvatur, & æger ad sanitatem traducatur, ex his utique confidenter & cum certa ratione de salute futura judicium promere poterit. Proinde quum in superioribus, & maxime capite quarto, genealogiam caussarum, quæ sanitatem immediate pervertunt, & proxime antecedentibus ea, quæ de cognoscenda morborum ex variis signis solutione, scitu necessaria, solide & rationali modo exposuerimus: expedita jam via est ad eruenda ac sistenda futuri in morbis vitæ discriminis signa atque indicia, quibus tuto in edendo præsagio inniti queat artifex.

Addiscenda tamen ex certis signis.

Instituti ratio.

§. IV.

Quod igitur ad morbos acutos, sive febres attinet, ex antecedentibus, ut notum supponimus, in quavis harum duplicem obvium esse motum, probe invicem discernendum, alterum summe pernicialem & vere morbosum spasticum, qui a circumferentia ad centrum tendit, alterum salutarem, post spasmum a centro ad circumferentiam directum, cujus beneficio exitiales illæ spasticæ partium strictura laxantur, inflammatoriæ stases discutiuntur, & tubuli excretorii, stricti antea & clausi, felicissime adaperiuntur. Jam quicunque binorum horum sibi oppositorum motuum genium, potentiam, effectus, & mutuas eorum actiones & relationes penitius novit, is utique magna cum ratione & prudentia in omnibus agere, pericula prudenter prædicere, & faustos eventus quam optime prænunciare poterit. Nam si infesti spasmi ac inde dependentes inflammationes, congestiones ac stases sanguinis, a motu calido resolutorio febrili, certo interposito tempore, non digeruntur ac discutiuntur, sed firmius persistunt, in proclivi est judicare, demum succubituram naturam, putredinem insequuturam ipsamque mortem certo futuram; id quod eo magis metuendum, quando spasticæ strictura circa dies criticos, corpore a morbo jam debili reddito, non conquiescunt, sed potius incrementa sumunt.

De indiciis periculi in acutis, sive febribus.

in genere.

§. V.

Ut autem lethiferi spasmorum effectus eo clarius innotescant, breviter strictimque indicia exponemus haud fallacia, e quibus de illorum præsentia ac vehementiæ gradu conjiciendum. Tenendum igitur, exitiales has spasmodicas strictura, non unam, sed plures in corpore, cum majori, vel minori discrimine, adoriri partes, eaque propter prout partes variant, variis quoque dignosci signis. Nimirum quando rigor cum frigore circa morbi vigorem observatur, vel sæpius recurrit, si corpus non æqualiter molle, sed durum, calidum & asperum est, si exanthemata retrocedunt, vel tantisper absconduntur, exteriora horrent & frigent, fonticuli quoque vel ulcera antea manantia siccantur; nihil boni portendunt, sed summum mortis periculum minantur, quia propter spasmos in superficie corporis, sanguinis & humorum motus ad interiora coactus, pessimas inflammatorias congestiones facile suscitat, & impedit, quo minus morbida materia perspiratione corpore possit expelli. Pergunt quoque in acutis spasmi plerumque ad excretorium emissaria, uri-

Indicia ex

spasmo cutis.

& excretorio.

narios nempe tubulos & ani ostium, ut urina tenuis aquosa reddatur & alvus plane dura, tensa & occlusa sit. In quibusdam etiam, ob urgentem reciprocam strictúram, frequens mejendi & desidendi adest stimulus.

§. VI.

Fibrarũ cordis & tunicar. arteriarum. Longe gravius periculum imminet, si quando spasticæ contractiones interiores ac nobiliores, quæ motibus vitalibus vacant, partes infestant. Nam pulsus parvus, contractus, celer & durus, item inæqualis & intermittens, non aliunde, quam a spastica & convulsiva strictura nervorum, qui cordis fibris & tunicis arteriarum implantantur, proficiscitur, & semper in statu morbi plurimum periculi portendit. *nervorũ pneumonicorum.* Ejusdem notæ respiratio crebra, anxia & difficiles est, ubi in critica tempora incidit; quandoquidem sicut sapienti *Hippocratis* effato *in prognosticis*, facile spirare magni momenti est ad salutem in omnibus morbis, ita crebrior & ægra spiratio in acutis, minus fausti semper est ominis. Nervis præcordialibus spasmo affectis, summæ urgent anxietates, inquietudo corporisque jactatio, ac ægri crebrius lectum situmque mutant. *œsophagi & ventriculi.* Oesophagi & ventriculi membranæ nerveo-musculares quum stringuntur, vomendi adest conatus, potus regurgitat, non infrequenter e faucibus limpidum serum stillat, deglutitio difficulter perficitur, ac inexhausta sitis, cum oris & linguæ ariditate affligit, quibus rapto in consensum simul duodeno, flavus corporis, maximeque faciei color jungitur.

§. VII.

In universo nervoso genere. Ubi vero atrocia spasmi latius diffunditur, ac universum nervosum genus graviter concutit atque convellit, ad ultima jam ventum esse indicio sunt nares acuminatæ, tempora collapsa, aures frigidæ & languidæ, oculi concavi, cutis circa frontem dura ac tensa, color fuscus aut perpallidus, quibus facies Hippocratica, certus mortis nuncius, describitur. Huc quoque referenda nervorum distensio, quæ semper in acutis terroris & periculi plena, juxta *aph. 6. Sect. 4.* ac potissimum cognoscitur, quando æger supinus cubat, genua contrahit, pronus subinde ad pedes ruit, brachia & pedes nudos exporrigit & inquietus jactitat, ungues ac digitos pallidos habet, manibus floccos legit fimbriasque diducit, vel in vicino pariete, si qua minuta eminent, carpit, quibus si demum tendinum subsultus accedunt, hora adest decretoria.

§. VIII.

Signa inflammationis feralis. Quamvis autem plurimi ex acutis morbis ex inflammatione interna primam trahant originem, eaque propter periculo non careant; sæpissime tamen in ipso vigore morbi novæ superveniunt, vel in ventriculo, vel cerebri membranis inflammationes, quæ nunquam non gravissimi sunt discriminis ac mortis prænunciæ. Atque hæ inflammationes, sive alterutra earundem, sine ambę simul adsint, non modo in malignis, petechialibus, contagio infestis & castrensibus febribus, sed & in aliis acutis, synochis, ardentibus, purpuraceis, variolis & morbillis, circa septimum, nonum, vel undecimum diem accedentes, ægrum certissime perimunt. Et stomachi quidem inflammati signa sunt, quando intensus æstus & ardoris exquisiti sensus, cum acuto circa præcordia dolore urget, & circumscripta ibi regio tactu durior percipitur, extrema algescunt, summa anxietas & inquietudo affligit, sique omne, quicquid vel medicamenti, vel potus assumtum, aut protinus vomitu rejicitur, aut retentum maximam creat molestiam, ipsamque anxietatem adauget. Quandoque tam late inflammatio serpit, ut per œsophagum ad ipsas fauces propagetur, quæ inde ardentibus dolorificis pustulis obsidentur, & viscido corrupto muco jugiter obducuntur, ex quo mortis præsagium petendum. Periculosior hac, licet sæpius ipsi jungatur, est illa mortem brevi

in ventriculo.

& cerebri mẽbranis.

ante-

antecedens membranarum cerebri inflammatio, Græcis phrenitis dicta, quæ plerumque assiduam & pertinacem vigiliam impensumque capitis dolorem excipit. Hanc futuram rigor, urinæ copiosæ ac tenues, aurium tinnitus, fortis pulsatio in capitis interioribus, & paucæ stillantes e naribus sanguinis guttæ nunciant: præsentem autem produnt oculi rubicundi, scintillantes & torvi, mentis alienatio, sermo inconditus, male cohærens, lacrymarum involuntarius sæpe effluxus, dentium stridor cum abolita humidi apparentia, quæ si convulsionibus demum stipantur, mortis ferunt significationem.

§. IX.

Malignitas ex quo cognoscenda.

Atqui hæc sunt præcipua pathemata & signa, quæ vitam in discrimen adduci in acutis testantur, obvia maxime in iis, qui temperamento cholerici, sanguinei vel sanguineo cholerici, ætate juvenes, & viri exquisitiori sensu præditi, ad iram proclives, habitu corporis macilenti, & qui spirituosis nimium indulserunt. Secus vero evenit in his, qui succulenti & spongiosi sunt corporis, phlegmatici, ac vires vel per morbos, inediam, aut diuturnam mœstitiam, vel enormes sanguinis profusiones perdiderunt. Nam hi non tam per vehementes spasmos & gravia dolorifica pathemata jugulantur, quam potius ex motuum imbecillitate atque defectu, partiumque atonia mortem oppetunt, & ad stagnationes ac stases sanguinis atque humorum statim in principio in putridam corruptionem inclinant. Et licet sic dispositi ægri non sine ventriculi & cerebri membranarum inflammatione pereant: hæc tamen non tam gravibus spasmis & symptomatibus stipatur, sed sub mitiori insultu in corruptionem concedit. Hinc quia morbus plerumque lenioribus incedit symptomatibus, sæpius medicis imponit, ut in præsagio ferendo fallantur, quum tamen ob occultam perniciem eo difficilioris sit judicii, eoque majorem foveat malignitatem. Cognoscuntur autem maligni ejusmodi morbi his indiciis: cum levi frigore & horrore accedunt, vires statim mirum prostratæ sunt, pulsus languidus & frequens simulque contractus micat, in situ erecto facile animo deficiunt ægri, somnus nullus, perpetua tamen ad eum adest inclinatio, & si obrepit, major virium postea percipitur languor, & mens ipsa emovetur, decumbentes de nullo dolore, siti, vel magna molestia conqueruntur, inquieti tamen sunt & sese jactitant, sique demum extrema algescunt ac pulsus deficere incipit, nec in carpo amplius percipitur, lethalis imminet catastrophe.

§. X.

Transitus inflammationis in sphacelum indicia.

Quumque porro omnis inflammatio demum in necrosin sive sphacelosam putredinem transire soleat: noscenda quoque sunt signa, quæ factum hoc esse subindicant. Ac tum quidem internus frigoris percipitur sensus, dolor acutus antea & acerbus, circa caput vel inferiores partes, subito conquiescit, mens delira quodammodo ad se redit, virium vero defectus increscit, pulsus penitus deficit, vel valde inæqualis, angustus & intermittens est, alvus strictura laxatur & vel præter voluntatem fertur, vultus fœdus ac pallens comparet, tempora, cervix & pectus gelido sudore madent, extrema corporis frigescunt, borborygmi ac sonitus in ventre exaudiuntur, & liquida immissa sonitum quando descendunt emittunt, *als wenn sie in einem hohlen Topf fielen*. Quæ omnia si præsto sunt, mortem adesse manifesto produnt, eo quod ob sphacelum vires sumentem, partium atonia & virium lapsus adeo increscit, ut omnis in corpore motus, & cum eo vita, exspirent.

§. XI.

In pura pura alba.

Sunt vero adhuc alii affectus, qui & inflammatione, & atrocioribus spasmis perimunt, in quibus non minus instans vitæ discrimen ex obviis phæ-

nomenis conjici potest. Nimirum febris cum purpura alba, quæ lymphæ valde vappescentis & corruptæ soboles est, si in fine associatur aliis acutis febribus, item variolis, morbillis, vel etiam in puerperio post lochia suppressa accedit, nunquam periculi expers est, ac utplurimum per inflammationem interiorum partium, præsertim ventriculi & intestinorum, necat. Funestum autem suggerit indicium, si æstum præcordiorum summamque anxietatem internus frigoris sensus, cum pulsu parvo, debili & inæquali excipit, purpura disparet, animi defectio, mens turbata & spi-
variolis. ratio difficilis adsunt. Eundem in censum referendę variolæ, quæ ubi statim primis diebus cum gravi dolore lumborum & delirio ingruunt, & præmature secundo mox die exanthemata, in cute aspera instar purpuræ cum maculis, comparent, ac die quinto & sexto, post plenam eruptionem pulsus non sedatior fit, sed celer micat, totumque corpus pustulis obsitum est, raro quenquam in juvenili ætate evasisse scio. Neque minus periculi metuendum, ubi circa nonum diem gravissimus ex suppuratione dolor accedit, qui sæpissime omnia, quæ salutis spem ostendere videntur, pervertit atque immutat. Hic enim ardente sua vehementia, universum genus nervorum spasmis afficiens summas parit anxietates, corporis jactationem, pustularum subsidentiam, donec respiratio difficilis, mentis turbatio, convulsio, pulsus languidus, parvus supervenientes, brevi vitam eripiant.

§. XII.

Sumto veneno aut drastico. Quicunque a veneno vel validissimo emetico aut purgante sumto moriuntur, hos idemtidem inflammatio sphacelosa, teste anatome practica, e medio tollit. Mortis autem præsagium ferunt ardores interni & summæ anxietates, pulsus valde parvus & inæqualis, vel plane deficiens, cum sudore frigido, delirio & convulsione, quam a pharmaco purgante concitatam ipse *Hippocrates Sect. 7. aph. 25.* & passim alibi, mortiferam pronunciant. Qui ex dolore a calculo decedunt, in *dolore calculi.* his plerumque inflammatio lethalis ventriculi & meningum supervenit. Quod si enim vomitum & acutissimum dolorem febris sequitur, cum magna anxietate & siti vehemente, postea singultus & delirium cum extremorum frigore accidit, æger non diu amplius erit superstes. Illud vero atrociſſimum dolorum in *colica convulsiva.* intestinis genus, quod colicæ convulsivæ nomine notum, sæpius quoque perimit, dum intestinum rectum ob exquisitissimum sæpe ex stagnante cruore doloris sensum, & inflammatione & sphacelo afficitur, sub quo ex putrescente intestino fœtidissima prodeunt excrementa, pulsus frequens & debilis, cum summo virium lapsu, sequitur, & sphacelosa corruptio quandoque ad extremas partes ipsumque scrotum serpit, ut obrepente animi tandem defectione, mors ipsa succedat.

§. XIII.

Passione iliaca. In passione iliaca, ubi acutissimi infestant dolores cum contumaci alvi constipatione & vomitu assiduo etiam male olente accedente singultu, delirio, gelido sudore, extremorum frigore nervorumque distensione, certos adesse mortis prodromos censendum, observante id dudum *Hippocrate Sect. 7. aphor. 10.* sic perhibente: *ab ileo vomitus, singultus, convulsio aut delirium, malum.* Cholericus morbus quando stipatur impen- *cholera.* siori dolore & torsionibus, tam superius, quam inferius, magno impetu humores, præsertim virides, eliduntur, sitis vix extinguibilis urget, facies flavescit vel pallescit, & pulsus parvus & concisus deprehenditur, in ancipiti ægrum versari significant. Ubi vero arteriarum motus sensim gracilescit ac plane deficit, crura contrahuntur, sudor frigidus prodit, animoque liquuntur ægri, inflammationem in sphacelum

jam

jam concessisse indicia confirmant. Dysenteria quoque si languentem adhuc a priori morbo corripit, raro servatur æger, quia facilis tunc ad putridam corruptionem aditus, quam præsentem torminum acutissimorum subita remissio, exteriorum refrigeratio cum summa virium jactura indicant, futuram autem, singultus, cardialgia, præcordiorum æstus atque anxietas, pernicialis in ventriculo inflammationis signa nunciant.

Dysenteria.

§. XIV.

Accedunt signa, quæ suffocationem ipsiusque mortis periculum minantur, & antecedunt, conspicua in iis, qui gravibus pectoris morbis, angina, peripneumonia, empyemate, catarrho suffocativo, asthmate convulsivo, thoracis hydrope detinentur, ac tandem pereunt. Nam omnes hi affectus non modo liberum aeris in pulmones ingressum & ex iis egressum intercipiunt, sed & sanguinis per pulmonum vasa, ex uno in alterum cordis ventriculum, sufflaminant & tollunt, ac sic jugulant. Angina quidem, quæ musculos laryngis internos occupat, & Græcis cynanche dicitur, ubi neque in cervice, neque in faucibus, quicquam vel tumoris, vel ruboris, conspicitur, exquisitissimus tamen dolor ac vehemens febris affligunt, citissime per suffocationem necat. Actum quidem, ut verbis utar *Lommii observat. medicinal. lib.* 2. oculi vertuntur & rubent, & veluti iis qui strangulantur prominent, vox impedita nihil significat, & qualis catulorum est tenuis editur, os apertum hiat frigidi aeris cupidum, ex eoque spumans saliva movetur, lingua exseritur, potui datus liquor per nares remeat, ipse æger totus inquietus est, crebro e cubili exsilit, tandem vero strangulatu atque syncope oppressus perit. Ita etiam præfocatione occidit peripneumonia, in qua si nihil plane exscreatur, sed anxia adest spirandi difficultas & magna angustia, inquietudo, sputum intus in pectore strepit, pulsus inæqualis & intermittens ferit, alvus infirmis jam viribus sponte fertur, quod screatu operose ejicitur spumosum, modo flavum, modo cruentum est, continua simul urget vigilia, phrenitis jungitur, ægri cupidissime frigidam auram captant, proni & erecti cubant, & reclinati præfocari videntur, quinto, vel ad summum septimo die, certo jugulantur.

Signa periculosa.

in cynanche.

peripneumonia.

§. XV.

Qui asthmate sic dicto convulsivo, idemtidem suffocatione pereunt. Nascitur enim hoc malum plerumque ex hydrope thoracis, dum ruptis hydatidibus, humor effusus pulmonum impedit liberam expansionem, ut nec aer ingredi, nec sanguis per eos cursum conficere queat. Oritur quoque, ubi interior bronchiorum tunica, multis & magnis glandulis obsita, ita anguatur, ut nec spiritum in pulmonibus elidi, nec novum recipi patiatur. Quandoque convulsivus quidam spasmus tam fortiter bronchia concutit atque coarctat, ut ægri strangulatione misere intereant. Hinc in omnibus hisce afflictionibus summa anxietas & inquies cum tremula spiratione, pulsus inordinatus & inæqualis, nec non sibilus ac strepitus in pectore præsto sunt, ægri crebrius locum situmque mutant, & nihil nisi spumosi aut cruenti quippiam extunditur, tandemque inalgescentibus corporis extremis, syncope & suffocatione opprimuntur.

Asthmate convulsivo.

§. XVI.

Idem contingit in catarrho sic dicto suffocativo, qui maxime senes, imbecilles atque infantes perimit, ac plerumque paralysi nervorum pneumonicorum ortum debet. Trahitur in hoc pariter summa cum difficultate & anxietate spiritus, & quia bronchiis, secedente a sanguine humore viscido seroso, repletis, nihil tamen sputi ejicitur, aer admissus strepitum & ronchum in fistulis edit, donec præcluso penitus aere æger suffoce-

Catarrho suffocativo.

tur. Quod antequam evenit, pulsum aliquot sæpe ante horis intermittit, sensim gracilescit penitusque intercidit, nonnunquam etiam mentis turbatio cum extremorum frigore supervenit. Pari quoq; ratione phthisici, si ob *Phthisi.* virium plenarium lapsum humor purulentus, copiosus, in exesa ampla cavitate reconditus, non eliditur, sed exspuitio cessat, precluso spiramento, exspirant, ita tamen, ut periculum & funestus eventus diu ante colligi possit, quando totum corpus tabe consumitur, assidua hectica febris urget, genæ rubent, alvus nimis fluit, ungues pallent, pedes intumescunt, oculi concavi & nares acuminatæ apparent.

§. XVII.

In morbis chronicis ex corruptione viscerum.

Ex morbis autem chronicis eminent maxime hydrops, scorbutus, cachexia, marasmus, hectica & tabes, quorum periculum & futurus lethalis exitus pariter certis quibusdam signis potest dignosci. Scilicet qui iisdem decumbunt, lento gradu ad mortem procedunt, propter successive increscentem & latius serpentem viscerum ex humorum stagnatione & extravasatione corruptionem, quæ, quoniam nulla arte arceri aut persanari potest, certo mortem ingenerat. Indicia vero viscerum in inferiori ventre corruptorum adeoque sequuturi interitus sunt, appetitus penitus prostratus, cum fastidio etiam eorum alimentorum, quibus sani mirum delectati fuerunt. Deinde lenta febris si incrementa sumit, & pulsus etiam mane post somnum celer est, nunquam non internam corruptionem produnt. Denique summus virium cum respiratione difficili lapsus, somnus valde laboriosus & plus debilitans, quam reficiens, in pessimis sunt. Hæc enim si diutius affligunt, nullisque remediis mitescunt, certo mortem præsagiunt, maxime si corpora sunt senilia, vel ex morbo præcedente chronicis ejusmodi passionibus implicita.

§. XVIII.

Speciatim hydrope.

Quod speciatim ad hydropem attinet, si is post asthma diuturnum cordisque palpitationem, vel ex induratione hepatis post quartanam sequitur, ægrum non facile servari posse, confidenter pronunciandum, sique urina pauca, turbida & rufa redditur, omen est admodum periculosum, & simulac superiora contabescunt, facieq; flavescit, mortem aliquot mensis antequam accedit, haud dubie præsagire licet, quæ etiam certissime, febre aucta, & respiratione difficiliori reddita, sequitur. Pariter his, qui sæpius, & maxime post motum corporis & animi vehementiorem, gravem ac contumacem cordis palpitationem sentiunt, ac postea asthma convulsivum, hæmoptysin, aut hydropem incurrunt, diu mortiferum discrimen prædici potest. Nam horum omnium caussa polyposa in cordis vasis concretio est, quæ nulla ope sūmovenda, tandemque concursantibus aliis caussis, funestum ingenerat morbum, cujus periculum eo certius & gravius, si subito & sine manifesta caussa sæpe anima deficit, quod certissimam reddit polypi suspicionem, qui repentinam mortem inferre solet, confirmante id jam *Hippocrate Sect. 2. aph. 41. quisquis sæpe multumque sine caussa animo linquitur, is subito mori consuevit.*

§. XIX.

Cachexia.

In cachexia quando totum corpus intumescit ac pallidum fit, ciborum fastidium adest, & crebrior male olens vomitus urget, per alvum pauca feruntur, urina cruda & pauca secedit, spiritus difficulter trahitur, & e corpore adversus odor spirat, accedente postremo pulsu frequenti, mortem aliquot mensibus ante prænunciare licebit, quæ eo certius insequitur, quo ægrotans majora in victu nimioque potu errata admisit, vel diuturna animi mœstitia fatigatus fuit. Hepar, amplissimum illud abdominis viscus, *corruptione hepatis.* ubi mortifera corruptio occupat, fastidium cibi adest, maximeque carnium nausea, frequens & multa urit sitis, febris urget, vires prosternuntur,

tur, singultus quassat subinde diaphragma, vomitu quoque excutitur serum vel flava bilis, ipsumque corpus tabe penitus sensim macrescit, & sæpissime certe in his pathematibus defunctis, jecur sphacelosum plane nigrum sectione deprehendi. Pariter ventriculi exulceratio longum & lethalem adducit morbum, & cognoscitur, quum summa anxietas & vomitus cibum assumtum excipit, quæ oblata acri salina aut spirituosa medicina augescunt, corpus interim contabescit, pulsus celer jugiter vibrat, extrema rigent & quandoque horrent, fonticuli siccescunt & ad cicatricem ducuntur, somnus accisus est & laboriosus. Et his feralibus qui detinentur passionibus, tertio vel quarto plerumque post mense exspirant, ac diu ante mortis signa circumferunt.

& stomachi exulcerationc.

§. XX.

Cancro exulcerato nemo facile servatur, propter summam corruptionem, quam sanies nigra, tenuis, odore abominabilis prodit, & lenta febris cum virium defectu, somno anxio, laborioso vel nullo comitatur, donec ultimo animi defectio & mors sequatur. Porro accidit interdum, ut inflammationes in exterioribus partibus consistentes, cujus generis sunt erysipelata, podraga & chiragra, retrocedant ad interiora, & cito vitam eripiant, non alia ratione, quam inflammatione & sphacelatione ventriculi, aut intestinorum. Majus discrimen est, si in peste carbunculi vel bubones interiora repetentes disparent, vel non rite prodeunt. Hoc enim si contigerit, horrore æger concutitur, summa anxietate & inquietudine affligitur, æstus cum exteriorum refrigeratione regioni ventriculi insidet, ad vomendum est conatus, vel etiam singultus accedit, donec ultimo sub mentis turbatione & syncope, æger exanimetur. Qui ex nimia sanguinis profusione, ut infelici abortu, hæmoptysi, vomitu cruento, vel morbo nigro Hippocratis, aut gravi hæmorrhagia in febribus obeunt, ex animi quidem defectione & syncope pereunt; notabile tamen est, quod plerumque vehemens sitis, inclinatio ad vomitum & pulsus cum debilitate frequentia, nec non artuum distensio, præcedant, indicio, sanguinem in partibus interioribus, ventriculo & capite subsistentem, quosdam adhuc movere spasmos.

Cancro exulcerato.

retrocedente erysipelate &c.

carbunculis.

nimiis hæmorrhagiis.

§. XXI.

Supersunt signa mali ominis in partu ac puerperio, quibus plures fœminæ discedunt. Nimirum quando mulieres vel ob incongruum fœtus, præsertim grandioris, situm, continuis spasmis doloribus ac laboribus per aliquot dies assiduis, junctis simul ardoribus internis vehementissimis, quos pulsuum celeritas arguit, defatigatæ sunt, accidit sæpius, ut parturientes, vel partu brevi defunctæ, dejectis repente viribus, in forte animi deliquium, vel affectum apoplexiæ similem incidant, nullaque arte vel ope vires & vitam recipere possint. Hic autem affectus, ubi aliquot horas perdurat, nec penetrantissima medicina, qualis est spiritus salis ammoniaci, cum calce viva paratus & oleo rutæ essentificatus, naribus intrusa, anima revocari potest, lethi signum est. Si facies sub syncoptica hac affectione colorata manet, sanguinem ex vehementioribus spasmis impetuose ad cerebrum coactum, hoc apoplectico per omnia simile malum, produxisse subindicat, ac plerumque post obitum ex ore & naribus serum sanguineum fœtidum effluit. Sæpius etiam evenit, ut fœtus, exspirante sub partu matre, post mortem demum, ob relaxatas tum vias & interiorem fermentativum motum, foras ex utero mortuus pariter propellatur.

Parturientibus.

§. XXII.

Quæ in puerperio decedunt fœminæ, utplurimum ex retento impuro sanguine, qui enixo partu ex utero salutariter per aliquot dies manare solet,

Puerperis.

let, graves primum patiuntur dolores, quos, si non excipit effusio lochialis sanguinis, sed fluxus magis obstipatur, uteri plerumque inflammatio & febris valde exitiosa sequitur. Testatum facit febrilem hunc morbum incendium ab inferioribus locis usque ad cordis regionem vergens, cui si magna anxietas, virium prostratio, inquietudo, & omnis appetitus dejectio junguntur, postea sensus internus frigoris cum horrore accedit, pulsus frequens, parvus & debilis micat, visus quoque obscurari incipit, mortem ex sphacelo instare, haud dubia est significatio. Plurimæ ex puerperis integra mente obire solent, & licet hæc antea turbata fuerit, paucis tamen ante mortem horis sæpe ad se redit, ut imperitiores rem penitus in vado esse sibi persuadeant, pulsus tamen moribundus proximi interitus semper certus est index. Alia phænomena præsto sunt in puerperis, quæ ob nimium sanguinis post partum & in puerperio profluvium, pereunt, quippe tunc lentus cum pulsu frequenti & debili calor assidue urget, neque etiam mane post somnum sedatur, juncta præterea est inappetentia viriumque plenaria dejectio, & circa exitum puerperii, hoc est sexta post heddomade, syncoptica plerumque mors succedit.

§. XXIII.

Ac infantibus. Denique morbi, quibus infantes decedunt, utplurimum spasmodici sunt & convulsivi, inflammationem & sphacelum, præsertim ventriculi, intestinorum, aut capitis, inducentes. In teneriori enim ætate, ob dolores ex dentitione & abdominis ex lacte corrupto tormina acutiora, facilis in epilepsiam & convulsionem, febres quoque atque asthmata est lapsus. Quod si vero epilepticus paroxysmus unus alterum crebro consequitur, & alvus antea fortiter clausa, sponte jam dimittit excrementa, mirum fœtida & nigra, vox simul clangosa fit ac singultuosa, totumque corpus ardet, haud dubie augurandum, imminere funestum finem.

§. XXIV.

In formanda prognosi distinguenda] Hæc itaque sunt potiora & certiora signa, quæ in varii generis morbosis afflictionibus periculum, aut plane interitum nunciant: ita tamen comparata, ut in applicatione eorundem ad prognosin, magnum judicium, curata distinctio, omniumque circumstantiarum pensitatio accedere debeat, quo eventus formato ex iis judicio respondeat. Et primo quidem solicite distinguenda sunt pathemata, in morbis spasmodicis chronicis obvia, ab iis, quæ in acutis comparent. Nam sæpissime in hypochondriacis & hystericis ejusmodi truculenta occurrunt symptomata, quæ in acutis lethalem effectum minantur, in illis vero minus periculi alunt. Et primo *pathemata chronicorum & acutorum.* quid frequentius est, quam quod hypochondriaco & hysterico malo laborantes sub paroxysmis maximis anxietates, spirandi angustias, cum extremorum frigore & urina aquosa, pulsu existente debili & parvo, patiantur, quin plane vehemens animi deliquium persentiscant, quæ tamen omnia brevi remittunt, exspirant, & sine periculo transeunt.

§. XXV.

Tempora morbi. Deinde probe discernenda sunt morborum tempora. Nam ex omnibus, quæ modo attulimus indiciis funestis, si quædam, vel etiam plura sub initio & primis morbi diebus apparuerint, præcipitanter nimis ageret, qui statim mortem instare exinde judicaret. Alia vero ratio est, quando viribus nimio calore, vigilia assidua, inappetentia, anxietate, dolore, per plures dies infestante, fractis & exhaustis, funesti ejusmodi spasmi, & ab iis oriunda symptomata prodeunt, maximeque iis temporibus, quibus morbus alias salutariter solvi solet. Inprimis etiam primus impetus & vehementia morbi invadentis curate expendenda; quæ, si statim in principio vires dejicit, pul-

su

su valde frequenter feriente, nil boni portendit, sed potius imbecillitatem ferendo morbo imparem, succorum impuritatem & ad corruptionem proclivitatem, luculenter arguit.

§. XXVI.

Corpora. Porro exquisita etiam semper habenda est ratio corporum quæ ægrotant, & maxime perquirendum: utrum ex imbecillibus, an robustis sint? eo quod illa nunquam non in morbis magis, quam quæ robustioris & validioris sunt constitutionis, periclitantur, ac potissimum facili negotio ex doloribus vel inflammationibus sphacelo corripiuntur mortifero. Imbecillibus vero ratione ætatis, senes & infantes, ratione corporis structuræ, qui repleti multisque & exilibus vasis instructi sunt, annumeramus, neque minus eos, qui a parentibus debilibus ac morbosis procreati sunt, item, qui præcedente diuturno morbo, vel immodicis sanguinis profusionibus ac diuturna inedia, aut impenso animi affectu, mœstitia, cura & graviori meditatione, vires attriverunt ac consumserunt. Eundem quoque in censum referendæ puerperæ, & qui ex vitio diætæ aut vitæ regiminis, necnon excretionibus suppressis, ingentem impurorum succorum copiam sibi contraxerunt.

§. XXVII.

Et causſæ. Neque tandem omittendum, quod in signorum consideratione, studiose semper attendendum sit artificium a caussis quibusdam externis nocentibus, per iram, terrorem, corporis refrigerationem, aut cibum insalubrem, vel pharmacum vehemens & virulentę indolis, atrocia jam conspicua suscitata sint symptomata? Quæ quidem in morbis per se periculosis corporibusque infirmis, in vitæ discrimen ægros adducere, vel ipsam mortem accelerare possunt; in morbo vero minus ancipiti & corpore valente, non adeo extimescenda.

CAP. XVII.

De causſis mortem in morbis gignentibus.

§. I.

Mortis causſæ cognoscendæ. QUum princeps ac præcipuus salutari arti præfixus sit scopus, ut in curandis morbis, quibus ad interitum facilis & ordinarius fere est transitus, corpus a morte modis defendat omnibus, idque medicus cum certa, firma, & fundata ratione debeat: necesse utique est, quo proximas, & adæquatas mortis causſas, & quomodo eædem in & ex morbis gignantur, medentum quilibet studiose scrutetur atque pernoscat. Jam vero non melior magisque apta ad perquirendas, quæ mortem in morbis inferunt, causſas suppetit via, quam per dissectionem corporum morbis defunctorum, qua clarissime, quid mors & quænam formalis ejus ratio, vel sensuum ministerio, palpari potest ac perspici. Nimirum ex omnibus consignatis observationibus & historiis anatomico-practicis, planum fit atque testatum, mortem nihil aliud esse, quam sublatam penitus progressivam, & vasorum motionem, quam vel canalium, præsertim circa cor & pulmones, a polyposis concrementis obturationes, vel largiores seri, & sanguinis in cerebro aut nobilioribus aliis partibus extravasationes, vel succorum in partibus eminentioris usus nervoso-musculosis inflammatoriæ in sphaceloſam putredinem transeuntes stases, vel etiam putridæ viscerum corruptiones, proxime gignunt & immediate producunt. Quapropter e re utique erit, ut quæ ex his in variis morborum generibus post mortem deprehendantur causſæ ex fide dignis, qui instituerunt sectiones, auctoribus delibemus, & ea quæ fieri potest brevitate, hoc loco commemoremus; eum maxime in finem, quo medentes mortife-

quę sint in genere.

ras

ras has cauſſas congruis remediis tempeſtive averruncare, corpuſque ab interitu tueri poſſint, nec unquam imprudenti medicatione ad earundem geneſin quicquam conferant.

§. II.

Speciatim in apoplexia.

Incipiemus autem a funeſtis capitis morbis, quorum in numero potiſſimum apoplexia, lethargus, epilepſia atque phrenitis ſunt, & primo loco diſpiciemus: cur ſæpius ſani & robuſti, in optimo ætatis & virium vigore conſtituti, ex apoplexia tam repentina morte pereant? Et de hac quidem curatior eadem defunctorum anatome clariſſime confirmat, quod ſanguinis vel ſeri extravaſatio in cerebro ejus ſit cauſſa. Potiſſimum *Wepferus*, quo nemo majori ſolertia in hujus mali generationem inquiſivit, in eximio *de hiſtoriis apoplecticorum* libro, teſtatur, ſe ſemper fere effuſum ex plexu choroideo cruorem, in cerebri penetralibus reperiſſe. Deinde *Williſius lib. de anim. brutor. c. 9. p. 222.* refert hiſtoriam de juvene ſanguineo, plethorico & vino indulgenti, in cujus aperto capite, anterior cerebri cavitas ſanguine grumoſo cum ſeri copia impleta viſa eſt. Et *Warthonus in adenograph. cap. 2.* fidem facit, ſe in iis, quos apoplexia ſubito abſtulerat, ventriculos cerebri ſanguine refertos deprehendiſſe. Haud diſſimilis obſervatio legitur in *Miſc. nat. curioſ. Dec. 2. An. 10. obſ. 161.* dum diſſecto apoplectico, multum ſanioſi ſeri ex cerebro diffluxit, ſinus falcatus cruore turgidus & ventriculi lympha referti, fuerunt offenſi. Alius apoplexia interemtus, ut *l. c. Dec. 2. An. 1. obſer. 154.* proditum eſt, in ventriculis ſanguinem ſeroſum extravaſatum copioſum exhibuit, & grumos ſanguinis, ovi columbini forma, necnon quartus ventriculus cum infundibulo ſanguine turgidus repertus.

§. III.

Et quemadmodum apoplexia ob ſanguinem vaſorum alveis elapſum inducitur; ita in lethargo paralyſi & hemiplexia, quæ ſæpe diuturnis cephalalgiis, ſcorbuto aliiſque gravioribus affectibus chronicis, lethali eventu ſuperveniunt, ingens ſeri copia in cerebro conſpicitur. Sic *Williſius l. c. pa. 155* in cephalalgia diuturna ex lethargo demortuo, cerebri anfractus, tam exteriores, quam cavitatem internam, aqua limpida repletos offendit. Puer trium annorum, teſte eodem auctore *l. a. cap. 9. pag. 225.* poſt ophthalmiam & faciei exanthemata ſoporoſus factus, largam copiam limpidæ aquæ ſub meningibus ſtagnantis exhibuit, cujus copia etiam ventriculos & thalamos opticos implevit, eoſdemque comprimendo cæcitatem intulit. Ex cephalalgia ſcorbutica demortuum, ventriculos cerebri copioſiori & acriori lympha tam turgidos geſtaſſe, ut unciæ decem effluxerint. *Miſc. nat. curioſ. Dec. 2. An. 10. obſ. 3.* teſtantur. Paralyticum quoque ſectum, vaſa cerebri atro ſanguine quam maxime turgentia, & ventriculos largo ſero diſtentos oſtendiſſe, *Pezoldus obſ. 60.* auctor eſt. Idem confirmat *Harderus obſ. 34.* exemplo paralytici a longo tempore cachectici, quo poſt mortem ſecto, verſus ventriculos & prope baſin cerebri ac cerebellum, exundans ſerum occurrit, polypus quoque oblongus ex eodem loco extractus eſt.

Lethargo, paralyſi & hemiplexia.

§. IV.

Ex epileptico malo qui intereunt, in capite vaſa plerumque cruore turgida obtinent, & ſerum, quod a ſanguine ſeceſſit, in inferiore cerebri parte ſtagnans. Idem fit, quando quis ex phrenitide moritur, cui etiam funeſta epilepſia ordinario ſolet ſupervenire. Confirmat hoc *Harderus obſ. 34.* caſu epileptici quatuordecim annorum, qui ſanguine deducta habuit cerebri vaſa, protuberantibus inſtar veſicæ aquæ repletæ anterioribus ventriculis, equibus facta inciſione, ichor copioſiſſime profluxit, qui in tertia & quarta cavitate

Epilepſia & phrenitide.

te non minori quantitate delituit. Eandem in rem facit observatio *Willisii lib. de morb. convulſ. pag.* 504. ubi in femina, motibus convulſivis & epilepticis mortua, vaſa meningum adeo ſanguine farta fuiſſe narrat, ut quaſi tota ſanguinis maſſa in capite aggeſta viſa ſit, cerebri vero ſubſtantia humore aquoſo redundantius irrigata fuit, & ventriculi aqua limpida repleti. Similem hiſtoriam idem auctor *l. c. p.* 542. conſignavit de femina, pathematibus convulſivis & hyſtericis oppreſſa, cujus vaſa cerebri mirum ſanguine diſtenta fuerunt, ut ejus vix quicquam in reliquo corpore effluxerit, cerebri cavitatibus ac receſſibus ſeroſa colluvie plenis. Simili ratione *Petr. Pavv. obſ.* 8. commemorat, in epileptico & phrenitide demortuo, vaſa meningum ſanguine atro & aduſto fuiſſe diſtenta, & in cerebello putridum humorem repertum. Et *Joh. Rhodius Cent. 1. obſ.* 39. in phrenitide membranas cerebri cum rubore adeo tumentes invenit, ut venæ a cerebri ſubſtantia potuerint ſeparari, in alio autem *obſ.* 40. piæ matris vaſa inflammata fuiſſe, ſcripto confirmat.

§. V.

Unde tam ſubita mors.

Sanguinis itaque vel ſeri in capite exundantiam atque effuſionem ſubito mortē inferre teſtatur experientia, neque etiam ratio deficit, cur id contingat, luculenter demonſtrans. Nimirum cerebrum ſanctius animæ domicilium & tenuiſſimi ac puriſſimi liquidi, quo vim, robur, tonum ac motum fibris & ſolidis corporis partibus præſtat, ſecretorium ac officinam eſſe, & ſaniorum Veterum tulit ſententia, & diligentior Recentiorum obſervatio anatomica confirmat. Nam ſpirituoſum ſummæque activitatis liquorem in vaſculoſo cerebri cortice ſecerni, per medullaris ſubſtantiæ mæandros ad oblongatam medullam pergere, & ex hac, nec non ſpinali, per appenſos nervos ad ſubjectas partes derivari, ex eo clariſſime patet, quod conſtricto vel diſſecto membri cujuſdam nervo, protinus ejuſdem ſenſus & motus exſpiret, diffracta vero vel diſciſſa ſpinali medulla, partes infra læſionem illico omni ſenſatione ac movendi potentia priventur, & cervice fracta, nec non læſo vel obturato ſpinæ principio, animans extemplo penitus exanimetur. Quumque ex oblongata in baſi cerebri medulla, novem illa nervorum paria oriantur, quæ ſenſoriis maxime præſunt, & ad præcipuas vitales partes cor & pulmones abeunt, in proclivi eſt judicare, hac a ſero vel ſanguine extravaſato obſtructa, aut compreſſa, hunc mobiliſſimi nervei liquidi influxum quam maxime intercipi, ut non mirum ſit, animam nihil amplius percipere, & cor atque arterias activo & vitali ſyſtoles motu orbari, ac ita mortem ſubito conciliari.

§. VI.

Cauſſa mortis in pectoris morbis plerumque polypus.

A morbis capitis progredimur ad eos, qui in pectore ſedem ac domicilium ſuum habent, ac mortem cient, quorum in numerum referendi ſyncope, a Veteribus ſic dicta cardiaca, aſthma & catarrhus ſuffocativus, peripneumonia & phthiſis. De hiſce etiam experientia anatomica edocemur, quod non alia ratione internecioni dent hominem, quam quod liberum circuitum & tranſitum ſanguinis per cor & pulmones ſiſtant ac intercipiant; id quod teſtatum faciunt polypoſæ concretiones canalium alveos obturantes, neque minus ſcirrhoſi tumores & corruptiones ſanioſæ ac ſphaceloſæ, quæ pulmonum ſubſtantiam in hiſce vitiis infeſtant. Ad ſyncopen quod attinet, qua ſæpius ſubito & præter omnem opinionem plures extingui, immo in lecto, quem ſani firmique conſcenderant, mane exanimes offendi, non novum, ſed res crebræ experientiæ eſt, cauſſa tam repentinæ mortis non alia, quam viſcidior, & coagulata membranacea maſſa, quam polypum vocamus, & quæ prius cordis columnis & lacertis, quaſi radicitus implantata, tandem vi

di-

dimota, oſtia majoris vaſis obturans, liberum iter ac motum ſanguinis penitus intercludit, unde protinus tota ſanguinis circulatio ſiſtitur ac perit. Plura ejuſmodi exempla memoriæ prodita ſunt in *Boneti anat. pract. lib.* 1. *Sect.* 2. *Malpighii diſſertat. de polypo*, *Bergerii diſput. de polypo cordis & noſtra de ſubita morte præcavenda*. Inprimis etiam huc referti meretur *Bartholini lib. de lacteis thoracis c.* 14. per teſtimonium fidem facientis: ſe in iis, quos ſubito fato extinctos aperuerit, majora cordis vaſa ſanguine concreto repleta inveniſſe. Solent vero polypi plerumque dextram cordis cavitatem, eique annexa vaſa occupare, & grandiores quoque ibi deliteſcere, quam in ſiniſtra, fortaſſe quia non ſolum redux a nutritionis, & perſpirationis negotio ſanguis, multis particulis tenuibus liquidis, ſulphureis & ſalinis caſtratus, viſcidior eſt & facilius concreſcens, ſed etiam a chylo ex ducto thoracico affuſo, facile in coagulum filamentoſum præcipitatur, quod in auriculæ finibus, vel amplis dextri ventriculi columnis obhæreſcens, ex agglutinatis viſcidis præterfluentis ſeri moleculis, ſenſim paulatimque in majorem molem excreſcit.

§. VII.

Ut in aſthmate & catarrho ſuffocativo.

Sæpius etiam polypus aliis gravibus & periculoſis in pectore malis ſeſe aſſociat, & cita ſuffocatione trucidat. Nam in iis, qui aſthmate, & catarrho ſuffocativo jugulantur, plerumque polypoſas in vaſis cordis, & pulmonum concretiones repertas fuiſſe obſervationum fide conſtat. Teſtatur id maxime *Greiſelius* in *Miſc. nat. curoſ. An.* 1670. *obſ.* 74. *quotquot*, inquiens, *catarrho ſuffocativo*, *quo homo frequentius morte decedit ſubita, mortuos aperui, in omnibus corpora calloſa, viſcida ac glutinoſa in corde deprehendi*. Sic quoque *Pezold. obſ.* 61. in aſthmate ſuffocativo & pectoris hydrope cor magnum, polypo ſolido repletum, cum magna in vaſis atri coagulati cruoris copia, obſervavit. Pariter *Miſc. nat. curioſ. Dec.* 2. *An.* 10. *obſ.* 274. aſthma ex polypo cordis & pulmonum, cum duro ſiniſtro pulmonali lobo, deſcriptum tradunt. Potiſſimum vero notabile eſt, quod adduxi in diſſertatione *de aſthmate convulſivo*, Grætzium, ſcilicet medicum quendam caſtrenſem, vel quingentos milites aſthmate ſuffocatos incidiſſe, atque ſemper vel hydropem pectoris, vel polypum cordis ventriculos, & vaſa obſidentem, adinveniſſe. Ipſe non minus confirmatius aſſeverare poſſum, me, quotieſcunque copia fuit aſthmate defunctos diſſecandi, polypum in vaſis pulmonum & cordis, necnon ſerum fœtidum effuſum in thoracis cavo offendiſſe, cujus origo merito difficiliori ſanguinis curſui per pulmones debetur, unde ſerum per lymphatica vaſa rupta exprimitur, inque pectus deſcendit, ut hinc perpetuo fere gravi aſthmati junctus ſit pectoris hydrops, de quo egregias obſervationes prodidit *Carolus Piſo lib. de morbis ex ſeroſ. colluv. pag.* 217. necnon *Baglivus in Praxi pag.* 107.

§. VIII.

Peripneumonia.

In peripneumoniacis non modo pulmones materia craſſa & cruore repletos ac inflammatos, ſed & ſæpiſſime polypoſa in vaſis concrementa deprehendi, anatome idemtidem confirmamur. Recenſui tale exemplum in diſſertatione de *peripneumonia* §. 10. juvenis, hoc morbo vita functi, cujus exemti pulmones admodum duri apparuerunt inſtar carnis, & libra examinati, quinque pondo graves fuerunt, aquæ autem injecti ſubmerſi ſunt. Ipſæ veſiculæ quaſi carnea craſſa rubicunda ſubſtantia fuerunt infarctæ, ac diſciſſæ, parum putridi ſanguinei ichoris, nihil vero puris, fuderunt. Aſpera arteria ſpumoſam & tenacem materiam recondidit, pulmonalis autem & arteria & vena, circa confinia cordis obſeſa fuit polypoſis concretionibus, quæ cordis columnis

nis & fibris firmius connexæ, ex hoc, auriculis, ramisque appensorum canalium extractæ, unciarum duarum pondus excesserunt. Cordis etiam ventriculi cruore crasso nigricante penitus fuerunt constipati, & in pericardio sex ad minimum cochlearia aquæ, instar loturæ carnis, comparuerunt.

§. IX.

Hæmoptysi. Rara quidem sunt exempla eorum, qui hæmoptysi pereunt: notavi tamen hic ante aliquot annos memorabilem ejusmodi casum. Videlicet virginem octodecim annorum, teneræ constitutionis, ex mensium obstructione diu respirandi difficultate pressam. Inopinato enormis sanguinis profusio cum tussi ex pulmonibus, iteratis aliquot vicibus incessit, & tertia vice tanta copia erupit cruor, ut aliquot vasa eodem replerentur, simul quoque frusta dura, magna, carnosa e faucibus protracta sunt, quæ aqua calida elota, examine instituto, nonnisi polyposa & fibrosa membranacea concrementa fuerunt deprehensa, ac ponderata, quatuor unciarum gravitatem superarunt. Quo tam immani sanguinis profluvio, omnes penitus consumtę sunt vires, ut tertio post die honestissima virgo placide animam efflaret. Id vero ex hac singulari historia merito elicitur: polyposa hęc corpora excreta aneurismatibus, vel varicosis pulmonum vasis insedisse, unde illis disruptis, in majores bronchiorum ramos simul apertos penetrarunt. Neque dubium est, quin gravis hæmoptysis sæpissime ex magna obstructione, a polypo vel scirrhescentia lobi cujusdam pulmonalis proveniat, unde libero sanguinis itinere impedito, ipse impetuose ruit ad alia vasa, quæ nimium distendendo, tandem laperit, funestumque ciet fluxum. Confirmat idem notabili observatione *Willisius in op. posth. Sect.* 1. *cap.* 7. fidem faciens, totum sinistrum lobum a tumore scirrhoso ita obriguisse, ut penitus constrictus & quasi lapideus apparuerit, ac plane non mirum fuerit, quod cruor per pulmones rapidissime trajiciendus, alicubi e vasis eruperit.

§. X.

Palpitatione cordis. Qui palpitatione cordis detinentur, eos polypus cordis plerumque interficit. Egregie hanc in rem prodidit *Baglivus Prax. med. lib.* 2. *pag.* 229. sic scribens: *sectis cadaveribus plurimis, observavimus in cordis ventriculis polypos, aneurismata, grumos sanguinis ingentes & consimilia, inter quæ elapso quinquennio annotavimus in cadavere sexagenarii, palpitatione demortui, aneurisma ingentis magnitudinis in aorta ascendente, ubi proxime a corde exoritur, & in cavitate aneurismatis, polypum magnitudine ovi anserini.* Jam facile patebit ratio, quare palpitatio sola corporis incurvatione, vel capitis ad terram inclinatione, quoties impetit, cohiberi possit, & pro vario in latus, vel dextrum, vel sinistrum, decubitu, exacerbatur aut complacetur, de quo memoratu digna observatio de juvene, qui, quoties in lecto lateri dextro incumbebat, spirandi difficultate, cum suffocationis metu cordisque tremore laborabat, quæ mutato in latus sinistrum decubitu, protinus cessabant. Tandem mortuus reperiebatur, & dissectus ingentis magnitudinis polypum auriculæ dextræ impactum exhibebat. Observatur vero etiam in iis, qui palpitatione pereunt, solleniter ingens seri copia in pericardio, testantibus id *Pisone de morb. a seros. colluv. pag.* 170. *Olao Borrichio in Act. Hafniens. p.* 173. *Tulpio lib.* 4. *c.* 20. *& Fernelio lib.* 5. *pathol. c.* 11. Neque alia hujus extravasati seri origo est, quam difficillimus sanguinis per cordis thalamos transitus, unde serum per poros auriculæ dextræ nimium dilatatos expressum, in pericardii conceptaculum descendit.

§. XI.

Asthma. Accidit quoque interdum, ut quidam asth-

aſthmate intereant, ubi pulmonum moles ampliſſima & ſenſu integra, totam thoracis cavitatem replet. In his mortis cauſsa quærenda eſt in tunica illa glandulosa, interius univerſum bronchiorum tractum inveſtiente, quæ tumida, vel ſcirrhoſa impedit, quo minus aer intrare iterumque exire poſſit, unde ſanguinis quoque liber per vaſa pulmonum circuitus intercipitur. Notavimus talem caſum aliquot ante annos in Theologo primario Cizenſi, qui multos per annos ex difficili reſpiratione laboravit, tandem quoque eadem deceſſit. Aperto poſt mortem thorace, pulmones omnem ejus cavitatem occupabant, & nihil præternaturale ibi viſebatur, præterquam quod multa ſcirrhoſa tubercula & granula in ramis internis bronchialibus eminerent. Huc quoque referendam cenſo *Ruyſchii obſ.* 19. qua caſum proponit de virgine, quę poſtquam per multos menſes orthopnea ſuffocativa laboraſſet, extincta eſt, in cujus cadavere aperto culter anatomicus in parte pulmonis magnum pellucidarum veſicularum acervum detexit, quæ aere ita expanſæ erant ac infartæ, ut is nonniſi validiori compreſſione elideretur, neque immiſsus per aſperam arteriam flatus ullum cum expanſis hiſce veſiculis habuit commercium. Similes hiſtorias idem auctor *obſ.* 20. & 21. refert, de viro ac puero diſpnœa mortuis, in quibus totum malum hæſit in obſtructa pulmonis parte, cujus omnes veſiculæ oppilatæ & extenſę apparuerunt. In demortuo Principe, qui orthopnœa, & hæmoptyſi obierat teſte *Verſacha obſ. pag.* 307. pulmo ſtupendum in modum fuit inflatus, ac univerſam thoracis cavitatem implevit, aſpera autem arteria ſanguine grumoſo & florido referta, & exterior pulmonis ſuperficies innumeris ulcuſculis obſeſſa.

§. XII.

Phthiſis. Ex affectibus chronicis ipſa phthiſi pectorali & conſummata nullus facile majoris periculi eſt, dum hominem lento gradu omnibus viribus exuit, ac demum inopinato ſuffocat. In defunctis culter anatomicus ſequentia detegit. Primo in omnium fere, qui phthiſi decedunt, pulmonibus ingentes ſcirrhoſitates, vel dura tubercula, quæ partim pure ſcatent, partim inſtar ſteatomatum ſebaceum concrementum recondunt, reperiuntur, de quo exempla prodita in *Miſc.nat.curioſ.Dec.2.An.3. obſ.*188. *Actis Haſn.P.I.A.* 1673. nec non apud *Pezoldum obſ.*64.74. & *Harderum ob.*46. Deinde in nonnullis pulmonum lobi penitus abſceſſu & pure conſumti, in quibuſdam exſiccati nullum amplius pus fundentes viſuntur, & propagines aſperæ arteriæ, nec non ſanguinea vaſa albeſcunt, & a pulmonum exeſa ſubſtantia, ſine ulla dilaceratione, ſoluta cernuntur, fidem potiſſimum faciente *Pavv.obſ.*22. & 25. *Hardero obſ.* 51. & *Bartholino Cent.*5. *obſ.*7. Porro nonnunquam in pericardio, item thorace, ingens ſeri impuri fœtidi copia offenditur, id quod quamplurimis exemplis confirmatur in *Miſ.nat.Dec.I.An.* 1. *obſ.*15. *Dec.*2. *An.*3. *obſ.*199. *Harderi anatom.pract.obſ.* 41.45.47.51. & 52. *Blancardi anatom.pract.pag.* 189. *Pezoldi obſ.* 74. & 92. *Plateri obſerv.lib.* 3. *pag.* 689. Præterea in omnibus fere obſervationibus quæ anatomen phthiſicorum ſiſtunt, obvium eſt, quod pulmunes firmiſſime coſtis itemque diaphragmati adhæreant. Tum quoque crebriori obſervatu conſtat, polypoſas maſſas, vel cruorem coagulatum, in corde vel pulmonum vaſis phthiſico malo extinctorum offendi, de quo phænomeno in primis conſuli poteſt *Harderus obſ.*45.49. & 52. *Bartholinus hiſt. cent.*5. *obſ.*7. item *Miſc.nat.curioſ. Dec.* 2. *An.*5. *obſ.*65. Denique concrementa calculoſa tartarea interdum in exulceratis pulmonum ſinuoſitatibus reperiuntur, uti conſtat ex *Harderi anatom. pract.obſ.*45. *Miſc.nat. curioſ. Dec.*2. *An.*4. *obſ.*35. *Dec.*3. *An.*3. *obſ.*188.

§. XIII.

Unde phthisis & cur necet.

Hæc autem omnia & singula in cadaveribus phthisi demortuorum conspicua phænomena, tum morbi genium & symptomatum rationem, tum interitus causſam satis perspicue declarant. Nam qui prima phthiseos incunabula atque originem ex obstructis minimis pulmonalibus vasculis tumefactis ac induratis deducunt, recte, mea quidem sententia, judicant. Hæc quippe tubercula, quæ, cum vesiculas pulmonales, tum bronchiales fistulas occludunt, impediunt, quo minus aer pulmonum compagem sufficienter elevare atque distendere possit, unde intercepto libero sanguinis itinere, cum difficultate, anguſtia atque anxietate fit respiratio, eoque gravior, quo majorem pulmonis partem scirrhositas occupat. Hæc quoque tubercula, & mole sua, & acrimonia lymphæ, vel purulentæ quam recondunt materiæ, nervosas bronchiorum partes perpetuo irritando, continuæ, siccæ & ferinæ tussis causſam submini-ſtrant. A libero vero sanguinis per pulmones præpedito circuitu, is regurgitat ad cor, quod nimium ampliando ac opprimendo, maximas anxietates, phthisicis admodum solennes, parit, ubi etiam facta nimia accumulatione, in polyposam massam successive coalescit, qua postea sanguinis iter magis adhuc per cor atque pulmones sufflaminatur, ut hinc in universo venarum systemate circulatio fiat tardissima. Quin serum secedens, inque porosam partium substantiam concedens, tumores pedum & abdominis gignit, qui subinde phthisicis accidunt, & mortis significationem ferunt. Idem quoque serum a sanguinis connubio dilapsum, in cordis conceptaculo hydropem pericardii ciet, ac tandem etiam perruptis lymphaticis vasis, in thoracem exundat. Frequentior vero pulmonum ad pleuram adhæsio, sero, quod ex poris pulmonum, sub difficili transitu exprimitur, tribui debet. Hoc enim, exhalantibus partibus tenuioribus, tenax fit, quo partes conterminæ conglutinantur. Igitur quo gravior est læsio pulmonum, consumtio, scirrhositas & obstructio, eo majus, ob difficiliorem sanguinis commeatum, suffocationis periculum imminet, qua plures phthisicorum intereunt. Ac demum phthisi perpetuo fere hecticus calor, cum ingenti virium defectu, jungitur, qui liquido nerveo a putredine inquinato, jure est adscribendus. Quumque sub continuo hoc æstu interno succi & vires successive consumantur, lente cordis motus fatiscit, tandem extinguitur, atque mors sine ulla turbatione mentis plerumque inexpectata & ex improviso quasi obrepit.

§. XIV.

In hydrope vel aliis mortis superveniente.

Ex chronicis porro malis vix ullum frequentius hydrope perimit, qui plerumque aliis gravibus affectionibus, ut asthmati, quartanæ, cachexiæ & scorbuto supervenit. Causſam mortis si inquiramus; inspectione cadaverum diligentiori, ingentem copiam seri putridi, tam in abdominis cavitate, quam sæpissime etiam in pectore & pericardio, deprehendimus, quod interiora, præsertim omentum (quod nunquam non consumtum & putridum visitur, aliaque viscera corrupta, & ipsa adeo intestina, livida ac sphacelosa reddit, confirmantibus id *Bartholino Cent. 3. hist. 81. Misc. nat. cur. Dec. 2. An. 7. obs. 187. it. obs. 188. Dec. 3. An. 3. obs. 161. Dec. 1. An. 4. obs. 3. Dec. 2. An. 6. obs. 73. Dec. 1. An. 6. obs. 165. Pezoldo obs. 77. 88. 65. Hardero observ. 72. Petr. Pavv. obs. 5. it. 28.* Et ubi hæc seri extravasatio in hydrope decumbentibus non præsto est, ibi etiam nondum omnis spes salutis evanuit. Quod vero ut plurimum paracentheſin factam mors subsequatur, in causſa est aer admissus, quo accedente, seri putrefactio multum promovetur, quæ ubi incipit, non modo omnis appetitus tollitur, & quicquid virium adhuc restat consumitur, sed & calor præternaturalis, sine quo non

facile hydropicus moritur, ſupervenit atque incenditur, qui penitus omnes vires & ſuperſtites vitales ſuccos ita exhaurit, ut cordis muſculus a motu ſuo vivifico in totum dejiciatur.

§. XV.

Vel ex aſthmate. Fit quoque hic morbus ſæpiſſime ex aſthmate, aſthma vero ex polypo cordis, in cavitatibus ejus detento, aut minimum tumore nodoſo majorum vaſorum oſtia coarctante, qualis etiam in hydropicis diſſectis non raro in conſpectum prodit, uti patet ex *Cent.* 3. *Miſc. nat. cur. obſ.* 117. *Dec.* 3. *An.* 3. *obſ.* 161. *it. obſ.* 65. *Pezoldi obſ.* 77. nec non *Boneti Sepulchreto*. Neque rationem difficile eſt invenire, ſiquidem retardato ſanguinis per pulmones motu, is regurgitans ad venarum ſyſtema, ibi tardius movetur atque ſubſiſtit: unde ſeri in partibus inferioribus, per quas ſemper adſcenſus ſanguinis, quia perpendicularis, difficilis eſt, ſeceſſio fit magnaque collectio.

§. XVI.

Vel ex hepatis. Quin naturalis illa difficilior ſanguinis in hepate, ex vaſe portæ venoſo in venam cavam trajectio, multarum chronicarum paſſionum, & quam maxime hydropis, cauſſa potentiſſima utique recte cenſetur. Nam ſanguis ex hoc vaſe per connexos eidem canales regurgitans in pancreas, lienem, meſenterium, inteſtina, hæc viſcera multum infarcit tumidaque reddit, & minimos glandularum ductus occludendo, hæc omnia ſcirrhoſa ac dura efficit; quæ etiam viſcerum vitia ſemper fere, facta inſpectione, oculis ſeſe ingerunt, multiſque exemplis comprobantur a *Miſc. nat. cur. Dec.* 3. *An.* 3. *obſ.* 161. *Dec.* 2. *An.* 8. *obſ.* 100. *it. An.* 6. *obſ.* 73. *An.* 7. *obſ.* 187. *An.* 1. *obſ.* 2. *An.* 5. *obſ.* 73. *Dec.* 1. *An.* 6. *obſ.* 68. *it. obſ.* 165. & 221. *Hardero obſ.* 71. & 72. *Petr. Pavv. obſ.* 5. & *obſ.* 28. *Pezoldo obſ.* 88. *Bartholino Cent.* 3. *Hiſt.* 81. *Riverio Cent.* 2. *obſ.* 53. *Ruyſchio* in *obſ.* 45. & 46. Per indurata ſic & obſtructa vero viſcera, libero ſanguinis curſu præpedito, inducitur ejus ſtagnatio in vena portæ, & inde ſerum ſecedens ad vaſa fertur lymphatica, quæ nimium diſtenta & a tono ſuo dejecta, diducuntur in hydatides, (quarum ingens ſæpe copia in diſſectis viſitur,) quæ diſruptæ, illam exitialem ſeri extravaſationem efficiunt.

§. XVII.

Ratione haud diſſimili hydropis o- *Aut uteri vitio.* rigo ex ſanguinis circulo per uterum, vel ob vaſa, a materia polypoſa aut cruore coagulato varicoſa reddita, vel ob ipſius uteri ſubſtantiæ ſcirrheſcentiam, impeditiori facto. Nam obice ſic poſito, ſub lentiori progreſſu atque ſtagnatione, ſeroſus humor a vinculo diſcedit, & copia ac impetu in vaſa lymphatica confluit, eorum latera ampliat, ut interjecta valvulis ſpatia in hydatides abeant, quæ tandem divelluntur & contentum humorem effundunt; cujuſmodi exempla paſſim in obſervatis medicis & maxime in *Miſc. nat. curioſ. Dec* 2. *An.* 9. *obſ.* 99. necnon apud *Harderum in apiario obſ.* 87. *Veſalium lib.* 5 *de corp. human. fabrica cap.* 9. & *Mauritium Cordæum Comment. in lib.* 1. *Hippocr. de morb. mulier.* conſignata reperiuntur.

§. XVIII.

Præterea ſæpiſſime mors in cache- *In cachexia & hectica aliismorbis ſuperveniente.* cticis, tabidis & diuturna lenta ac hectica febre detentis, ex ingenti abſceſſu interno rupto natales trahit. Effuſum enim fœtidiſſimum pus, non modo viſcus cui inſidet penitus conſumit, ſed & vicinas quas tangit partes labe inficit atque corrumpit, ſimul quoque fœtore ſuo tenuiſſimum illud fluidum, quod fibris vim motricem confert, admixtione ſua contaminat; unde verum *Hippocr.* effatum *Sect.* 7. *aph.* 8. *ex tuberculi intus ruptione exſolutio, vomitus & ani-*

animæ deliquium fit. Occupant autem ejusmodi abscessus maxime mesenterium, hepar, uterum, ac renes: ac pariter fiunt ab intercepto, propter insuperabiles obstructiones & compressiones vasorum viscerumque scirrhositates, libero sanguinis circulo, unde cruor stasin concipiens vasorum tunicas perforat, ac cavitates sibi efformans, tandem in pus fœtidum convertitur. Junguntur his abscessibus teste observatione anatomica, plerumque tumores atque duri scirrhi, prout fidem facit *Paræus lib.* 23 *cap.* 36. exemplo fœminæ, cujus mesenterium penitus scirrhosum observavit, tantæ molis, ut libras decem cum dimidia pondere æquaret, adhærescentibus quamplurimis abscessibus, sua quoque cystide incluso. Pari ratione *Hildanus Cent.* 1. *obs.* 7. meminit puellæ, cujus mesenterium tumoribus duris scirrhosis & steatomatibus refertum fuit, præcipue circa venas, quæ ad portam tendunt. Et *Coiterus observ. anatom.* in hydropico tumorem & magnam colluviem puris fœtidi, quod hepar putredine infecerat, animadvertit. Et quæ plures huc referendæ observationes memoriæ proditæ sunt in *Warthoni tr. de glandul. pag.* 50. *Raygeri obsev. & Misc. natur. curios. Dec.* 3. *An.* 3. *obs.* 73. & 131. Speciatim de iis abscessibus, quæ renes & hepar occuparunt, consuli merentur, *Misc. nat. curios. Dec.* 1. *An.* 4. *obs.* 114. *Dec.* 3. *An.* 3. *obs.* 72. *Hildanus Cent.* 2. *obs.* 39. nec non *Harderus obs.* 76. Frequentius tamen abscessus in musculis abdominis, præsertim a causa externa, residet, quo interius rupto, mors utplurimum sequitur, de quo digna sunt quæ evolvantur in *Misc. nat. curios. Dec.* 2. *An.* 1. *obs.* 88. *Hildano Cent.* 2. *obs.* 37. *Riverio Cent.* 1. *obs.* 92. Quod vero apostema mortem inferat, causa subest, quia febre lenta, quæ abscessus nunquam non stipat, omnes paulatim vires exhauriuntur, & tota humorum massa successive in excrementa resolvitur ac consumitur.

§. XIX.

In doloribus ex calculo per renum corruptionē.

Qui ex calculo renum & vesicæ moriuntur, hos non minus corruptio putredinosa, vitali moventi infensissima, necat. Nam si quando calculus in vesica vel urethere hæret, efficit, ut colatum per renale cribrum serum salsum immane quantum & urethres & renes distendat, qua vehementi distensione & vasorum compressione, renum substantia inflammatur, atque in abscessum vel putrilaginem, qua penitus tandem exeduntur ac consumuntur, concedit. De hoc frequentissima apud observatores est mentio, e quib. adduxisse sufficiet *Misc. nat. curios. Dec.* 2. *An.* 8. *obs.* 53. *An.* 2. *obs.* 13. *Dec.* 1. *An.* 2. *obs.* 81. *An.* 4. 23. *Bartholini hist.* 35. *Cent.* 3. *Pet. Paw. obs.* 3. *Verzascha obs.* 2. *cent.* 1. *Fernelium de part. morb. & symptom. li.* 6. *c.* 12. *pag.* 316. *Riolanum lib.* 2. *c.* 29. *Tulpium lib.* 3. *obs. cap.* 6. *Pancirollum Pentec. quart. ob.* 31.

§. XX.

Aut intestinorum sphacelum ex consensu.

Insuper compluries in iis, qui ex calculi tormentis & ischuria diem obierunt, ventriculi inflammationem, ex suis signis dignoscendam, nec non epilepticas convulsiones superveniētes, animadvertimus, procul omni dubio ob atrocissimos spasmos, in ventriculum, vel ipsum caput, per consensum derivatos. Nam licet in iis quas perlustravi observationibus, parum hujus phænomeni mentionem invenerim, sed sectores plerumque reperto calculo, tanquam mortis causa, aliarum partium inspectionem supervacaneam crediderint; nullus tamen dubito, quin, si in dissectione cadaverum etiam ventriculi & intestinorum constitutio curatius investigetur, proximior ibi, maxime in senibus & debilitatis, mortis causa, inflammatio nempe & sphacelatio, sit comparitura.

§. XXI.

Eadem ventriculi, & intestinorum in-

In morbis acutis & malignis.

inflammatio & ſphacelatio, qua plerique, qui morbis acutis malignis decedunt, item ex veneno, vel validiori pharmaco, nec non peſte, morbo Hungarico, dyſenteria, colica vel iliaca paſſione, aut acuta vel omni alia febre ſuccumbunt, quam præſentiſſima mortis cauſſa, in diſſectis reperitur. Etenim in nullis certe corporis partibus, inflammatio vel ſphacelatio periculoſior eſt, quam in iis, quæ nervoſæ ac membranoſæ ſunt texturæ, & exquiſitiore ſenſu ac motu gaudent, neque minus cum univerſo nervorum genere conſenſionem alunt; cujus generis ventriculum & totum inteſtinorum canalem eſſe, vix ullus addubitabit. Venena vim ſuam maxime exſerere in ventriculum & vicina tenuia inteſtina, ſphacelo eadem corripiendo, ſectiones & obſervationes paſſim proſtantes luculenter declarant, in cujus confirmationem inſtar omnium allegari meretur *Wepferus*, in *tr. de cicuta aquatica*, qui plura experimenta inſtituit, & quæ in animantibus obſervavit, collegit.

§. XXII.

Poſt frigidum potum.

Aquæ aut alius liquoris frigidum potum, corpori calefacto copioſe ingeſtum, vel brevi mortem, vel alias ad mortem tendentes afflictiones invehere, res certæ, quotidianæ & indubitatę experientiæ eſt. Neque alia tam ſubitæ ac funeſtæ cataſtrophes ſuppetit ratio, quam quod frigidus potus celeriter ipſum ſanguinem in vaſis ventriculi & inteſtinorum coagulet, ac in circulari motu ſiſtat, unde, niſi mature diſcutiatur, in ſphacelum concedat, neceſſe eſt. Digna eſt, quæ hic interferatur obſervatio, quam ante aliquot annos notavi. Princeps erat excelſa non minus indole, quam corporis forma gratioſiſſimus, ſanguine & ſuccis redundans, obeſior paullo, nec tum vigeſimum quintum ætatis annum egreſſus, qui perfecte antea ſanus, quum vehementi motu corpus exæſtuaſſet, ac poſtea liberalem cereviſiæ frigidæ hauſtum ingeſſiſſet, ſimulque frigido & aperto aeri ſeſe iterum expoſuiſſet, mox de languore, horrore, calore intenſiori & vigilia conqueri cœpit. His ſuccedebant atrociora pathemata, immenſa quippe virium proſtratio, lipothymiã erecto tantiſper corpore ſtatim minitans, pulſus languidus, inæqualis & celer micabat, conatus ad vomitum erat perfrequens, anxietas perpetua, tantopere ſubinde increſcens, ut non modo huc & illuc membra agitaret, ſed & in uno loco diu contineri non poſſet, halitum exſpirabat fœtidum, ac die morbi ſeptimo inter maximum ſuorum luctum mortem cum vita commutabat. Concedebatur ſequenti die medicis facultas corpus aperiendi, eaque inſtituta, ventriculus totus propemodum inflammatus comparuit, ac quod rarum obſervatu, aliquot cochlearia fœtidi & corrupti ſanguinis in ejus cavo. Lien admodum fuit diſtentus, flaccidus, ſanguine lividi coloris refertus, & corruptioni tam propinquus, ut ad levem attactum ipſa ſubſtantia ejuſdem diſſolveretur. Totus ſiniſter pulmonis lobus niger deprehenſus eſt, corruptus ac fœtidiſſimus, e quo humor putridus mirifici nidoris in thoracis cavum deſtillaverat, tam erodentis indolis, ut ſpongiam, qua detergebatur, atro inficeret colore, nec inuſta ei macula ullo artificio poſſet deleri ac elui. Vaſa de reliquo ſanguinea maxima ex parte inanita, ipſumque cor minoris magnitudinis offendebantur. Eundem cum gelido potu in ſenio confectis & viribus orbatis effectum præſtare fructus refrigerantes, ut melones & perſica mala, avidius devoratos, obſervationum medicarum fide conſtat. Nam notum eſt, quam pronus ſenum, quin etiam ſcorbuticorum & imbecillium ſanguis ſit in ſphacelosam corruptionem, quæ hinc accedente leviſſima ſæpe cauſſa quam facile ſuſcitatur.

§. XXIII.

Quos peſtilentia & febres malignæ tol-

In febribus pestilentialibus & malignis.

tollunt, in his ventriculus & intestina nunquam non sphacelata conspiciuntur: id quod etiam de omnibus ferme febribus acutis, ardentibus, cholericis, semitertianis, variolis aliisque intelligendum est. Ego certe plena testari possum fide, quod omnes eos, quos ex febre quadam acuta obiisse novi, ex inflammatione ventriculi, intestinorum, vel meningum superveniente, decessisse deprehenderim: idque non modo ex symptomatibus dijudicavi, sed & dissectionibus, quas administravi, & de quibus alii fidem mihi fecerunt, compertum habui. Potissimum memoratu dignus videtur casus fœminæ annorum 26. sensibilioris naturæ, quæ ex vehementi iracundia febre ardente biliosa, juncta cum crebris alvi dejectionibus, correpta fuerat. Hæc quidem adhibitis congruis remediis, ex ancipiti tantisper levata videbatur, post impensam vero denuo ex ira animi commotionem, priora non solum, sed pejora etiam redibant pathemata, quæ licet alvi fluxus erumperet, undecima tamen die ægram jugulabant. Dissecto post mortem cadavere, totus intestini jejuni & ilei tractus, partim inflammatus, partim sphacelatus, & niger cum fœtore in conspectum prodiit, luculento indicio, inflammationem intestinorum diarrhœæ quoque in febribus, & in sphacelum concedentem, mortis esse causam. Eandem in his morbis mortis causam testatam faciunt consignatæ passim in commentariis medicis historiæ, ut apud *Forestum lib. 6. obs.* 13; *Diemerbroccium pag.* 273. *Helmontium pa.* 887. *Bartholinum cent. 3. hist.* 68 *cent.* 5. *obs.* 4. item *cent.* 3. *ep.* 92. & 29. *Misc. nat. curios. Dec.* 3. *An.* 3. *obs.* 100. *Dec.* 1. *An.* 6. *obs.* 161. *Pezoldum obs.* 87. *Blancardum obs.* 67. necnon in *disser.* quam ipse *de inflammatione ventriculi*, ante aliquot annos evulgavi.

§. XXIV.

Diarrhœa & dysenteria.

Neque alia internecione diarrhœa vel dysenteria correpti, quam intestinorum sphacelatione, perimuntur, id quod pariter non solum signa, sed etiam sectiones manifestant. Laborant vero maxime his in morbis crassa intestina putrida ex sphacelo corruptione, multisque simul tuberculis obsidentur, fidem facientibus *Misc. nat. curios. Dec.* 2 *An.* 6. *obs.* 104. *Act. Hafn. P.* 2. *obs.* 17. *Platero lib.* 3. *pag.* 821. *Bartholino cent.* 6. *hist.* 2. *cent.* 4 *obs.* 48. Eadem ratione in colica spasmodica vel iliaca passione correptis, ex intestinorum sideratione & corruptione mors accedit, uti patet ex *Misc. nat. cur. Dec.* 2. *An.* 3. *obs.* 65. & 193. *Blancardo anat. pract. Cent.* 5. *obs.* 1. *Hildano Cent.* 2. *obs.* 61. *Kerkringio obs.* 42. *Willisio de medic. oper. pag.* 28. Idem fatum ex intestinorum sphacelosa affectione subeunt infantes, quos vermes enecant, de quo casus consignati in *Act. Hafnienf. tom.* 2. *pag.* 88. & *Lentilii Misc. medico pract. pag.* 365. *colica & ileo.*

§. XXV.

In colica quandoque coalescunt intestina.

Id vero adhuc notatu perquam dignum est, quod in iis, qui colica spasmodica, vel veneno non adeo præcipiti internecione occidente, aut aliis atrocioribus in intestinis tormentis, pereunt, intestina plerumque connexa atque mutuo coalita offendantur. Et licet ipse hanc intestinorum præternaturalem concretionem nunquam observarim, fidem tamen mihi fecerunt viri, quibus sæpius corpora his morbis ubi crebro occurrunt defuncta incidendi occasio fuit; & similes quoque casus memoriæ proditi a *Rhodio Cent.* 2. *obs.* 32. *Petr. Pavv. obs.* 5. *Bartholino hist. anatom. Cent.* 3. *hist.* 6. *Hœchstettero Dec.* 10. *cas.* 6. *Mis. nat. curios. Dec.* 2. *An.* 7. *obs.* 15. Causa hujus peculiaris phænomeni vix alia poterit suppeditari, quam quod serum ex intestinorum tunicis glandulosis & vasculis minimis sub arctis illis spasmis exprimatur, quod avolantibus fluidis tenerioribus partibus, glutinosum & tenax redditum, illam coalescentiam efficit, haud secus ac su-

perius de coalitu pulmonum cum pleura & contiguis partibus, in pectoris affectibus, meminimus.

§. XXVI.

Puerperis & infantibus. Accedunt puerperę, febre inflammatoria pereuntes. Has ſimili ratione uteri ſphacelo tolli, & ſymptomata in iis obvia, & ſectiones poſt mortem adminiſtratæ, commonſtrant, cujus generis plures continentur in *Miſc. nat. cur. Dec.* 1. *An.* 2. *obſ.* 85. *An.* 4 *obſ.* 195. *Dec.* 2. *An.* 4. *obſ.* 94. *Dec.* 3. *An.* 1. *obſ.* 22. *An.* 3. *obſ.* 123. Infantes denique puſillos & uberibus adhuc victitantes, ex torminibus ventris, necnon epilepticis convulſionibus, ab acrimonia humorum cauſtica, abripi, res vulgo notiſſima eſt. Neque dubium eſt, quin etiam in his, inteſtina, e quibus non raro antequam exſpirant, nigra excrementa ſecedunt, ſphacelata in diſſectionibus reperiantur, modo frequentius a medicis corporum infantilium & omnis ætatis exanimatorum diſſectio inſtrueretur & a cognatis concederetur.

§. XXVII.

Mortis non cum morbi cauſſa confundenda. Hæc itaque ſunt obſervata, quæ per cadaverum ſectiones, tanquam veræ interitus in morbis cauſſæ, innoteſcunt. Monendum tamen eſt, id quam maxime hoc in negotio eſſe vitandum, ne mortis cauſſæ cum morborum cauſſis perperam confundantur, quod certe ſępiſſime animadvertimus. Id enim quamplurimis medentum in more poſitum eſt, ut ægro periculoſo ex morbo decedente, cadaveris inciſionem ſuadeant, & inventis ſub ea internis partibus ſphacelatis atque corruptis, adſtantibus mortiferam labem monſtrent, ſpecioſe diſſerentes, jam defunctum, ob tam ingentem & immedicabilem læſionem, nullo plane modo ſervari potuiſſe ac perſanari. At vero hi graviſſimum admittunt errorem, ac mortis cauſſam, apertiſſima fallacia pro morbi cauſsa venditant, quum potius id in quæſtione ſit: an non ipſæ hæ, quæ mortem induxerunt cauſſę, convenientibus & tempeſtive adhibitis auxiliis præſcindi potuiſſent atque averti. Sed hæc medicorum techna, qua ignaris ſpecioſum fucum faciunt, & famæ ſervientes, delicta, ſi quæ forſan in medicatione commiſerunt, callide atque aſtute obvelare ſtudent.

§. XXVIII.

Quarationę hæ cauſſæ removendæ. Jam perſpectis ſic adæquatis exitii cauſſis; id utique in futurum uſum inde eliciendum erit medico, ut ejuſmodi medendi rationem ineat, qua eaſdem opportune prima in herba ſubmoveat & averruncet. Scilicet ſtagnationes, ſtaſes & extravaſationes ſanguinis atque humorum in capite præcipitem afferunt interitum, plerumque vero a nimia congeſtione ſanguinis, ab extremis & inferioribus partibus per ſpaſmos ad caput, maxime in plethoricis, facta, ſubnaſcuntur, quæ eo gravior eſt, eoque facilius contingit, quo magis ipſum caput a cauſſis antecedentibus fuit debilitatum. Quamobrē prudentis atq, periti eſt medici, impetum & accumulationem humorum, a capite arcere ac divertere, id quod commodiſſime conveniēti ſanguinis miſſione in inferiori corporis regione, pediluviis, clyſteribus emollientibus, alvum leniter ducentibus, & antiſpaſmodicis ac carminativis perfici poteſt, cavendo omnia vaporoſa medicamenta, ſpirituoſa, abſynthiaca, ac interdicendo refrigerationes, animi affectus, impenſas meditationes & inebriationes, omniaque, quæ caput infirmare ullo modo poſſunt.

& quidem extravaſationes.

§. XXIX.

Polyporum generatio. Deinceps polypi multarum chronicarum, gravium, ac lethalium affectionum cauſsam conſtituunt, quorum vero ea eſt ratio, ut ulla ope aut medicina tolli poſſint iterumque diſſolvi, & hinc medicus in eorundem medela id tantum agere debet, ut vel mature eorum generationem impediat, vel ſi jam adfuerint, incrementum præſcindat. Jam vero experientia confirmamur, polyporum generatio-

rationi admodum accommodos atque obnoxios esse eos, qui otio indulgent, spongiosi habitus sunt, venas gerunt exiliores, ac vel nimis calidis esculentis & potulentis, vel etiam acidorum liberaliori usu, tenuiorem aqueam partem, quæ sanguini fluiditatem conciliat, ejusque motum intestinum custodit, absumunt, hisque simul efficiunt, ut crassiores terrestres moleculæ e fluidi sinu discedant atque concrescant. Quare injungenda utique exacta vitæ victusque ratio, & ejusmodi diætetica maxime præsidia commendanda, quæ vitiosam hanc sanguinis dispositionem corrigunt ac tollunt, inter quæ principem merito obtinent locum, motus & exercitatio corporis cum aeris mutatione, potus tenuis, nec non conveniens aquarum mineralium usus, præsertim earum, quæ temperatiores indole & sal alcali vehunt, ad dissolvendas fibrosas ad concretionem pronas in sanguine partes, accommodatissimum.

§. XXX.

Viscerũ corruptiones. Porro, quia illæ morbis diuturnis obviæ viscerum indurationes, corruptiones, ulcerationes, & abscessus, nonnisi a stagnatione & quiete humorum circumagẽdorum natales ducunt, tutiori longe, & certiori ratione hæc pariter mala præcaventur, quam persanantur; cui fini obtinendo idemtidem quam maxime inserviunt, depromta ex diæta & bono vitę regimine subsidia. Temperies quippe, & mediocritas in rebus sic dictis non naturalibus, est efficacissimum auxilium, quo & corporis integritas servatur, & morborum caussæ averruncantur; omne autem nimium, peritissimo *Hippocratis* effato, naturæ inimicum, dum sanitatem labefactat, ac destruendo humorum vitales in corpore motus, caussas morborum præparat atque ingignit. Potissimum ad chronicorum morborum genesin faciunt nimia voracitas, otium atque desidia, animi mœror, aer densus, humidus, impurus, minusque elasticus, potus intemperantior, cibi insalubres semiputridi, quæ omnia ea propter summo evitare debet studio, is, qui corpus a gravi vel plane lethifera labe immune præstare nititur.

§. XXXI.

Inflammationes & sphacelationes In acutis vero morbis, qui inflammatione, eaque in sphacelum concedente, necant, summa opus est prudentia, quo in eorundem curatione omnia ea evitentur, quæ inflammatoriam stasin, ipsamque putredinem conciliare possunt. Nam profecto, si in ullo, certe in acuto, qui præcipitis est periculi morbo, perquam leves etiam commissi errores, tam pernicialis sunt effectus, ut in summum discrimen ægros adducant, præsertim si jam per aliquot dies symptomatum vehementia, continuo æstu, assidua vigilia corpus exhaustum vireſque infirmatæ fuerint. Compluries certe observavi, a situ paullo diutius erecto, ab improvida linteaminum mutatione, a pedum refrigeratione, ab ira, timore vel terrore incusso, a potu spirituoso, nimis calido, ab assumto vino, a cibo etiam morbo declinante largius ingesto, multo magis a medicamento nimis calido, opiato, purgante, aut clystere acriori, omnia in pejus mutata & lethiferam contractam fuisse inflammationem. Hinc licet ipsa natura acutas has & difficillimas passiones quam optime sanet; verumtamen quia plurimæ dantur caussæ, quæ naturam in opere suo impedire, turbare, & motus salutares pervertere possunt, medici, ceu naturæ ministri, est, omnes has caussas probe tenere perspectas, modisque declinare omnibus; unde etiam præsentia sua decumbentibus crebro adesse debet, ne vel ipsi, vel adstantes, damnum procurent; id quod sapienter etiam præcipit *Hippocrates Sect.* 1. *aphorism.* 1. *oportet*, inquiens, *non solum seipsum exhibere quæ decent facientem, sed etiam*

etiam ægrotum, & præſentes, & quæ externa ſunt.

§. XXXII.

Mortis naturalis cauſſa, quæ?

Non autem alienum erit, ſi huic de generatione mortis in morbis diſquiſitioni, nonnulla de vera inevitabilis omnibus moriendi neceſſitatis cauſſa, ſubnectamus. Hanc omnibus ex æquo incumbere nemo non novit; in quo vero ejus genuina & adæquata ratio poſita ſit, tantum non omnes & Medicorum & Philoſophorum libri ſicco plane prætereunt pede. Ego vero *Medicinæ rationalis ſyſtematicæ Tom. I. p. 62. ſeq.* nec non *Tom. II. pag. 54. ſeq.* in mortis naturalis genuinam cauſſam inquirens, eandem non tam in fluidarum, quam potius ſolidarum corporis noſtri partium depravata conſtitutione, fibrarum nempe & membranarum increſcente cum ætate craſſitie, duritie & compactiore textura conſtituendam eſſe, primus fere merito aſſerui. Nam quia temporis diuturnitate cartilagines in oſſa denſantur, hæc magis magiſque indurantur, tendines cum fibris muſculoſis obrigeſcunt, omniumque annoſiorum animantium carnes longe ſolidiores & compactiores ſunt quam juniorum, ac proinde coctione ægrius molleſcunt, nullum etiam dubium eſt, quin tunicæ vaſorum, e quibus corpus penitus coagmentatum eſt, craſſeſcant, alvei canalium his anguſtentur, occludantur, ut minimi eorundem demum concidant, ac nihil plane fluidi tranſmittant. Hoc autem ſi contigerit, intercipitur non ſolum vitalis ille humorum per univerſum corpus circulus, ſed etiam ſecretiones cum excretionibus per minimos tubulos non rite perficiuntur, ſucci vitales ſpiſſeſcunt & ſordeſcunt, vires concidunt, digeſtio perit, nutritio deficit, & ſic ſenſim ſenſimque ad morbos paratur aditus, ipſaque mors obrepit.

§. XXXIII.

Et quo modo diu arcenda?

Quod ſi itaque vita diutius conſervanda, & ſenectus a familiaribus ipſi morboſis inſultibus vindicanda, eo quam maxime in vitæ victuſque ratione dirigendum eſt conſilium, quo partes ſolidæ flexiles, canales patuli & humores fluxiles, tenues ac puri ſerventur. Hinc evitanda merito omnia qualitate & quantitate exceſſiva, ſenili corpori infenſiſſima, omnia acida, adſtringentia, ſalſa, cibi nimii flatulenti, duri, difficilis concoctionis, præſertim ex mari deſumti, potus nimium ſpirituoſus, frigidus & craſſus, otioſa quies, frigus, patheticæ animi impenſiores commotiones, veneris intempeſtivum exercitium, diuturna vigilia, exceſſiva corporis agitatio, aer vappidus, impurus ac nubilus. Viciſſim temperiei & moderationi in rebus ſic dictis externis non naturalibus ſolicite ſtudendum, animus ad hilaritatem & tranquillitatem componendus, cibus paucus, mollis & facilis concoctu cum potu tenui, & expedite tranſeunte uſurpandus, vinum moderate, non acidum, ſed dulce & ſpirituoſum, bibendum, juſcula analeptica ſorbillanda, balnea & pediluvia ſubinde admittenda, venæſectio crebrior ſed parca inſtituenda, corpus moderate exercendum, & in aere puro ac ſereno, rurali maxime, commorandum, corpus ſubinde blando calore fovendum, alvus nonnunquam clementer ſubducenda, & quæ plura eundem in finem præcepta in diſſertatione, *de tuenda ſenum valetudine*, tradidimus.

§. XXXIV.

Lethiferarum læſionum ratio.

Neque poſtremo alia, quam in morbis & ex naturali neceſſitate, ratione, motuum nempe vitalium, tam in ſolidis ſyſtaltici & diaſtaltici, quam in fluidis circulatorii & progreſſivi, plenaria deſtructione atque extinctione, mors a gravi per violentas cauſſas externas læſione evenit. Nimirum pleræque mortiferæ per exter-

ternam quandam vim illatæ læsiones, enormi sanguinis profusione atque extravasatione trucidant, dum, ex sauciatis tam in, quam extra ampliſſima corporis viscera, majoribus vasis, cruor nulla ope compescendus manat, ac demum cum viribus vita, exhausto penitus liquore vitali, concidit. Aliæ lethales violationes ita sunt comparatæ, ut vitalem illum systoles atque diastoles motum extinguant; hinc si cor ampliore vulnere sauciatur, illico exanimatur læsus, non solum ob extravasationem, sed maxime quod circularis sanguinis progressus, pereunte in corde, tanquam centro, recipiente & expellente motu sistatur atque cesset. Idem fit, quando principium nervorum, quod in medulla oblongata cerebri est, sive per vulnerationem, aut ab incumbente gravius humore, offensam patitur, eo quod sufficiens liquidi nervei influxus, a quo motus cordis & vasorum contractorius & relaxatorius ad vitam necessarius, dependent, intercipitur penitusque aboletur. Aliæ denique inflictæ vulnerationes putredinem sphacelosam, & corruptionem post se trahunt, eademque latius serpente ipsosque vitales succos contaminante lethum inferunt, ægrumque lente conficiunt. Ac in his omnium absolutę lethalitatis læsionum ratio fundata est & continetur.

SECTIO II.

DE

METHODO, ORDINE

Et Legibus medendi, tam Naturæ, quam Artis.

NEC NON

De remediis; Eorum quatuor generibus, Operandi & recte applicandi modo, una cum cautelis, Observationibus & medicamentis compositis selectissimis.

CAPUT I.

De optima naturæ morbis Medendi methodo.

§. I.

Natura sola sæpe morbos sanat.

QUod plurimi, præsertim ex plebeiis, rusticis, & qui simplici ac populari victu fruuntur, & tranquillioris quoque ab intemperantia affectuum vacui sunt animi, a febribus acutis, etiam gravioribus, pestilentibus, malignis, sine omni medicamento & sine singulari artificiosa medici ope, sola abstinentia & quiete, qualicumque evitatione nimiarum refrigerationum, tutius & felicius, solius naturæ, qua pollent energia, robore ac viribus sponte liberentur, & tutius, felicius ac certius, quam multi alii, divites quoque & Magnates, qui famigeratissimis medicis eorumque pretiosis arcanis utuntur, convalescant, tam evidens & notum est, ut nulla plane egeat probatione. Quin ad unum fere omnes ex antiquissimis, & recentioribus medicis in eo consentiunt, & cum *Hippocrate lib. 6. epid. 5.* fatentur: quod natura optima sit morborum medicatrix, quæ suis viribus usa, juxta *Galenum*, noxia e corpore expellat, & utilia salutis causa retineat, ut sine ejus auxilio etiam medicus nihil solidi præstare possit.

§. II.

Quid per eam intelligant Veteres.

Quid vero per hanc naturam, quæ tam efficaciter vitam, & sanitatem tuetur, hominemque a præsente mortis & morborum periculo defendit ac liberat, intelligendum sit, obscura inde ab omni ævo fuit quæstio, quam maxime tamen evolvenda. Veteres, quorum sapientia in physicis plus inanibus nominibus, quam rebus & veris caussis occupabatur, naturam corporis humani dixerunt omnis motus in eo principium & caussam: qua vero definitione

ne nihil aliud egerunt, quam ut id quod in quæstione erat repeterent, sive idem per idem explicarent. Quidam non incelebres nostri ævi viri paullo pressius naturæ vocem exposituri, perhibent, omnium actuum, tam mentalium moralium, idealium, quam physicorum & mechanicorum in corpore nostro, unam & primam caussam, unum agens & principium esse, nempe animam, ratione & interna cognitione instructam, omnesque motus ad certum finem & salutem corporis dirigentem. Hanc, quando vitaliter agat, id est, motus ad vitam conservandam administret, naturam appellandam, quæ quidem non actu & contactu quodam physico, absolutæ necessitatis, sed tantum morali quadam caussarum nocentium & læsionum imminentium æstimatione, motus ad eas removendas ac ejiciendas corpore, quamvis sæpias erronee, instituat, adeoque omnes hos motus & conatus, quum in salutarem finem, nempe conservationem corporis tendant, in se & sua natura semper bonos & salutares esse, eamque ob caussam perperam noxios & morbosos a vulgo medicorum haberi.

Et quidam recentiores.

§. III.

Nova hæc est ac ingeniose excogitata hypothesis, quam tamen examini subjicere, & pluribus ac evidentibus argumentis infirmare jam nec loci est, nec nostri instituti, inprimis quum etiam jamjam de eadem abunde in *Medicinæ hujus Systematicæ tom.* I. a nobis actum, & alii quoque, quos inter eminet *D. Burchardus*, Professor Rostochiensis celeberrimus, in *tr. de principio movente primo in animatis*, id docte satis & solide præstiterint. Id saltim hoc loco monendum esse duxi: quod triplices in homine observentur actus, in se & sua natura distinctissimi, nempe mentales, qui intellectu & volutate absolvuntur, ac homini proprii sunt, ideales, qui in receptione idearum ex objectis & inde mergente certa sensatione & perceptione fiunt, quos cum brutis animantibus communes habemus, & denique actus pure physici, sive motus, qui ex operatione & mutua actione rerum corporearum resultant, & pro diversa structura, situ, nexu, dispositione, magnitudine & figura solidorum & fluidorum, certo numero, ordine & fine etiam eveniunt, ac a Philosophis dicuntur mechanici, & neque principium illud, quod ideas format, sed vim motricem, quæ omnibus rebus corporeis essentialis est, varie modificatam, pro caussa vera, proxima & immediata agnoscunt. Et tales actus physici sunt verum medici & medicinæ objectum, eo quod vita, sanitas, læsio actionum, sive morbus, eorum extinctio, sive mors, præservatio & restitutio a morbis, item vis & virtus rerum quæ nocent & prosunt corpori humano, ab his primo, proxime & immediate dependent, ut ut non negari possit, ex divina commercii & consortii lege, quam summus opifex inter actiones vitales, sensuales & mentales sancivit, cogitationes ac phantasias hominis limitatam & determinatam quandam habere potentiam, actus istos pure physicos, non caussaliter efficiendi, sed potius turbandi & quadantenus disponendi.

Actus vero in corpore triplices.

Ex his mechanici medicinæ objectū.

§. IV.

Ut itaque paullo clarius & specialius mentem nostram promamus, per naturam corporis humani, quæ secundum *Hippocratem* omnis sermonis & ratiocinationis in medicina principium esse debet, nihil aliud intelligimus, quam progressivum & in circulum abeuntem sanguinis & omnis generis humorum motum, a cordis & valorum, quibus fluida continentur, aliorumque solidorum motu contractorio & dilatatorio reciproco, dependentem, quo solidorum & fluidorum decenti motu, tam partium utilium & qui in usum retineri debent, continua secretio, quam etiam variæ indolis inutilium, per convenientia emunctoria & cribra excretio, perficitur. His motibus recte & ordine succedentibus,

Horum motuum œconomica natura.

tibus, vita & integritas corporis conservatur ac morbidæ læsiones arcentur, iisdemque inordinate se habentibus, partium & actionum læsiones, sive morbi, oriuntur, quorum sanatio illis in ordinem per convenientia auxilia redactis, evenit atque conficitur. Hic autem activus, vegetus systoles & constrictionis solidorum motus, tanquam vera caussa, quæ recte dici potest anima, actionum vitalium, non a principio quodam spirituali, morali & metaphysico, sed partim a solidorum & vasorum structura organica & virtute elastica, partim a fluidi tenuissimi, magna potentia movendi instructi, ac in sanguine arterioso & nervis contenti, in motrices omnis generis partes maxime tubulosas influxu dependet.

§. V.

Methodus naturæ in caussarum remotione consistit.

Jam quum clarissime constet, quid sit natura illa corporis conservatrix & medicatrix; nunc dispiciendum erit, qua methodo, qua via, hæc ipsa natura, cujus plane mirabilis in liberando corpus a præsentibus morbi & mortis periculis vis est ac energia, hoc solenne negotium perficiat. Nam certe cognitio hujus methodi, qua natura, quæ infinite sapientem architectum pro auctore habet, utitur, merito vera ac firma cynosura est artis medicæ, quæ secundum hanc leges & regulas suas medendi construere debet, ut naturam recte agentem non turbet, vel pervertat, sed potius sequatur & imitetur, vel deficientem & impeditam adjuvet atque in ordinem reducat. Palmarium vero momentum, in quo methodus & ordo, tam naturæ, quam artis in medendo, quam maxime conveniunt, in eo versatur, quod utroque caussæ morborum, quæ œconomiam motuum secundum naturam turbant & corrumpunt, removeantur atque corpore ejiciantur. Hinc recte docet *Galenus lib. 1. method. medend.* perfectam curationem a caussis exordiri. Et ex *Celsi* mente is recte curat, quem caussæ origo non fallit; quia caussæ investigatio ejusque primordia & occasio, in affectionis & remediorum cognitionem amplissimam deducunt. Idem confirmat *Fernelius lib. 1. cap. 4. method. med.* asserens, morbos absque caussarum præcognitione, nec præcaveri, nec feliciter curari posse.

§. VI.

Caussæ quæ sunt?

Quod si itaque sola natura sponte & suis viribus usa, sine ope & arte medici & sine pharmacorum apparatu, morbos subinde sanat, idque caussas morborum penitus removendo præstat, jure meritoque quæritur: quænam sint illæ morborum caussæ, & quomodo, quo ordine ac methodo eædem a natura vincantur ac submoveantur. In hac autem decidenda tenendum est: quod sicuti, ut jam monuimus, ad conservationem corporis nihil magis necessarium, quam motus tam progressivus, quam excretorius: ita nihil naturæ infestius & ad destructionem invehendam aptius, quam sanguinis & humorum quies, stagnatio, stasis, extravasatio, vasorum occlusio, sordium retentio & viscerum induratio. Hæ enim efficacissimæ sunt caussæ ad inducendos motus febriles, spasmodicos & convulsivos, quibus maxime motuum morbosorum apparatus continetur, hæ quoque putredinem, quæ & mixtioni & structuræ solidorum infensissima est, inferunt, quam recentiores medicorum malignitatis nomine insigniunt.

§. VII.

Ad eas removendas inservit motus solidorum & fluidorum.

Has igitur morbificas caussas subigere ac removere debet natura, si officio suo recte perfungi velit. Ad hoc vero exsequendum non convenientius ac efficacius excogitari poterit medium, ipso motu, tam solidorum, quam fluidorum, auctiori facto. Hujus enim indoles & præcipua virtus est, ut humores subsistentes eorumque stases & stagnationes concutere, latibulis extundere, resolvere, iterum in motum cieres, & sic obstructiones vasorum referare possit. Hic quoque

motus ſpiſſos, immobiles impactoſque humores fluxiles ac progreſſu idoneos reddit, pariterque copia delinquentes ſuccos ipſumque ſanguinem per congrua loca exonerandos, nec non excrementitios, ſeroſos, ſalſos per diverſi generis emunctoria proſcribendos, quam maxime idoneus eſt, bilioſos quidem & viſcidos per alvi feceſſum, ſalſos aquoſos per urinam, & ſubtiliores aqueas ſalino-ſulphureas ſordes per univerſale cutis emunctorium exonerando.

§. VIII.

Qui auctior factus & morbos facit & eos ſolvit.

Jam vero memoratu admodum dignum eſt, omnem morbificam cauſſam, ſive quantitate ſeu mole, ſive intemperie & activitate infenſa ſit, principaliter actione ſua afficere partes ſubtiliori motu & ſenſu præditas, quales nervoſo-membranaceæ & muſculoſæ ſunt, & ex illis maxime compoſiti omnes canales & tubuli, qui fluida vehunt & motu ſyſtoles atque diaſtoles pollent, quos moleſte vel diſtendit & comprimit, vel lancinat, irritat, aut erodit, quod dum efficit, vigore legis mechanicæ microcoſmicæ, moleſta quædam ſpaſtica tractoria motio, ſive reactio, univerſum ſæpe ſyſtema partium nervoſarum, & fibroſarum in ſimilem motum per conſenſum abripiens, ſuſcitatur, quæ ſpaſtica motricium, muſculoſarum & nervearum partium conſtrictio, evidentem, primam & proximam motuum morboſorum cauſſam unice conſtituit atque abſolvit. Hæc quippe eſt, quæ omnibus motibus, qui alias ſecundum naturam ordinate fiunt, turbandis & pervertendis apta eſt, hæc functiones partium lædendi ac invertendi potentia pollet, & ex hac omnium in morbis obviorum ſymptomatum origo merito petenda eſt. Quod vero mirandum, idem hic ſpaſticus motus, eſt inſtrumentum ac medium, quo natura utiliſſime utitur ad ipſam morbi cauſſam, quæ motus hos morboſos concitat, ſuperandam ac præſcindendam, ut adeo infinita ſummi architecti ſapientia & providentia in conſtruenda corporis humani machina merito admiranda ſit, qua factum, ut morboſi motus ſubinde remedio ſint ipſis morborum cauſſis corrigendis ac removendis.

§. IX.

Quotuplex ſit motus &c.

In quo quidem quum magnum naturæ medicatricis arcanum & res maximi momenti contineatur, ſcopo noſtro quam maxime erit conſentaneū, ut mentem noſtram circa hoc negotiū paullo clarius exponamus. Videlicet obſervatur, ut paſſim inculcavimus, in omnibus motibus & paroxyſmis ſpaſmus, qui recte primo in univerſalem & particularem, deinde in ſalutarem & pernicioſum diſpeſcitur. Univerſalis, ſi totum vaſorum genus, præcipue vero cor & arteriarum ac fibrarum ſyſtema affligit, & facta præternaturali in iis conſtrictione, ſyſtoles & diaſtoles intenditur, ſanguiniſq; progreſſus acceleratur, febris recte dicitur, cujus pulſuū frequentia certiſſimus index eſt. Alter particularis, in certis tantum corporis partibus conſiſtit, quas conſtringendo coarctat, ſanguiniſq; liberum progreſſum intercipit, adeoq; inæqualem commeatum efficiendo, ſanguinis copiam ad alias partes minus ſtrictas impetuoſe urget. Potiſſimum ſpaſtica hæc affectio particularis nervoſas & membranaceas partes exagitat, ut ſunt ventriculus cum toto inteſtinorum volumine, in quo ſcenam ſæpe adornat, quod morbus ille ſpaſmodicus, qui mali hyſterici vel hypochondriaci nomine notus, pathematum & varietate atque atrocia planum facit teſtatumque. Præſto quoque eſt hic ſpaſmus in omnibus hæmorrhagiis, nimiis ſanguinis ad certa loca congeſtionibus, humorum decubitu, in omnis generis doloribus, cunctis anxietatibus & excretionibus ſuppreſſis. Quod ſi vero hic vehementior ſpaſmus duram matrem, quæ totum cerebrum ac cerebellum involvit, ac nervorum omnium immo oſſium membranis ortum præbet, tangit, non modo celerrima fluidi ner-

nervei per totum membranarum & nervorum ſyſtema fit trajectio, ſed &citra voluntatem artus vel ſtringuntur, vel diſtorquentur, aut validiſſime agitantur,& ſic epilepſia, ſive convulſio univerſalis, naſcitur,quum contra convulſivi motus ex ſpaſmo membranarum ac nervorum ſpinalis medullæ originem ſortiantur.

§. X.

Qui ex iis ad ſalutem.

Hi ſunt præcipui illi naturæ motus, qui in morborum inſultu vel paroxyſmo nunquam non advertuntur; jam diſquirendum, quinam ex iiſdem ſaluti & cauſſis morborum removendis apti ſint, & quinam viciſſim ad perniciem ipſamque mortem tendant? Salutares itaque eos in morbis motus ac ſpaſmos dicimus, qui ita ſunt comparati, ut cauſſam morborum ſive ſpaſmodicorum motuum auferant,& tam humores ſtaſin vel ſtagnationem concipientes expediant,iterumque in motum cieant, quam & acres cauſticos corrigant atque contemperent, ſimulque ad excretionem materiæ peccantis vergant. Exitioſos vero multumq; periculoſos cenſemus eos, qui cutim &omnis generis emunctoria conſtringunt, materiam, quæ in vitio eſt, ipſumque morbi fomitem intus detinent & ad ima viſcerum ac interiora vitæ penetralia pellunt, neque evacuant. Illos ſanitas, hos mors excipit.

qui ad interitū tendant.

§. XI.

Spaſmus quomodo ſiat ſalutaris?

Ea quidem omnium ſpaſmorum indoles eſt,iſque effectus,ut ſanguinem & humores a corporis ambitu ad interiora agant, ac emunctoriorum minimos ductus ſtringendo, evacuationes quodammodo ſufflaminent: nihilominus tamen ſalutares ſæpe fiunt, quando ſcilicet interpoſito certo temporis ſpatio, excernicula antea occluſa laxantur, criſpati tubuli adaperiuntur & poſtea major ſuccorum ad corporis ſuperficiem parteſque externas ſuccedit appulſus, cutanea excretio augetur, ſudor manat, urinæ craſſæ minguntur & alvus bilioſa ac viſcida copioſe dimittit. Et ex his excretionibus,quæ morbos & ſpaſmos certo præſertim tempore ſubſequuntur, ſalutaris effectus & auſpicatus eventus merito dijudicandus, unde etiam medici eaſdem criticas, ſive morbum judicantes, appellare ſueſcunt. Solent autem hæ ipſæ, ſi cum ſalute contingunt, die maxime impari critico eapropter dicto ſuccedere, dimidiato ſcilicet ſeptimo, nono, undecimo ac decimo quarto, & his diebus vel ad mortem, vel ad ſalutem morbus concedit. Ubi enim hiſce diebus notabilis ſymptomatum fit remiſſio, & evacuationes eveniunt, optima ſalutis eſt ſignificatio: quando vero ſymptomatum atrocia perſiſtit, ſpaſmi urgēt, nec evacuationes animadvertuntur, graviſſimum imminet diſcrimen, ac mors utplurimum morbum terminare obſervatur. Quare licet plures motuum morboſorum in ſe & ſua natura a norma ac ordine deflectant, dirigente tamen ſic divina in artificioſa ſolidarum & fluidarum machinam noſtram conſtituentium partium diſpoſitione, ſtructura & motibus inde reſultantibus providentia, ſæpiſſime ſunt ſalutares, cauſſiſque morborum expugnandis idonei, ipſiſque morbis ſic optime medentur, quo etiam ſenſu recte a Veterum ſapientioribus natura dicta eſt morborum medicatrix.

§. XII.

Naturæ cauſſam tollendo ſanat morbos.

Igitur genuina, tuta,ac ſaluberrima corpori a ſummo conditore jam inſita methodus,lex,ac norma, qua & ſecundum quam ipſa natura morbos percurat, in eo maxime verſatur, ut a cauſſa morbi, ſive mole, ſive qualitate peccet, ſpaſtici motus in genere vaſculoſo & membranoſo etiam ſuſcitentur, qui ad ipſam cauſſam morbi removendam, vel convenienti tempore eliminandam, tendant. Hi quando ex voto ſuccedunt,ſola natura morbos ſanat,& medicus tantum ſpectatorem agit; quod ſi autem hæc ſola id præſtare nequit, artifex eidem viæ ac methodo inſiſtere,naturam adjuvare, impedimenta tollere, motus moderari,

ri, vel intendere, materiam ad congrua loca ducere, ab incongruis divertere, variis debet accommodis remediorum generibus. Ut adeo in eo jam unice omne medentis auxilium, omnis intentio ac sanandi ratio fundata esse & consistere debeat, quo methodum naturæ, si in materia subsistente dissolvenda atque expedienda, acri emendanda & temperanda, demumque debito tempore per convenientia loca expellenda, occupata est, observet, sequatur, adjuvet, ac in rectâ viam ad salutarem finem traducat.

§. XIII.

Naturæ processus in febribus acutis.

Sed necessarium æque ac utile erit, quo mentem nostram paullo clarius exponamus, & hanc naturæ methodum in variis morbis investigemus, ostendendo, qua ratione in iisdem corpus sæpe a præsentanea noxa vindicet. Ex horum numero potissimum sunt febres, tam acutę, quam chronicę. Acutarum quidem pleræque sunt inflammatoriæ, & fixam sanguinis stasin in tubulosa partium aut viscerum substantia pro causa agnoscunt, quæ dum spasmum in universo genere fibroso & vasculoso suscitat, sanguinem per totum systema vasorum celerius agit, & majori copia ad partem affectam appellit, quo fit, ut sanguis subsistens & firmius inclusus, successive absergatur, eluatur, resolvatur, ac in motum redigatur, quod plerumque circa septimum diem contingit. Et si tunc spasmus cum omnibus symptomatibus etiam ipsa febre remittit, cortex cutis glandulosus laxatur, exhalatio repetit, sudor liberius manat, generatę sub febrili commotione multæ recrementitię salino-sulphureę sordes, solius naturæ beneficio utiliter evacuantur, ipsa febris ex voto solvitur, qua certe naturæ methodo plures, præsertim plebeii, sine ullius medici ope, sæpe feliciter, ex febribus inprimis continuis, evadunt.

§. XIV.

Medici officium.

Hæc naturæ methodus curandi quam maxime medico monstrat viâ, quid in hujus generis febribus facere vel omittere debeat. Lex enim curandi hæc est: impactus tubulis sanguis successive & paulatim citatiori sanguinis appulsu resolvendus est. Ex quo facile colligitur, quia a sanguinis abundantia, qua nimium vasa distenta sunt & turgent, impeditur sanguinis per partem inflammatam liberior transpulsus, ut potius exinde major sanguinis in eadem fiat stagnatio, ipsaque inflammatio incrementum capiat, tali in casu nihil præsentius esse, quam sanguinis detractionem provide institutam, partim quo major stasis & inflammatio impediatur, partim etiam ut liberior cursus universo sanguini & transpressio per partem affectam concilietur. Vicissim & illud ex prima & principe morbis medendi lege naturæ addiscimus, non valde nimiam esse sanguinis quantitatem exhauriendam, siquidem detracta nimia sanguinis copia, non sufficiens fit ad partem affectam ejus appulsus, quo tamen stasis, quæ causa morbi est, dissolvi debet. Quare graviter ii peccant medici, qui in febribus inflammatoriis, quando sanguis deficit, repetitas venæ sectiones moliuntur, quibus nihil aliud perficiunt, quam ut inflammatam partem celerrime ad sphacelum perducant. Et dum in minimis & capillaribus vasculis sanguis & humores stasin ac inflammationem concipiunt, atque ex his ipsis eluendi sunt, per hæc tamen sanguis crassus & densus difficillime transit, facile apparet, ea omnia, quæ humores fluxiles reddunt, quæ diluunt, humectant, & immodicum calorem, quo serum tenue absumitur, contemperant, remedia convenientissima esse: contra omnia, quæ humores incrassant, quæ calorem augent, humidum absumunt, uti opiata & calidiora sudorifera, in omni inflammationum genere noxiosissima esse.

In exanthematicis febribus quid natura faciat.

§. XV.

In acutis gravissimis febribus, quæ jungi solent variolis, morbillis, purpuræ, petechiis, bubonibus pestilentia-

tialibus, ferum sanguinis causticum, acre, tenue, in partibus nervoso-membranaceis, præsertim ventriculo & intestinis, acerbas spasticas constrictiones, nec non humorum ad varias partes congestiones efficit, simulque febrem accendit, cujus beneficio sanguis, a partibus exterioribus ad interiores, ubi materia peccans hæret, appellitur, ut copiosioris lymphatici humoris & sanguinis affluxu materia acris caustica temperetur, corrigatur, resolvatur, & apta ad excernendum fiat. Quod si naturæ beneficio id feliciter accidit, spasmorum omniumque fere symptomatum fit remissio pori & rubuli subcutanei relaxantur, & sanguinis ad summam cutem & ambitum corporis fit major affluxus, unde materia morbifica caustica ibi secernitur, atque sub forma exanthematum, pustularum, bubonum excernitur. Et sic sæpe naturæ solius beneficio pestis, variolæ & morbilli, citra singularem apparatum medicamentorum, sanantur. Nam perspicuis certe verbis *Sanctorius sect. 1. aph. 139.* confirmat, plebejos magis liberari a peste, quam divites, qui multis medicamentis utuntur; & *Sydenham* in limine *acut. morb.* ita disserit: *ipsa pestis quid obsecro est aliud, quam symptomatum complicatio, quibus utitur natura ad inspiratas una cum aere particulas miasmodes perem unctoria apostematum specie, vel aliarum eruptionum opere, excutiendas.*

§. XVI.

Quid medico faciendum.

Quod si igitur hac via, natura sola hos gravissimos morbos curat, utique etiam medicus, qui naturæ minister audit, huic viæ insistere debet, si natura sola id perficere impeditur. Regula namque exanthematicis hisce febribus medendi hæc est: materia acris, caustica, vitalibus partibus inhærens, uberiori sanguinis & lymphæ benignæ appulsu contemperanda est, ut apta ad excretionem per ambitum corporis fiat. Ex quo jam conficitur, omnia ea, quæ ad contemperandam materiam acrem faciunt, & quæ succos sanguini dulces, gelatinosos, benignos ingenerant, naturæ vacillanti egregie opitulari. Hinc patet, præstantissimum in his morbis usum esse decoctorum, quæ leniunt & demulcent acrimoniam, qualia parari solent ex dactylis, ficubus, radice glycyrrhizæ, floribus papaveris rhæados, semine fœniculi. Patet quoque porro, plane eximium esse usum bezoardicorum, quæ fixioris indolis sunt, & acrimoniæ humorum temperandæ egregie serviunt. Neque ex dictis amplius obscurum esse poterit, quam valde graviter & perverse in curando procedant ii, qui statim ab initio, antequam materia cocta, temperata & ad exclusionem apta reddita fuit, sudoriferis valentioribus & expellentibus hos morbos tractant, quibus certe nihil aliud efficiunt, quam ut acerbiora symptomata, ipsumque funestum exitum accersant. Denique ex allatis id quoque patescit; quod quum materia per cutem sit eliminanda, nefarii sint eorum usus, qui eo tempore, quo ipsa ad hoc in superficie corporis emunctorium transmitti debet, valentiora purgantia, diuretica, aut emetica, vel etiam acida refrigerantia, aut opiata, vel nimia quantitate nitrosa, præsertim in infantili ætate, propinant, aut corpora liberiori aeri exponunt.

§. XVII.

Febrium intermittentium natura lis decursus.

Febres quoque intermittentes remedii & præsidii quippiam complectuntur, & haud raro sine medici auxilio cum insigni subsequente emolumento discedunt. Quum enim contumaces sint ex iisdem, ut sunt quæ autumno, vel hieme accedunt, nec non quartanæ, focum ac fomitem plerumque altius in abdominis visceribus, hepate, liene vel pancreate constitutum habeant, eaque propter corpora sanguine crasso farta crebrius infestare soleant, ac nonnunquam vel sponte, vel per imprudentem medicationem, in icterum, anasarcam, ascites, pedum œdemata, aut

aut lienis tumorem concedant: nihil certe efficacius magisque aptum ad obstructa & infarta hæc viscera reseranda excogitari poterit, quam citatior atque validior sanguinis ad oppilatos tubulos appulsus ac motus, quo utique succi crassi & impacti urgentur, latibulis eliduntur, iterumque in motum percientur, ut hinc solutis obstructionum repagulis, ipsa febris, vel sponte sæpe, vel exigua artis ope, felicissime desinat.

§. XVIII.

Artificis officium.

Quia vero graves a sanguine nimis copioso & crasso oppilationes, minus ex voto a sola natura expediri queunt, sed potius recurrentibus tam crebro paroxysmis, sanguinis massa admodum consumitur, intemperiem calidam biliosam contrahit, ipsæque vires simul exhauriuntur; omnino artificis est, optimum naturæ processum opera sua, quantum fieri potest, secundare, omniaque auxiliorum genera eo dirigere, quo farcti obstructione viscerum meatus referentur. Quo pertinet maxime prudens & circumspectus pro diversitate corporum usus salium aperientium, spissos succos colliquantium & abstergentium, decocta & infusa ex radicibus & herbis amaris aromaticis incidentibus balsamicis concinnata, accommoda evacuantia, ut sunt balsamicæ nostræ pilulæ, item mercurialia rite præparata; quæ omnia debito ordine ac tempore administrata, utique ad debellandas has contumaces febres, & corpus ab imminenti periculo tuendum, præstantissimæ sunt efficaciæ. Contra vero nefaria sane & perversa rebelles intermittentes sanandi est methodus, qua mox in principio purgantia validiora & emetica, item sudorifera, opiata & adstringentia, liberaliori præsertim manu, propinantur; eo quod hoc facto, obstructiones potius obfirmantur, & pessimæ recidivæ, vel alia longe graviora mala arcessuntur, quæ nullam sanationem admittunt.

§. XIX.

Naturæ methodus in lymphaticis febribus.

Accedunt arthriticæ, rheumaticæ, & catarrhales febres, in quibus maxime peccat serum copiosum excrementitium, tenue, salsum, quod languescente perspiratione retentum, & ad interiora, atmosphæra prælertim a ventis borealibus compressa, repulsum, in glandulosis asperæ arteriæ vel faucium locis, aut membranis articulorum vel musculorum hærens, spasticas ibi stricturas movet, unde extremorum horripilatio, refrigeratio, lassitudo corporis gravativa, appetitus prostratio, alvi constrictio, frequentior ad urinam stimulus, calor sub vesperam & noctem auctior, sternutatio, tussis, dolor artuum, subsequuntur. Nihilo tamen secius sub hisce naturæ contrariis ab ambitu ad interiora motibus, subsidium latitat atque remedium; quandoquidem dum sanguis & temperatior lympha ad partes stimulo salino exagitatas largius advehitur, tubuli antea constricti ampliantur, & materia caustica contemperatur, sive coquitur, atque adeo ad excretionem cum copioso humore viscido in tussi & coryza, vel ad exhalationem per cutis spiracula in arthritide & variis rheumatismi speciebus apta redditur. Et hic naturæ processus medico planius monstrat, quid in ejusmodi morbis prosit, vel obsit, & quid ipsi faciendum, vel omittendum. Prima enim atque palmaria ejus intentio esse debet, quo congruis præsidiis, acrem & salsam materiam corrigat, altera, ut non prius quam coacta & rite præparata fuerit, ejusdem ejectionem moliatur, tertia, quo per convenientia loca & emunctoria excretionem promovet, minime vero ad alia incongrua excretoria per improvide adhibita moventia, purgantia aut emetica, pertrahat, vel plane eliminationem, quæ exhalatione perficitur, præpostero topicorum, adstringentium ac repellentium usu, impediat aut cohibeat.

Et artis eidem innitentia

§. XX.

§. XX.

Hæmorrhagiæ in salutem a natura instituuntur.

Quemadmodum igitur natura febres, cauſſam earundem per motus auctiores ſubigendo ac ejiciendo, ſola ſæpe perſanat: ſic quoque eadem methodo per varii nempe generis excretiones alios morbos & arcet & percurat. Animadvertimus videlicet ſanguinem in vaſis, præſertim in ſexu ſequiori, ætate juvenili, habitu corporis ſpongioſo, molli, vitæ genere delicatiori & quietiori, ſtatis temporibus vel temporum periodis redundare, ſtagnare & hinc inde in vaſis majoribus impeditius moveri, quo fit, ut ſpaſmo, qui ima abdominis maxime petit, atque ex dolore circa lumbos, flatulentia in abdomine, alvi adſtrictione, extremorum refrigeratione, urinæque tenuitate cognoſcitur, oborto, venæ in meſenterio & abdomine comprimantur, & hinc ſanguis majori niſu & impetu in fœminis ad uterum, in ſexu nobiliori & provectiori ætate ad hæmorrhoidales venas, in adoleſcentia ad caput & nares urgeatur, ac majori ibi facta collectione, vaſa extrema intra tunicas teneriores narium, ani vel uteri jacentia, nimium diſtendantur, tandem aperiantur, atque notabilem ſanguinis copiam effundant. Ecquis eſt, qui hic non animadvertat, ſalutarem & utiliſſimam eſſe hanc ſanguinis excretionem, quæ liberat corpus a copia, libero vitalis hujus liquoris progreſſui contraria, & ingens corporis periculum minitante.

§. XXI.

Medica earundē tractatio.

Et ſalutare hoc negotium ubi natura recte in movendo & excernendo exſequitur, nihil moliri debet medicus. Imprudens enim ipſique rationi contrarium molimen foret, ſi has excretiones ſalutiferas externis vel internis conſtringentibus, aut motus ſiſtentibus, opiatis, narcoticis, cohibere niteretur. Quando vero natura in opere deficit, & vel motus iſti ſpaſtici non ſunt ſufficientes ad ſanguinem expellendum, vel ſanguis nimis craſſus, tenax ac viſcidus eſt, vel viæ, per quas debet fieri evacuatio, obſtructæ aut nimis ſpaſmo conſtrictæ ſunt: ejus veſtigiis merito inſiſtendum, & ſanguinis exſolutio facilitanda ac promovenda, eumque in finem emmenagogorum moderatiorum cum ſufficienti humido, item potus thee, coffee, balneorum, aquarum mineralium, nimiam ſpaſmorum vehementiam ſedantium, fotuum, frictionum, eo tempore quo exitum affectat ſanguis, uſus longe eſt efficaciſſimus.

§. XXII.

Hæmorrhagiæ ſolvunt morbos.

Sæpe etiam fit, ut provida ſolius naturæ ope, graves & vix ulla arte ſanabiles morbi, ſanguinis profluvio ſolvantur & finiantur feliciſſime. Ut enim mittamus criticas illas in febribus acutis maxime obvias hæmorrhagias, de quarum ſalubritate frequens apud *Hippocratem* alioſque Veteres eſt mentio; multiplici certe experientia compertum eſt, inſaniam, vertiginem, convulſivum aſthma, colicam convulſivam, affectus ſoporoſos, item paralyticos, hemicranias, arthriticos & rheumaticos dolores, pathemata hypochondriaca, exſoluto per ani venas ſanguine, motu & exercitatione corporis, remiſiſſe ac ceſſaſſe. Sæpius quoque a me obſervatum eſt, epilepticas convulſiones & convulſivas artuum tractiones, quæ per multos annos juvenculas afflixerant, accedente menſium tempore ac prodeunte fluxu, ſponte conquieviſſe. Pariter experientia conſtat, cephalalgias, tinnitus aurium, vertiginem, aliaque gravia capitis mala, tempeſtivo narium in juvenibus ſtillicidio, egregie levari ac abigi. Et quæ plura *Sect. 1. cap. 6.* de damnis ex cohibitis ſanguineis evacuationibus in medium adduximus. Ut adeo in ejuſmodi caſibus nihil ſatius magiſque pro ſanitate ſit, quam ut artifex naturæ ductum ſequatur, ſucceſſum evacuationis tueatur atque facilitet, nec ullo modo eundem interturbet.

§. XXIII.

Natura ſanitatē tuetur.

Tam ſalubri eventu adornantur a na-

natura evacuationes ſanguinis; præter quas tamen plures adhuc aliorum humorum aliarumque materiarum, quæ corpori perniciem intentant, ab eadē per varia loca inſtituuntur excretiones. Nimirum ſeroſus quoque humor, tam quantitate, quam qualitate quandoque morborum cauſſam conſtituit, eaque propter cum inſigni ſanitatis emolumento, natura adminiſtra, corpori ſubtrahitur. Obvium hoc eſt vere maxime & autumno, ubi per glanduloſam narium & ſinuum capitis tunicam, pituitariam dictam, item per glanduloſas bronchiorum pulmonalium tunicas, ſeroſo-mucidus humor copioſe ſub coryza, tuſſi aliiſque catarrhalibus ac rheumaticis affectionibus eliminatur. Pariter accumulatis nimium in corporis penetralibus ſeroſis, acribus, bilioſis, ſalſis ſuccis, ſponte ſæpe oboritur alvi profluvium, quo iidem egregio cum levamine ejiciuntur, morbique inde oriundis minera ſubtrahitur. Sæpe quoque per cutis ſpiracula natura molitur exitum, & ſudorem movet copioſum, tam acrem & mordacem, ut ipſam cutem excoriet, cum moleſtiſſimo ad ſcalpendum pruritu, quo vidimus ſcorbuticam diatheſin ſublatam. In aliis, ſuppreſſa inprimis cuticulari excretione, exſuperantem ſeroſum humorem per urinarios tubulos emittit, corpuſque per copioſum urinæ fluxum ab eo liberat.

per catarrhales defluxiones.

diarrhœas

ſudores.

& urinæ profluvium.

§. XXIV.

Singulari porro naturæ vigori & beneficio tribuendum, quod ſi ventriculus a copia ingeſtorum, præſertim incongruorum, vel crudorum & ſemicoctorum ciborum ſarcina oppletus eſt, vomitu cito citius eum depleat, quod certe apprime pro ſanitate eſt, quippe ubi moles illa relicta ſtomachum aggravat, protinus ructus, flatus, borborygmi, hypochondriorum dolores, ſanguinis ebullitiones, cum pulſu magno & celeri ſomnique defectu accedunt. Hinc etiam de lactentibus puſillis pervulgatæ opinioni non ſine ratione creditur, quod in crebriori vomitu magnum ad ſanitatem eorum momentum ſit repoſitum. Idem ſentiendum de iis egeſtionibus, quibus natura deliteſcentes intus & noxam minantes morbificas cauſſas ad habitum corporis utiliſſime protrudit, quod ſubinde evenit in variis cutis defœdationibus, ſcabie, lepra, tinea capitis, achoribus, varis, maculis cutaneis, tumoribus eryſipelaceis & ſerpiginoſis ulcuſculis, aliiſque in cute efflorescentiis. Inprimis quoque de podagra ſenes invadente experientiæ & rationi ſubnixa fert ſententia, eandem longævam præſtare vitam, de quo ſcitum *Sydenhami* effatum: *quid podagra*, inquientis, *niſi naturæ providentia ad depurandum ſenum ſanguinem, atque ad expurgandum corporis profundum, ut cum* Hippocrate *loquamur.* Quę quidem omnes hactenus enumeratæ criticæ egeſtiones, quum ſanitatem tueantur & morbos mineram ejiciendo arceant, neutiquam intempeſtiva ac præpoſtera ope ſunt compeſcendæ, aut materia ad corticem critice amandata, infido artificio repellenda, ne eo majus eoque gravius in corpus redundet detrimentum.

Per vomitum.

cutis defœdationes.

& podagram ſenum.

§. XXV.

Quod vero quam maxime mirandum, is ſæpe naturæ in tuenda corporis integritate eſt proceſſus, ut uno illo fluidorum & ſolidorum motu auctiori facto, binas morbificas cauſſas tollat, & ſic morbos per morbos expugnet. De febribus, quod convulſiones ſolvant, priſca eſt *Hippocr. ſect. 5. aph.* 17. ſententia. Quin quartanam illud medicorum ſcandalū convulſiones ipſamque epilepſiam abigere, non modo idem auctor *ſect. 5. aphor. 70.* nec non *Coac. 3.* 80. perhibet: ſed etiam exemplis confirmatur a *Bartholino Cent. 2. hiſtor. 68. Salmutho Cent. 2. obſer.* 84. Ipſe quoque compluries obſervavi, motus convulſivos ex vermibus, accedente febre vermibuſque per æſtum vel bilem acrem enectis, ſponte ceſſaſ-

Morbos per morbos curat.

se. Pathemata hypochondriaca adolescentes ac juvenes diu exagitantia, nec ulla medica ope expugnabilia, superveniente quartana, vel tertiana, evanuisse, idemtidem novi. Neque minus insanias & passiones spasmodicas prodeunte in conspectum purpuraceo in cortice corporis scorbutico exanthemate, remisisse ac penitus discessisse, compertum habeo. Coryzam in aurium tinnitu, cephalalgia rebelli & oculorum vitiis, cum bonis ægrorum rebus oboriri, experientia uberius constat. Dysenteriam ac diarrhœam hypochondriacis, & melancholia hypochondriaca laborantibus, podagricis etiam, subinde tulisse suppetias, & recentiorum & *Hippocratis* testimoniis confirmatum est. Aliquot etiam mihi innotuerunt exempla, quod anasarca, item hydrops pectoris, cum cordis magno tremore & suffocationis metu, succedente post pilularum balsamicarum & salis aperitivi usum ingenti per uterum aquosi humoris fluxu, subsederit atque cessarit. Idem per largum alvi profluvium, per lenem stimulum procuratum, contigisse, & ipse vidi, & testatur *Ballonius lib. 1. epid. pag. 6.* Hydropem quoque saccatum, suscitato per lapsum ex improviso copioso urinæ stillicidio, disparuisse, ac feliciter fuisse sublatum uberius enarratur in *dissert. haud ita pridem heic habita, de hydropica lapsu integro abdomine curata.* Et quæ plura rariora exempla passim in observatis medicorum sunt consignata.

§. XXVI.

Morbis chronicis non sufficit.

Sic quidem natura sola optime his morbis medetur, & ineffabili sæpe prorsus modo corporis integritatem tuetur; alia vero ratio est morborum chronicorum, quos natura sola non vincit, sed qui utique artificis opem atque accommodam medendi methodum per efficacia præsidia exposcunt. Nam recte in præfatione *Cœlii Aureliani* asseritur: *celeres passiones sua sponte solvuntur, nunc fortuna, nunc natura favente, fluore sudoris, sanguinis, vel ventris: chronici vero solius medici peritiam poscunt, quum neque natura, neque fortuna solvantur.* Et *Celsus* scite non minus quam ex vero *lib. 3. cap. 1.* eandem in rem differit; *magis ignoscendum est medico parum proficienti in acutis morbis, quam in longis. Id enim breve spatium est, intra quod si auxilium non profuerit, æger extinguitur. Ibi & deliberationi & mutationi remediorum tempus patet, adeo ut raro, si inter initia medicus accessit, obsequens æger illius vitio pereat.* Scilicet longe dispar chronicorum & acutorum morborum est ratio, dum non solum in illis vehementes spastici motus, qui morbi causam impetuose aggrediuntur, celeremque exitum gignunt, adsunt; in his vero rarius, neque continuo, sed cum mutabili intermissione præsto sunt, sed etiam illi utplurimum celeriter corpori valenti accedunt, hi vero successive generantur & lentis adolescunt incrementis. Accedit, quod eorum, qui diutius trahuntur, morborum causæ plerumque sunt obstructiones & indurationes minimorum vasculorum in emunctoriis & glandulosis visceribus, inutilium & superfluorum tam se-quam excretioni dicatis, quibus oppilatis, non potest non ingens vitalibus succis conciliari impuritas, ac demum ipsa viscera & glandulosa excernicula penitus oppleta, indurata & tumefacta in putridam corruptionem, exulcerationem cancrosam vel in abscessum concedere, aut funestis lymphæ effusionibus ansam suppeditare. Adeoque quum in his causa morbi ipia mora firmissimas agat radices, & labe latius serpente, vires exhauriat, motus supprimat, ipsamque naturam mirum debilitet, non mirum est, naturam in expugnandis iis languere, motibus auctis raro eosdem aggredi, nec dispellendis iis sufficere, sed artis potius hic vigere opus, natu-

ræ vacillanti succurrere idque perficere in quo ipsa deficit.

§. XXVII.

Qui arte sanandi.

Hoc autem ex voto exsequendi nulla itidem alia suppetit methodus, quam qua vitalis ille, vitæ sanitatisque auctor, sanguinis, & humorum per omnia vascula itus ac reditus liber redditur, sordiumque per omnis generis excernicula evacuatio integra præstatur, adeoque obstructiones, ubicunque consistant, citissime expediuntur, atque humores qui in vitio sunt per congrua emunctoria educuntur. Jam vero ipsa dictitat ratio, vasculorum obstructiones nec prius solvi, nec succos vitiosos eliminari posse, quam mobiles, fluxiles & ad excretionem apti redditi fuerint. Hinc utique omnis per longos morbos sanandi methodus in eo continetur, ut humores crassi mobiles ac fluidi efficiantur, dura emolliantur, stricta laxentur & postea validiori facto sanguinis impulsu, per intensam solidorum actionem, impacti humores concutiantur, dissolvantur, eluantur, & sic obstructionum repagula referentur. Ex quo quidem clarissime patescit, efficacissimum ad hunc scopum obtinendum esse thermarum, acidularum & aliarum medicatarum aquarum, infusorum, decoctorum, fotuum, balneorum & omnium, quæ incidente & aperiente virtute pollent, tempestivum usum; contra vero ante debitam materiæ quæ in vitio est præparationem, damnosam ac prepostéram validiorum purgantium, diureticorum, sudoriferorum, salivantium, mercurialium & metallicorum oblationem, ut certe nihil imprudentius sit, quam intestinis fecibus duris confertis forte purgas exhibere, vel calculum impetuose pellere, ubi a doloris & spasmi atrocia urethres cum ductibus urinariis stricti, calculusque impactus, aut aquas hydropicorum purgante exturbare niti, ubi succi viscidi adhuc intra membranarum tunicas obhæresunt, vel denique sudorem elicere velle, ubi spiracula cutis spasmo stricta atque compressa.

§. XXVIII.

Naturæ motus minus salutares in hæmorrhagiis.

Neque vero tantum natura quandoque in opere deficit, verum etiam nonnunquam alienos plane ac pernicioso in corpore concitat motus, qui caussæ removendæ neutiquam accommodi sunt, sed potius exacerbationi favent. Hunc in censum referendæ sunt illæ sanguinis evacuationes, quæ si non sanguinis copia delinquit, sed serum acre causticum nerveo membranosis partibus insidet, & enormes profusiones in impuris cachecticis corporibus suscitat, uti sæpius contingit in purpura, variolis, morbillis, scorbuticis & arthriticis minus plethoricis, eveniunt, sub quibus sanguis, qui potius servari debebat, una cum viribus effunditur, nec ullo modo tenuissima acris materia morbi caussa ejicitur. Hinc utique in tali casu medico opera danda est, ut qua fieri potest celeritate, has pernicioso ejectiones compescat, quod tamen non violentis stipticis & constringentibus expedire consultum est, sed spastice multo magis strictura laxandæ, humor acris temperandus & discutiendus, quod commodissime diaphoreticis sedativo nuptis præstatur. Eadem ratio est hæmorrhagiarum, quæ ex obstructione, induratione, vel infarctu viscerum, subnascuntur in cachecticis atque hydropicis. Tunc enim sanguinis evacuationes per nares, hæmorrhoides, vel etiam vomitum frequentiores, maxime detrimentosæ esse solent, quia mali caussam non tollunt, sed potius vires consumendo, fatalem morbi exitum procurant.

§. XXIX.

Febribus.

Ex febribus, sive febrilibus spasticis generis nervosi & vasculosi commotionibus, minus salutares sunt, quæ a sphacelo interno, ut sunt malignæ, vel a corruptione lenta viscerum aut apostemate, ut sunt hecticæ, oriuntur, & phthisicis, cachecticis atque hydropicis superveniunt, quippe quæ

reliquias boni sanguinis ipsasque vires penitus consumendo certissime ad mortem ducunt. Ab assumto veneno causticо, a læsione vel punctura externa partium nervosarum ac tendinosarum, a calculo uretheribus infixo, bile causticа, vermibus, hernia incarcerata, ardore ex concedentibus in exulcerationem confluentibus variolis, omnibusque gravissimis doloribus, febres fieri acutas, quas Veteres dixerunt symptomaticas, experientia in dies edocet. Sed omnes sic accedentes febres, nihil boni, sed plus damni minantur, & merito qua fieri potest celeritate & dexteritate exorbitantes hi motus sunt sistendi; quandoquidem frustra caussis a quibus pendent opponuntur, nec easdem ullo modo subigere & abigere possunt, sed potius dum ad affectam & irritatam partem sanguinis majorem affluxum proritant, inflammationem ipsamque postea sphacelationem inducunt. Haud dispar indoles est quarundam intermittentium, earum scilicet, quæ a prohibita perspiratione, iracundia graviori, cibo cum nausea sumto & male digesto, saburra vitiosorum prima in regione succorum, & bile acri causticа proficiscuntur. Hæ enim si subsunt caussæ, febriles impetus atque commotiones ad illarum emotionem parum omnino faciunt, quin potius expedit, vel emetico, vel salibus detersivis, aut conveniente laxante, & acrimoniam temperantibus, caussas aggredi, ac postea, ubi febriles motus sponte penitus conquieścere renuunt, roborantibus ac tonicis eosdem sistere atque componere.

§. XXX.

Epilepticis & convulsivis motibus. Iisdem minus salubribus naturæ motibus accensendi sunt, qui tam membranas cerebri, quam spinalis medullæ, infesto fortiori spasmo exagitant, totumque nervorum & musculorum systema in consensum pertrahunt. Horum classem ducunt epileptici & convulsivi insultus, qui ex dolorum atrocia in dentitione difficili, torminibus infantum, calculi cruciatibus, vermium morsu, læsione cerebri, fractura cranii, punctura duræ matris a festucis, nec non in variolarum principio vel fine accedunt, nec ullo modo superandis his caussis accommodi sunt. Neque cordis palpitatio, cujus caussa utplurimum est polyposum in cordis thalamis hærens concrementum, bono & salutari fine contingit, eo quod validissima hæc quassatio caussam minime vincere valet. Pariter inanis ille singultus & vomitus a ventriculi inflammatione & insidente virulenta materia, omni utilitate destituitur, tanto magis quando materia vellicans intra stomachi membranas, ut in purpura, variolis & morbillis repercussis solenne, hæret. Tussis quoque sicca ferina, quam dura pulmonis substantiam obsidentia tubercula cient, nullius plane usus est, sed potius vires consumit, somnum arcet & stomachum ad vomitum solicitat. Ita etiam copiosæ cum sævis torminibus in diarrhœa ac dysenteria, vel post acre purgans assumtum dejectiones, nec quicquam ad salutem conferunt, eo quod non humorum copia, sed maligna qualitas in vitio est, cui frustra tanta sanguinis & seri egestio opponitur, qua vires magis exhauriuntur, & boni ac temperati humores cum detrimento subtrahuntur. Idem tenendum de diarrhœis, quæ nonnunquam inflammatoriis febribus symptomaticæ accedunt, quippe quæ pariter neutiquam discussioni stasseos inflammatoriæ favent, sed plerumque in caussa sunt, ut inflammatio latius, etiam ad intestina serpat, eoque citius necet. Denique omni etiam usu ac fructu carent motus isti fortiores, qui graviorem animi affectum, iracundiam, vel terrorem excipiunt, qui certe adeo intempestivi sunt, ut vitam in summum subinde adducant discrimen. Ut adeo pateat pernicioſos hos naturæ motus ab iis, qui ad salutem tendunt

cordis palpitatione.

singultu & vomitu.

tussi ferina.

dejectionibus.

post animi affectus.

dunt provide atque solicite esse distinguendos, & quum non solum fructu destituantur, sed succos viresque exhauriendo etiam noceant, tempestive compescendos, ita tamen, ut simul caussæ morbi per congrua præsidia removendæ exquisita habeatur ratio.

§. XXXI.

Hinc genuina methodus noscenda & custodienda.

Vidimus itaque naturam solam sæpe sponte morbos egregie percurare, arcere, & corporis integritatem tueri, vidimus ejus vires non omnibus morbis expugnandis sufficere, sed artis juvamine indigere, vidimus quoque eandem sæpius incongruos moliri motus corpori damnosos, eaque propter ab artifice hos prudenter esse emendandos ac componendos. Jam vero vehementer utique optandum esset, ut omnes, qui salutarem artem exercent, genuinam illam & probatissimam naturæ methodum, qua morbos feliciter sanat, intimius perspectam tenerent, & molimina sua ad ejus præscriptum adornarent. In quo quidem laudanda merito Veterum sententia, qui ad unum fere omnes professi sunt, medicum esse naturæ ministrum, spectatorem, imitatorem & adjutorem; ita ut *Hippocrates* passim prodiderit, naturam impulsam artis peritis quæ facienda sunt monstrare, nec quicquam salutariter fieri posse, nisi quod ipsi naturæ convenienter fiat, id quod etiam *Duretus*, optimus Hippocratis commentator, *lib. de hum. purg. pag.* 17. urget, præstantissimum, asserens, artis magistrum illum esse & dici debere, qui fidelissimus naturæ imitator, observator & adjutor. Neque minus scite hanc in rem scripsit *Fernelius in præfat. lib.* 1. *therapeut. medicinæ*, inquiens, *leges, naturæ legibus debent esse consentaneæ. Et felix medicatio, cui adjutrix natura succurrit, irrita vero, quæ repugnante natura tentatur*, cui assurgit pariter *Henr. ab Heer obser.* 5. perhibens, medicum motum naturæ dominæ suæ observare debere, & nihil ea operante temere mutare, nisi, ut vel infrenem frenet, vel ut pigriorem excitet.

§. XXXII.

Sed dolendum omnino plurimis ignotam esse optimam & securissimam naturalem morbos sanandi rationem. Plures quidem præpostero nisu arcana ad certos, immo universalia ad omnes morbos curandos, magno studio undique conquirunt, quæ accuratius perpensa re, spem plerumque fallunt, & manifesto ignorantiam arguunt medentium, quasi in tanta corporum caussarumque morbificarum diversitate, unum idemque omnibus aptum esset atque accommodum: pauci autem de simplici, facili & compendiosa naturæ methodo cogitant, quum tamen non tantum medicamenta curent, verum ipsa potius natura, per remedia convenienter adjuta. Et licet sint, qui naturam mirum extollunt, ut præter eam nihil sapere videantur: teste tamen experientia, haud raro in eo delinquunt, quod nec ipsas naturas, nec motus naturæ, qui in salutem, ab iis, qui ad perniciem tendunt, solicite distinguant, & naturæ opus, ad salutarem, uti putant, finem, licet incongrua ratione, directum, interpellare nolint.

§. XXXIII.

Ipsæque naturæ distinguendæ.

Proinde e re utique erit, ut ultimo loco quodammodo naturarum differentias delineemus, disquirendo maxime, quæ ad spontaneam medicationem aptæ sint ac dispositæ, quæ minus. Jam naturæ vel robustæ sunt, vel debiles. Robustam quidem sic describit *Aretæus lib.* 2. *cap.* 3. quod sit, quæ est probe temperata, quæ omnia superat, omnibus dominatur, ac per humorem & spiritum ac solida, horumque omnium convenientem ordinem ac methodum, hominis vitam administrat. Quæ certe definitio ut antiquissima, ita elegantissima & principiis naturæ mechanicis quam maxime accommoda, utpote in æquabili-

tate & temperie, ordine ac motu solidorum æque ac fluidorum, consistit utique administratio vitæ & sanitatis, & hunc quæ imperturbatum servat natura successum, jure robusta dicitur ac valens. Sunt vero maxime plebeii, pauperes & rustici, qui simplici & populari victu fruuntur, a robustis parentibus geniti, nec robur affectuum intemperie ac impetu, vel immoderatis animi fatigationibus atterunt, ætate juvenes ac viri, qui naturæ robore pollent. Vicissim languet plerumque ac debilis est natura in nobilibus, opulentis, laute ac inordinate viventibus, a parentibus morbidis prognatis, patheticis commotionibus crebro obnoxiis, meditationibus studiisque nimium indulgentibus, senibus ac infantibus, post morbos perpessos, aut ubi occulta labes fluidis vel ipsis visceribus inhæret, in quibus motus solidorum & fluidorum anomali sunt inordinati atque remissi.

§. XXXIV.

Valentes sint? nec ne? Valens igitur ac robusta natura, ad tuendam & revocandam corporis integritatem apta est, debilis autem & infirma minus, sed in præstando saluberrimo hoc negotio languet. Illa morbos gravissimos sæpe sola, vel levi saltim arte adjuta, remotis nonnunquam tantum obstaculis, percurat, hæc vero difficilis est ad sanandum, non sola sufficit, sed opportuno medici consilio & auxilio indiget, qui omnem sæpe exquisitissimam medentis eludit artem. Hinc utique multum interest, quo medicus naturam ægri curate noscat, & felix sane censendus, cui fortuna in eo favet, ut natura valente pollentes sanandos nanciscatur, fortunatior adhuc, si sint genere, honoribus atque divitiis eminentes, qui ipsum illustri præconio nobilitate simulque muneribus excipere possunt amplissimis.

CAPUT II.

De methodo, ordine & legibus artis in medendo.

§. I.

Naturæ in medendo magna virtus. IN superioribus satis, ut puto, evidenter ostendimus, a benignissimo & infinitæ sapientiæ corporis humani opifice ita constructas & coagmentatas esse machinæ animalis varii generis partes, ut certi ac determinati motus solidorum & fluidorum progressivi simulque secretorii, depuratorii & excretorii contingant, qui non modo ad vitalem conservationem & durationem corporis in se corruptibilis vergant, sed etiam summo artificio ita instructi sint, ut ubi a nocentibus rebus & causis inordinati sive morbidi fuerint redditi, illi ipsi ad submovendas & destruendas illas causas, a quibus pendent, conspirent. Et hoc est, quod Veteres voluerunt, & quod etiam ipsa attenta confirmat experientia, plures nempe & graves etiam ægritudines, sponte solius naturæ viribus, sine peculiari medici auxilio, sanescere, & naturam optimam morborum esse medicatricem.

§. II.

Arte tamē opus est, quia naturæ sæpe debilis. Posset itaque quispiam facile inde hoc elicere dubium: quod quum tam eximia sit naturæ virtus atque potentia, vana & supervacanea censeri mereatur in morbis tollendis omnis medici ars & opera. At vero licet hoc de valente & robusta corporis humani natura, neque adeo corrupta vel debilitata, locum habere possit; quum tamen mirum quantum naturæ & corpora, quæ morbis affliguntur, inter se differant, alia firmiora, & valentiora, alia imbecilliora & vitiata sint, adeoque non sufficiant ad negotium sanationis recte conficiendum, utique necessarium est, ut artis opus ipsis subveniat, & congruis auxiliis succurrat. Quin experientia subinde docet, ipsam robustam & idoneam alias ad

externis indiget.

sa-

sanandum corporis morbum naturam, non solam semper sufficientem esse ad sanandum, sed indigere simul variis adminiculis externis, ne impediatur, vel plane invertatur salutare, quod molitur, negotium; quorum si non adhibetur observatio, plures, quibus robusta etiam natura, in variolis, morbillis & febribus continuis, etiam inflammatoriis levioribus, pereunt, qui potuissent servari, dum regimine nimis calido in lecto, & conclavi, vel refrigeratione intempestive admissa, potu frigido, vel etiam spirituoso, cerevisiæ vel vini, cibis improvide in vigore morbi datis valde nutrientibus, situ corporis nimis diu erecto, improvida linteaminum mutatione, iisque rebus & occasionibus, quæ animum ad iram & terrorem movere possunt, damnum & noxa procuratur, ut hinc omnino opus sit, quo prudens medicus, si non pharmaceuticis, minimum diæteticis, utilem opem & operam præstet.

§. III.

Obstacula removeat. Deinceps sæpe in ægrotantibus præsto sunt obstacula, quæ si non removentur, totius naturæ negotium in curando plane turbatur, vel pervertitur, nec tamen sine medici auxilio & consilio eadem removeri possunt. Exemplo sit: quando corpus sanguine redundans atque repletum morbis tentatur acutis, præsertim inflammationibus, natura sine superflui cruoris per venæ sectionem imminutione, eosdem superare & curare nequit. Vel etiam si sordibus & scybalis copiosis ac duris canalis intestini crassi invadente morbo refertus est, hunc vacuare & recrementa protinus in principio educere expedit, ut felicius & debito ordine motus causam morbi expugnantes succedant, & ad eum, cui destinati sunt, finem pertingere queant. Aut quando etiam evenit, ut prima regio colluvie vitiosorum & semiputridorum conferta sit, idque statim in morbi, sive sit acutus, sive chronicus, invasione, quam maxime proficuum est, convenientibus auxiliis, vel per superiora, vel inferiora, eam prius exturbare, ne vis morbi & symptomatum inde augeatur & exacerbetur.

§. IV.

Et succos vitiosos alterare potest. Porro licet non negandum, naturam firmum & præstans suggerere subsidium, in emovendis iis morbificis causis, quæ motibus obsecundant & expugnari possunt, in alteratione tamen & correctione humorum nocentium non minus necessaria, eadem parum vel nihil opitulatur. Sic quando acidi, pontici & corrosivi humores primas vias odsident, qui vehementes dolores, spasmos ac tormina, uti apparet in infantibus, concitant, item in hypochondriacis, in quorum ventriculo omnia coacescere solent, plus certe commodi & utilitatis ab acidum absorbentibus exspectandum est, quam ab omnibus naturæ motibus. Idem sentiendum, si bilis exsuperat præcalida, eaque acris causticа inflammans est, tum certe natura sola non sufficit, sed medicamentum demulcens, orgasmum bilis acris deprimens, v. g. nitrosum & absorbens, omne fere curationis punctum absolvit, quemadmodum id luculenter patet in affectibus cholericis & ex gravi iracundia enatis. Neque etiam venena, quæ pauco tempore necant assumta, solius naturæ ope cicurantur, & noxa eorundem abigitur, quum experientia testetur, sub vehementibus a natura suscitatis vomitibus & purgationibus, mori ægros, qui demulcentibus, oleosis & lacticiniis potuissent servari.

§. V.

Nec sufficienter emovet. Præterea in multis morbis, præsertim acutis, natura evacuationes per hæmorrhagias, sudorem & alvum molitur, quæ tamen sæpe non sufficiunt, sed imperfectæ sunt, ideoque arte adjuvari & promoveri debent; vicissim crebrius nimias profusiones sanguinis & humorum suscitat, quæ quia vires

adimunt, corpus nimium exhauriunt, componendæ sunt atque sedandæ. Nihil quoque fere evenit frequentius, ac ut motus vehementes ad destructionem potius vitæ, quam expugnationem caussarum morbificarum & vitæ conservationem tendentes, instituat, ut in atrocioribus motibus epilepticis, convulsivis, doloribus, præcipue qui per consensum partium nervosarum subnascuntur, ubi sedativis quam maxime opus est. Chronicas jam prætereo passiones, ut scorbutum, luem veneream, cachexiam, hypochondriacam affectionem, quæ a sola natura sine medici ope, plane non superari possunt. Quid præterea crebrius evenit, quam quod ex uno morbo, quantumvis egregie sanato, propter imbecillitatem partium relictam, alter sæpe deterior, nisi per artem roborantibus in declinatione cito ac tempestive occurratur, ingeneretur. Neque denique dubitandum est, quin morbus, qui a sola natura temporis beneficio demum superari posset, longe citius atque felicius opitulante arte tolli queat. Quod utrumque disertis verbis inculcat *Celsus lib. 2. cap. 14.* dum ait: *potest morbus etiam, qui per se finem habiturus est, citius tamen adhibito auxilio tolli, quod duabus de caussis necessarium est, & ut quam primum bona valetudo contingat, & ne morbus qui remanet, iterum, quamvis levi de caussa, exasperetur. Potest enim morbus minus gravis esse quam fuerit, neque ideo tamen solvi, sed reliquiis quibusdam inhærere, quas admotum aliquod auxilium discutiat.*

§. VI.

Transitus ad institutum. Ex quibus omnibus adductis observationibus utilitas & necessitas artis medicæ clarissime elucescit, iisdemque, quasi totidem argumentis uberrime confirmatur, sive natura in morbis languida, sive robusta fuerit. Interim tamen id certum manet ac firmum, quod ob imperitiam & temeritatem medentum, qui ductus naturæ non sequuntur, sed crebrius pervertunt, satius sæpe sit, soli naturæ negotium relinquere, quam imprudentis ac imperiti auxilio uti. Ne igitur in hoc tanti momenti negotio peccet medicus, sed firmam habeat regulam, normam, ac legem, ad cujus præscriptum consilia & molimina sua instituere atque dirigere queat, non utique alienum, sed convenientissimum erit, ut universales quædam regulæ, & medendi leges, jam præscribantur, quibus summo cum fructu in medendo uti possit artifex.

§. VII.

Ex his prima est: *omnibus in morbis ordinem & successum actuum motuumque spontaneorum, immo ipsa tempora, quibus naturæ sola medelam in salutem ægrotantium molitur atque absolvit, curate & perquam solicite observare decet.* Vix vero ullus e morborum classe est, in quo tam conspicua naturæ methodus tamque distincta decursus tempora, quam in variolis. In variolarum enim morbo observatur, naturam primo certo temporis spatio uti ad materiam illam causticam partibus nervosis inhærescentem, tamque æva in principio concitantem symptomata, attemperandam, quo mobilis & dispositа fiat ad evacuandam; hoc facto, deinde excretionem ordinario intra tertiam & quartam diem auspicari, eidemque iterum certum, duorum vel trium dierum tempus impendere, ita quidem, ut a superioribus ad inferiores descendat partes, & corporis corticem per omnem ambitum successive exanthematibus conspergat. Absoluta eruptione, rursus determinatam periodum insumit suppurationi & materiæ evacuatæ maturationi, eaque confecta, interposito certo temporis spatio, ulcuscula siccat atque consolidat, incipiendo pariter in superioribus, ac desinendo in inferioribus. Et hic est solennis ille naturæ hoc in morbo processus, hic ordo, hæc tempora, quæ artifex studiose

Lex I.

dioſe notare debet, quo tempeſtive ſatiſcenti naturæ ſuccurrere poſſit, nec unquam adverſi quippiam huic methodo præpoſtere moliatur. Idem vero etiam in aliis morbis obvium eſt, adeo, ut cardo medendi rationis, qua natura utitur, in eo potiſſimum vertatur, ut primo ſemper materiæ hoſtilis & vitioſæ correctioni ſtudeat, eandemque ad evacuationem diſponat atque præparet, idque fere in omnibus morbis, febribus non tantum exanthematicis, verum etiam inflammatoriis, immo chronicis; quæ proinde methodus pari ſtudio ſervanda eſt ac imitanda. Quumque hoc præparationis negotium nonniſi certo temporis ſpatio abſolvi poſſit, utique ut maxime omnium tempus exſpectet, nec curſum præcipitet medicus, neceſſe; quæ certe prudens exſpectatio in medicina ſummum arcanum eſt, de quo non inelegans eſt *Gideon. Hervæi* libellus *de morbis exſpectatione curandis*, cui addi poſſunt ea, quæ in *diſſertatione de curatione morborum in tempore* inculcavi.

§. VIII.

Lex II. Secunda lex ſic præcipit: *tempeſtive & ſtatim in principio morbis occurrendum eſt, & materia quæ in vitio breviſſima via evacuanda*. Scilicet ex præſtantiſſimis medendi regulis eſt illa Hippocratica, *ſect. 2. aph. 29.* ita habens: *incipientibus morbis, ſi quid movendum videtur, move, vigentibus vero, quietem agere melius*. In qua quidem graviſſimus auctor merito utique rejicit omnem illam medendi rationem, quæ in morbi vigore, hoc eſt, ſtatu, impetu & exacerbatione ejus, ubi omnia in vehementiſſimo motu, per fortiora medicamina, maximeque evacuantia, ſuſcipitur: viciſſim vero accommodatiſſimum, ad medicinas quæ movent & evacuant, porrigendas, morbi eſſe initium, ſerio inculcat. Rationem hujus canonis divinus ſenex in ſequente *aph. 30.* ſubjicit, dum ait: *circa principia & fines omnia debiliora ſunt, circa vigores vero fortiora*. Nimirum quia ſub vehementia atque vigore morbi omnia in motu intenſiori ſtatuque turbulento conſtituta, parteſque motibus vacantes muſculoſæ ac nerveæ ſpaſmo obnoxiæ; in proclivi eſt ratio, quare tum omnia ſtimulantia & moventia locum non inveniant, nihilque agendum, ſed potius quieſcendum ſit, neque alia quam humectantia, temperantia & effrenes motus quodammodo placantia uſurpanda. Contra ea inchoante & declinante morbo, omnia ſunt debiliora, id eſt, ſpaſmi, & motus intenſi nondum in tanto gradu adſunt, vel vehementiam poſuerunt: ideoque omnino, ſi opus eſt, materia & cauſſa morbi ſtatim in principio exturbanda, vel alienus, qui ſub morbi decurſu genitus eſt humor, ſub declinatione expellendus eſt. Si experientiam conſulimus, hæc pariter hanc medendi legem uberrime confirmat. Nam profecto ad graves ipſa in herba jugulandos morbos, præſertim qui contagio debentur, ut ſunt peſtis, dyſenteria, caſtrenſes & mali moris febres miaſmate ſuſceptæ, non efficacius occurrit remedium, quam lene emeticum, ſimul ac corpus iidem inceſſerint, oblatum, quo colluvies vitioſorum humorum una cum miaſmate, quod cum ſaliva in ventriculum deſcendit, antequam ad ſanguinis maſſam & nervorum genus deferatur, ſtatim eliminetur. Variolæ quoque morbilli, purpura & continuæ plures febres bilioſæ etiam & ardentes, necnon quę arthriticis & podagricis inſultibus aſſociantur, longe facilius ſanationem recipiunt, ſi mox in principio, ſimul ac æger conqueri cœpit, prima regio, vel leni emetico, vel clementi purgante, a ſentina vitioſorum humorum fuerit depleta: eo quod increſcente morbo, ſpaſmi augeſcunt, quibus hæ ſordes intus retentæ morbi & ſymptomatum vim mirum exacerbant. Et quia intermittentium febrium, tam tertianæ, quam quartanæ, fomes, initio plerumque in ven-

ventriculi & intestinorum plicis ac glandulis hæret; e re est, ut statim sub auspicio primæ viæ a sordibus sive per mitiora emetica, sive salia detersiva, sive commoda laxantia, repurgentur. Confirmat hoc luculentis verbis *Hippocrates lib. de affect. si*, inquiens, *quartana deprehenderit, vomitorium in principio exhibendum, rursus aliquo intervallo, aliud infra purgans medicamentum. Quod si per hæc non sedatur, medicamenta febrifuga dare oportet.* Neque tamen purgantia fortiora, quæ ipse *Hippocrates lib. de purgant.* §. 5. rejicit, propinanda, quippe quæ nunquam in febribus tuta, quoniam spasticas exacerbant motiones, vel easdem, si conquieverint, revocant & recidivas pariunt. In lentis febribus, quæ maxime intermittentes male curatas sequuntur, in principio & laxantia, & leniora emetica tutissima, quo iisdem alimentaris canalis a saburra acida viscida liberetur; quod, si negligitur, diuturniores paroxysmi ingentem & fluidis partibus & visceribus labem affricant, & lentæ febres ex facili in hecticas concedunt. Periculi plenæ inflammationes internæ, ut pleuritis, peripneumonia, angina, matura sanguinis missione & subjuncto infuso diaphoretico, feliciter in principio discuti queunt; hoc autem neglecto, curatio, ob febrem ac intensiorem inflammationem, difficilis admodum fit & anceps. Ipsa quoque ventriculi inflammatio sæpissime ex potu frigido corpori sudanti copiosius ingesto, natales trahit, omne tamen periculum mox declinari potest, modo infusum ex herbis diaphoreticis cum aqua calida factum statim forbilletur. Quod sphacelus exteriora occupans præsentaneo subsidio, simul ac primordia cepit, suffocari & arceri queat, res in vulgus nota est, quum elapso hoc medicandi tempore, mors sequatur certissima. Atque ex his omnibus clarissime innotescit, tempestive morbis esse succurrendum & occasionem medendi, solicite captandam, in qua, ut ait *Hippocrates lib. de præcept.* §. 1. non multum temporis. Quare vehementer certe optandum foret, ut & medici opportunitatem temporis in morbis sanandis curatius observarent & aucuparentur, & ipsi quoque ægrotantes mature medicam opem implorarent, eo quod in tempore curare & morbo occurrere, palmarium in sanationis negotio momentum est, & justa temporis observatio, merito curandi & methodi medendi anima dicenda.

§. IX.

Accedit tertia lex: *Evacuationes nunquam in morbis moliendæ, nisi materia excretioni apta & viæ patulæ fuerint.* Summa hujus præcepti *Sect. 2. aph 9. Hippocratis* continetur, sic perhibentis: *corpora quicunque quis purgare voluerit, fluida facere oportet.* Nam ipsa sana ratio suggerit, frustra materiæ commotionem & expulsionem tentari, nisi ipsa ad motum ac emotionem disposita sit reddita. Primo itaque omnis scopus, omnis intentio medentium in sanandis perlongis morbis eo utique tendere debet, ut humores crassi fluxiles & mobiles efficiantur, durities molliatur, viæ adstrictæ relaxentur, & postea validiori facto sanguinis impulsu & strictura solidarum intensa, impacti humores excutiantur atque obstructiones referentur. Ex quo jam eluceſcit, quam incomparabilis sint usus ad hunc finem consequendum thermæ, acidulæ & aliæ aquæ salubres, infusa, decocta, fotus, balnea, & omnia, quæ emolliente & diluente virtute præditasunt. Patet quoque exinde, quod ante præparationem & mobilitatem materiæ, nunquam validiora purgantia, emetica, diuretica, sudorifera, mercurialia ad salivæ fluxum eliciendum, locum inveniant. Communis fere, sed pessimus hinc error est, quando deficiente mensium vel hæmorrhoidum, Lex III.

dum, aut subsistente lochiorum fluxu, pellentia fortiora, sic dicta emmenagoga, uti sunt myrrhata, succinata, crocata, & alia adhuc calidiora, in usum præmature vocantur; siquidem hæc sine præmissa venæ sectione, sine primarum viarum expurgatione, sine antea adhibitis medicamentis fluiditatem sanguini conciliantibus, potius noxam afferunt & malum augent, tantum abest, ut juvamini sint exoptato. Observationes enim docent, ab eorum intempestivo usu febres, capitis dolores, vertigines, anxietates, hæmorrhagias per incongrua loca, deliria, melancholiam, & mille alia symptomata, fuisse exorta. Præstat itaque potius prius plethoram demere, alvum laxantibus lubricare, sanguini fluiditatem decoctis & infusis appropriatis conciliare, vasorumque obstructiones balneis, vel aliis convenientibus remediis, amovere, & tunc pellentia cum cura subjungere, & sic demum exoptatus consequetur effectus. Hæc lex medendi & regula in sanandis morbis chronicis, præsertim scorbuto, lue venerea, hydrope, quartana, melancholia hypochondriaca, calculo, asthmate, amplissimi non solum est usus, sed etiam in acutis egregia & curate observanda. Nam in his pariter extra crisin & ante materiæ maturationem, & ut Veteres loqui amant, coctionem, in vigore paroxysmi, nunquam evacuantia cum fructu exhibentur. Hinc probe monet *Hippocrates Sect. 1. aph. 22. quæ matura coctaque sunt, medicamento purgante educere oportet ac movere, non cruda*. Natura ipsa huic methodo insistit, quippe quæ in omnibus fere febrilibus commotionibus, primos dies materiæ hostilis attemperationi & resolutioni stasium, in inflammatoriis & aliis acutis febribus, impendit, quam feliciſſime exsequitur motu & appulsu auctiori sanguinis ad loca affecta, quo non modo sensim ac sensim sanguis & viscidi humores impacti solvuntur, sed & discutiuntur. In aliis quoque morbis, motu tam intestino, quam progressivo intensiori, crassi viscidi humores attenuantur, dissolvuntur, fluidique redduntur, salsi quoque & acres cum oleosis viscidis & terreis implicantur & temperantur, nimisque fluxiles & tenues inspissantur; quem proinde naturæ ductum merito artifex sequi debet.

§. X.

Quarto inter præstantissimas medendi leges hæc connumeranda: *Evacuationes per loca humori excernendo convenientia fiant*. Aureum hoc præceptum *Hippocrates Sect. 1. aph. 21.* his inculcat verbis: *quæ ducere oportet, quo maxime repunt, eo ducere oportet per convenientes locos*; idque merito a medentibus maxima cura atque diligentia observandum. Etenim si medicus humorum, qui in vitio sunt, excretiones stimulo quodam promovere debet, probe omnino disquirendum, cujus conditionis ac indolis sit materia hostilis evacuanda, & quo in loco & parte etiam corporis sit constituta, ut breviſſima via commode educi possit. Sunt quippe diversi generis excrementa, ideoque iis eliminandis non quælibet accommodata sunt emunctoria, sed quodvis excrementum, peculiare & proprium quasi habet excerniculum. Hinc si in ventriculo & prima regione stabulatur & fixam sedem habet vitiosorum corruptorum biliosorum humorum sentina, quæ anxietates, ructus, tensiones & dolores gravativos parit, ciborum appetentiam prosternit, somnum placidum impedit, phlogosin excitat, vel etiam febres minatur; tum utique emetica, deplendo hac saburra ventriculum, utiliſſimam præstabunt operam, & hac ratione magnus & periculosus morbus præscindi poterit. Si in principio morborum intestina infarcta, vel ex male adsumtis, & male concoctis eduliis multas recondunt *Lex IV.*

dunt;cruditates, facile patet, ea, quæ clementer inteſtinalem regionem expurgant,omnium opportuniſſima eſſe. In hypochondriacis prima regio, ac potiſſimum duodenum, ingenti cruditatum acido-bilioſarum colluvie ſubinde refertum eſt, quam ſi quis diureticis vel ſudoriferis præpoſtere vellet eliminare, næ, is non leve damnum allaturus eſſet. Nam ejus generis humores temperantibus obtundendi & per ventrem evacuandi, unde etiam ex thermis & acidulis aliiſque medicatis aquis, quæ alvinas ſordes liberaliter emovent, convenientiſſima in hoc malo ſunt præſidia. Graviori iracundiæ affectu motus canalium bilioſorum periſtalticus auctus ingentem bilis ſæpe corruptæ & acris copiam in tenuia inteſtina effundit, quæ parit anxietates, nauſeam,ciborum faſtidium,compreſſiones circa præcordia,interdum etiam cardialgias & inflammationes ſubortas notavi,ut & choleram;quibus graviſſimis pathematibus ſi fortiori emetico vel ſudorifero, quis vellet ſuccurrere, is certe peſtilentem errorem committeret; de quo complures lugubres eventus propter inflammationes ſubortas notavi, & ut quiſque ſibi caveat, ſerio hortatus ſum in *diſſertatione de medicina emetica & purgante poſt iram veneno.* Nam quia congruum humoris bilioſi excretorium eſt venter, longe tutius & conſultius bilis ab ira commota per rhabarbarina, cum nitro & pulvere præcipitante nupta, vel per alia mitiora laxantia, educitur. Quin ſunt inter exempla quidam, qui ex gravi ira male habentes in balneum ſe demiſerunt & fortiter ſudarunt, hoc eventu, ut lentæ febres, artuum tremores, arthritides, immo hypochondriorum ſpaſmi & contracturæ, ſequutæ fuerint. Nihil quoque magis noxium vel intempeſtivum eſt, quam alvo per quinque vel ſex dies clauſa, ſudorifera, vel alia calida ſpirituoſa, offerre, aut emeticum præbere; nihil inconſultius, ac ſerum in habitu corporis hydropici obhæreſcens per ſudorem velle educere, quum potius, per urinarias vias & alvinam regionem ejus eductionem moliri e re ſit. Peſſime pariter ægrotantium ſaluti proſpiciunt, qui circa illud tempus, quo variolæ, morbilli, purpura & alia exanthemata, vel inflammationes eryſipelaceæ prodire debent, purgantibus, vel emeticis eos exagitant, ſicque materiam illam acrem ad interiora nobiliora loca alliciunt, gravius damnum certo allaturam. Ubicunque vero unius ejuſdemque indolis humor per diverſa emunctoria excludi poteſt, tunc certe non alienum eſt, excretiones in aliis etiam quam ipſi proprie dicatis excretoriis movere, quo divertatur affluxus humoris, qui partem diu infeſtavit. Ita in tuſſi valde humida, qua mucoſa in maxima copia & immoderatius ſcreatu ejiciuntur, opportune purgantia offeruntur, quia mucum ex pectore in glandulas mucoſas craſſorum pertrahunt. Quod etiam valet in fluore albo & gonorrhœa, ubi ſæpius ingens viſcidorum humorum copia ad has partes affectas affluens excernitur, & purgantia eam ob cauſſam, ut divertatur nempe humorum nimius appulſus, optime præſcribuntur. Manet itaque firmum ac ſtabile, naturam ſemper in opere evacuatorio, ſi deficit, ut humores evacuandi commode per congrua emunctoria duci ac ferri poſſint, adjuvandam eſſe.

§. XI.

Non minus univerſalis ac utiliſſima eſt quinta hæc lex: *nunquam vi morborum curationes aggrediendæ, vel evacuationes moliendæ, ſed paullatim & ſucceſſive agendum, & tempus exſpectandum.* Sane ſi ullus ex aphoriſmis *Hippocratis* memoratu dignus & in artis exercitio memori mente tenendus, certe eſt *Sect.2.51* ſic præcipiens: *plurimum & repente vacuare, aut replere, vel refrigerare, aut* *Lex V.*

aut omnino quomodocumque corpus movere, periculosum est. Et omnis multitudo naturæ contraria est. Quod vero paulatim fit, tutum est, tum alias, tum si ex altero in alterum transitus fit. Sicut enim omnes in rerum natura operationes per gradus, non per saltus, paullatim & successive, non vero cum impetu & violentia quadam, perficiuntur; ita eadem quoque via in sanandis morbis, in castigando & expellendo noxio humore, in obstructionibus reserandis, procedit natura & temporis beneficio utitur. Quapropter etiam medicus suo satagens officio naturam imitari, & nunquam violenter agere, multo minus impetuose evacuationes urgere debet. Nam certa & diuturna experientia compertum habemus, non majus periculum ex errore & temeritate medici ægrotantibus accedere, ac ab emeticis purgantibus validioribus, neque minus ab iis remediis, quæ vi sudorem pellunt, aut urinam & salivam movent, & corpus fortiter calefaciunt. Neque etiam tam subita & ingens mutatio, quam corpus a validissimis & magna dosi exhibitis remediis patitur, utilis, sed potius valde noxia esse potest, quia omnes vehementes motus in eorum numero, qui naturæ infensi sunt, qui præternaturales, morbosi & corpori vim inferunt. Hinc quando emeticum porrigendum, consultius est parciori, quam liberaliori manu propinare illud, eo quod ubi humores ad ejectionem anotericam inclinant, operatio erit sufficiens, & si non fuerit, iterato, vel auctiori dosi, pharmacum offerre præstat, ac uno impetu exturbare. Ubi per inferiora subducendi sunt humores peccantes, longe magis e re est, id clementioribus & repetito, quam simul & semel validioribus perficere: eumque in finem apprime ex usu sunt pilulæ secundum Becheri exemplum confectæ, quæ aloen probe cicuratam & extractum hellebori cum temperatis balsamicis gummatibus & extractis amaris, habent, ita ut una dosis vix tria purgantium grana capiat, eaque propter tonum ventriculi & intestinorum, quem purgantia labefactant, firmant potius & conservant, aliquoties tamen datæ, alvum saluberrime vacuant. Idem faciunt infusa ex radicibus & corticibus antiscorbuticis, aromaticis, atque ex rhabarbaro & agarico, addito stimulo salino-tartareo, per extractionem cum vino confecta, quæ tam ad præcavendos morbos vere, & autumno, quam ad sanandos rebelles chronicos affectus, egregii sunt usus. Quod si porro per corticem corporis halituosæ sordes excludendæ, nunquam in usum trahenda ea, quæ sudorem, universam sanguinis, & humorum massam commovendo, fortiter pellunt; sed potius infusa & decocta diapnoica, vel etiam pulveres fixioris naturæ, nec non temperata balnea, quæ omne punctum in sanatione etiam rebellium morborum chronicorum, præter acutas passiones, ferunt. In lue venerea affectis, si salivæ fluxus proritandus est, nunquam impetu & larga mercurialium oblatione id efficere oportet præsertim in iis, quibus genus nervosum debile & humores impuri ac intemperati, nisi feralia symptomata vel incompescibile salivæ stillicidium ciere velimus. Pariter in efferatis motibus componendis doloribusque sedandis, proficuum magis est semper anodyna refracta, quam plena & magna dosi adhibere, & sistentibus amico temperamento quædam stimulantia adjungere, quo nomine theriaca celestis, massa pilularum Starckii, Wildeganii, vel tinctura antimonii tartarisata, aut acris, cum pauxillo extracti opii remixta, commendari merentur. Quando denique roborandum, & partes nerveæ, ne consuetos spasticos motus repetant, firmandæ, quod fit maxime in reprimendis paroxysmis intermittentium, & quidem familiarissime per famigeratissimum illum chinæ corticem & alia roborantia;

tia; tutius semper est, causa febrili prius subacta & evacuata illud efficere, in accisa & repetita, quam magna & continua dosi, & antequam causæ prospectum fuerit; eo quod hoc neglecto, experientia teste, phthisis, hydrops, asthmata, hectica & athemata spasmodico-hypochondriaca conciliantur. Quapropter omnes, qui artis operibus manum admovere gestiunt, cum cura monendi sunt, ut quantum fieri potest, ab omni validiori medicina, multo magis plena manu oblata, abstineant, sed potius temporis beneficio utentes, nunquam nimis festinent, & sic demum tuto, sine noxa & periculo, sua conficiant.

§. XII.

Lex VI. *Convenit interdum motus effrenes morbosos compescere, relicta ad tempus eorum causa.* Sexta hæc lex est, amplissimi in praxi recte instituenda usus. Quemadmodum enim ii motus in morbis, qui a centro ad circumferentiam abeunt, qui comitem habent pulsum citatiorem, cutem relaxant, spasmos cum causa morbi tollunt, & sic in salutem machinæ labefactatæ tendere solent, nunquam a prudenti medico sistendi, sed potius pro circumstantiarum ratione conservandi, vel tantum moderandi sunt: ita e contra illi, qui vergunt a circumferentia ad centrum, quales sunt maxime spasmodici, qui omnia turbant in corpore, & dum liberam dispensationem & motum humorum ac debitam secretionem & excretionem impediunt, interitum minantur, vel nisi ad causæ remotionem directi sunt, interdum provido consilio protinus compescendi sunt, licet causa materialis efficiens eorundem adhuc intacta relinquatur. Quod ut testatius pateat, exemplo sit acerbissimus ex calculo dolor. Nimirum dimoto ex renum conceptaculo ac in urethere ob majorem molem vel asperitudinem firmius obhærescente calculo, nervoso-membranaceus hic canalis ob vim illatam arctius constringitur, non solum dolor suscitatur exquisitus, & inflammatio cum febre accenditur, sed etiam per consensum simul ventriculus, & duodenum afficitur, & inverso motu peristaltico, vomitus proritatur, quin toto tandem genere nervoso in consensum rapto, deliria, tremores, convulsiones & epilepsiæ excitantur, quæ, ut vidimus, quandoque mors funesta excipit. Sub hoc igitur motuum exorbitantium & symptomatum choragio, si quis velit causam, calculum, vi emoliri, nec prius vias laxare; is sane nihil aliud efficeret, quam ut spasmodicas constrictiones augendo, lethalem morbi catastrophen induceret. Quin potius longe consultius causa morbi tantisper relinquitur, & motus quavis arte complacantur, atque his demum ad temperiem reductis viisque ampliatis, faciliori negotio causæ amolitio tentari poterit. Pari ratione in colica passione, primum esse decet, ut vehementia spasmorum deliniatur clysteribus oleosis & unguentis & axungia humana, pinguedine taxi, castoreo, zibetho & hujus generis aliis, & interius quoque ejusdem virtutis medicamenta adhibeantur, ut sunt oleum amygdalarum dulcium, antispasmodica, inque primis liquor noster anodynus mineralis, qui dolores & spasmos effrenes sistit, vomitus compescit, sine stupore tamen & sine omni noxa; hoc autem facto, facile ac tuto causæ materiali, sive illa hæreat intra canalem intestinorum, sive intra membranas ejus, appropriatis remediis poterit succurri eademque expelli. In hæmorrhagiis quoque nimiis, quarum eruptio semper a spasmis, sanguinem ad certam quandam partem adigentibus, & vasa venosa eo excurrentia distendentibus, proficiscitur, vel potentissimis stipticis, constringentibus sanguinemque cohibentibus fluxus non cohibebitur, delinitis autem spasmis, vel sponte cessabit, vel facillima ratione coerceri poterit. Tacemus plurimos alios spasmodicos, convulsivos & cum ma-

magna dolorum atrocia junctos affectus, in quibus semper expedit paroxysmos sedantibus prius invigilare, quam causſæ abolitionem urgere. Cavendum tamen quam maxime est, ne in ejusmodi morbis, ubi motus nimii perniciem minantur, ad eos sistendos opiata vel adhuc fortiora sedativa, & narcotica adhibeantur. Testantur enim observationes Practicorum celeberrimorum, hoc perperam facto, spasmodicam colicam sæpius in paresin, aut etiam veram paralysin, transiisse, aut calculū uretheri, remisso nimis eo diutius inhæsisse, ac in universum, lethales inde subsequutos esse effectus, quales annotavit, & exemplis confirmavit *Stahlius in dissertatione de impostura opii*.

§. XIII.

Excipit septima lex: *vigente paroxysmo, & quando natura jam movet, a fortioribus commoventibus & evacuantibus desistendum, ac potius excedentes motus moderantibus, & ad temperiem reducentibus, utendum*. Ipse *Hippocrates* quum observasset, quantam noxam afferat, si quis in illis morbis, ubi sanguis cum impetu circumagitur, & morbi vehementia est maxima, fortiora medicamenta, quæ majorem sanguinis cient orgasmum, propinare, aut purgantia exhibere audeat, sapienter *sect. 2. aph. 19.* præcepit: *vigentibus morbis, quiescere multo præstat*: ac potissimum valentiora ejusmodi pharmaca tempore paroxysmi febrilis non prærscribenda esse serio in *lib. de purgantibus* suasit: *quicumque*, inquiens, *a febribus fortioribus corripiuntur, his medicamenta purgantia dare non oportet, donec remiserit*. Etenim quando vehementes motus vel spasmi intensiores præsto sunt, utplurimum exteriores corporis partes cum summa cute constrictæ sunt, & sanguis a circumferentia ad centrum urgetur, alvus, renes, poruli cutis, & reliqua emunctoria, propter nimiam constrictionem, non rite munere suo funguntur & excretiones subsistunt, eaque propter nihil certe imprudentius poterit excogitari, quam tum motus ciere vel augere, & præsertim purgante, vel vomitorio, aut sudorifero valido, humores naturæ corporis nostri inimicos exterminare niti, eoque symptomatum vehementiam magis exacerbare. Quiescendum potius tunc temporis est, vel parum agendum, & magis effrenes motus moderandi, ac cum violentis spasmis blande componendi. Hanc ob causam rectius procedunt ii, qui in morbi paroxysmorum vigore atque impetu, si quid arte tentandum, tantum diluentia, blandam diaphoresin conciliantia & moderate nitrosa ac sedativa naturæ amica exhibent. Ubi vero movendum, accommodatissimum tempus est in acutis principium, vel quando vehementia remisit, in chronicis extra paroxysmum & conquiescentibus spasmodicis motibus, quo etiam evacuantia congrua operationem suam bene exsequuntur. Egregium hanc in rem *Cœlii Aureliani lib. 2. cap. 8. pag. 217.* est monitum, dum ait: *nec phlebotomia, nec aliis medicamentis, quæ cito & copiose peccantes humores detrahunt unquam utendum in augmento passionis, sed potius tempore dimissionis. Unde*, pergit, *in accessione simpliciter mitigantibus utimur adjutoriis*. Sed dolendum profecto, toties totiesque contra hanc impingi legem. Nam communis tam vulgi, quam medicorum non incelebrium, olim fuit & adhuc est opinio, variolarum, morbillorum, purpuræ atque pestis morbum, expellentibus & alexipharmacis fortioribus esse excipiendum, quo illud, quod vitæ est inimicum, cito & sine mora per corporis peripheriam proscribatur, unde tot in officinis prostant tincturæ bezoardicæ, spiritus volatiles, salia volatilia, essentiæ antipestilentiales ac pulveres varii generis sudoriferi & alexipharmaci, olea caliLex VII.

diora aliaque id genus plura. At vero

sic

sic calor calore fovetur, ignis igni additur, ipse sanguis quasi accenditur, mixtio ejus naturalis, & temperata crasis dissolvitur & destruitur, ac in universum nihil aliud efficitur, quam ut anxietates, inquietudines, deliria, epilepsia & convulsiones concitentur, placida & successiva eruptio impediatur, ipsaque materia exanthematica deleteria, plus augeatur, quam imminuatur. Longe tutiora certe in expellendis variolis, morbillis, purpura, & omnibus morbis, in quibus aliquid per corporis corticem excerni debet, sunt illa medicamentorum genera, quę nimias & turbulentas commotiones cum strictu ris superficialibus amicabiliter placant, & impedimenta removendo, eruptionem blande adjuvant. Quod quidem, quemadmodum de fortioribus sudoriferis in propatulo est; ita eadem cautio de eorum quæ per os vel alvum vacuant usu, studiose tenenda. Neque enim unquam convenit, emetica vel purgantia, quin salia, majori dosi tempore paroxysmi tertianæ, vel quartanæ, aut non multo ante ejus accessionem, propinare: quippe per experientiam cognitum est, insultum inde longe reddi acerbiorem, maximasque cum cardialgia anxietates laborantes affligere. Ratio in proclivi est. Scilicet hæc medicamina non alia ratione quam spasmo agunt, & partes nerveo-membranosas subtili sale acri causticо vellicando ac stimulando, ut validiori crebriusque repetita strictura & separetur & exturbetur, quod in vitio est, efficiunt; in omni autem febre ejusque paroxysmis, jam tum teste nausea, dorsi dolore, pandiculatione, conatu vomendi, flatibus in abdomine, anxietate præcordiorum, horripilatione, cutis refrigeratione, alvique adstrictione, adsunt spasmi, & formalem ejus rationem absolvunt, ideoque dum sic spasmus spasmo accedit, & strictura intenduntur, non possunt non pathemata exacerbari & paroxysmus longe gravior reddi. Ubi vero impetus resedit, nervosum genus tranquillum, & partes spasmo prius exagitatæ languent, ductusque patuli sunt, tutissime acutissime fomes & vitiosa materia artis ope laxantibus purgatibus vel emeticis e latibulis evocatur atq; proscribitur. Quæ certe prudens temporis opportuni exspectatio, tum in morbis, tum in omnibus molliminibus, tam necessaria est, ut sine ea frustraneus sit omnis conatus, de quo scite cecinit *Ovidius*:

Dum furor in cursu est, currenti cede furori,
Difficiles aditus impetus omnis habet:
Aggrediar melius tunc, cum sua vulnera tangi
Jam sinet, & veris vocibus opus erit.

§. XIV.

Octava lex sit: *ubi motus jam languent, anodyna & sedantia summa cum cura sunt evitanda, ac potius vires reficientia motusque excitantia usurpanda.* Quemadmodum si non potior, certe haud postrema, dexteritatis atque peritiæ medicæ pars in eo versatur, ut artifex exorbitantes motus opportune complacare noscat: ita profecto præposterum ac damnosum est molimen, quando opprimuntur ac sopiuntur, ubi potius provocandi sunt & excitandi. Etenim anodyna & sopientia pharmaca & ex his frequentissimi usus opiata, ex heroicorum numero sunt, quæ magna pollent efficacia, & tam ad juvandum, quam nocendum parata, ideoque cautissime, ac ut *Celsus lib. 5. cap. 25.* monet, nonnisi nimia necessitas urgeat, usurpanda. Pessimus quidem quorundam mos fert, ut in quovis dolore aut somni defectu, imprudenti consilio, sine circumstantiarum perita pensitatione, ad anodyna ceu sacram anchoram confugiant, & doloris mitigationem cum quiete procurare nitantur, quum tamen sapienter præcipiat idem *Celsus lib. 3. cap. 18.* Lex VIII

quod

quod hæc moderatio semper sit adhibenda, ne quem obdormire volumus, postea excitare non possimus. Semper igitur ante sedativæ virtutis remediorum usum exquisita virium ratio habenda, eademque nunquam in usum vocanda, ubi virium, sive ob ætatis, sive aliam causam, adest imbecillitas, quæ ex impotentia membra movendi, pulsu debili parvoque, item actionum animalium torpore atque segnitie, sufficienter cognoscitur. Hoc autem neglecto quam maxime detrimentosa, sunt, senes ad effectus soporosos disponunt, plethoricis sanguinis excretiones supprimunt, quibusdammentis abalienationem conciliant, in febribus autem malignis aliisque morbis, dum vires penitus prosternunt motusque ad expugnandum morbum necessarios sopiunt, sphacelum ipsamque mortem inducunt. Et certe frequentissima est in observatis medicis mentio noxæ ex improvido sedantium & opiatorum usu, ut apud *Sanctorium de methodo vitandi errores lib.7.ca.* 12. *Willisium in pharmacia rationali P.*1. *pag.*392. *Sennertum Prax. lib.6.c.*1 *pag.* 7. *& Forestum lib.9.obs.*14. qui narrat, cacochymicum, cui imperitus medicus præscripserat in dolore calculi opium, somno sepultum esse perpetuo. Ipse quoque novi, quendam febre ardente laborantem, ad sopiendam diuturnam vigiliam aliquot granis laudani sumtis, æternam sibi conciliasse quietem. Quin non desunt exempla, ubi opium in forma suppositorii immissum mortem induxit, cujus generis plura scripto reliquerunt *Tilingius lib.de opio pag.*46. *Sennertus l. c. Marcellus Donatus hist.mirabil.lib.*4.*ca.*18. Et licet aliquando dolorem primum quodammodo mitigare videantur ejusmodi sopientia, attamen infidus est effectus & non ita multo post acerbiora ingruunt pathemata, morbus pertinacior fit ac pejor, ipsaque mors haud raro succedit. Conceptis id de colico dolore testatur verbis *Trallianus lib.*10.*cap.*1. sic perhibens: *qui ex opio & alterco parantur, in colica non temere admovere oportet. Etsi enim doloris levationem afferre videantur; tamen efficiunt, ut postea dolor diutius permaneat, putoque bona ratione ipsæ non conferre.* Et paucis interjectis sic pergit: *multi igitur, quum in ejusmodi affectibus iterum atque tertio dedissent, effecerunt, ut partes læsæ emorerentur resolverenturque, interdum vero etiam mortem omnino induxerunt.* Præstat igitur potius antispasmodicis, balsamicis, corroborantibus, analepticis, itemque bezoardicis paulo fixioribus & accuratiori insuper diætæ ratione languenti naturæ succurrere, ac motus conservare atque erigere, sique vel maxime, ob urgentes atroces dolores, ad complacationem aliquid videtur moliendum, non opiatis & vehementioribus sedativis, sed blandissimis anodynis, cum balsamicis naturæ amicis nuptis, utendum, qua virtute non possum non commendare liquorem meum anodynum sic dictum mineralem, qui vires non prosternit, sed custodit, ac tutissime sine metu omnis noxæ potest usurpari; cui interdum refracta dosi balsamum vitæ, vel spiritus bezoardicus ad mentem Bussii paratus adjungi poterit.

§. XV.

Ad nonam jam progredimur legem: *excretiones criticas & salutares promovere, non intercipere, decet.* Criticæ Veteribus dicuntur illæ evacuationes, quæ in acutis morbis, cujus generis maxime sunt febres, sponte a natura, sine ulla etiam arte, certis diebus, ut sunt medius inter tertium & quartum, septimus, nonus, undecimus, plerumque cum bonis ægri rebus eveniunt. Ita enim, ut antecedenti capite docuimus, a sapientissimo opifice coagmentata est corporis humani machina, ut inordinati in ea motus, qui a causa morbifica excitantur, sæpissime in medicinam cedant, ac per eosdem ipsa morbi *Lex IX.*

causſa ſumme pernicialis corrigatur & correcta e corpore expellatur. Et quum hæc materiæ correctio certum & determinatum temporis ſpatium requirat, antequam commode e corpore eliminari poſſit, atque huic negotio divina ſapientia ſeptenarium maxime numerum dicaverit, ex eo fit, ut evacuationes, quæ circa ſeptenos, vel ſemiſeptenos dies ſuccedunt, in ſalutem corporis maxime vergant & naturam ordinata ſua perficere indicent. Duplici vero modo excretiones illæ ſalutares ſunt. Vel enim ipſam cauſſam, quæ functiones corporis turbavit, ſecernunt atque evacuant, ut fit in variolis, in morbillis, in febre eryſipelacea, peſtilente, quibus in morbis, ubi ad ſummam cutim, vel glandulas, nocens materia propulſa fuit, mox ſæviſſima illa ſymptomata mitiora fiunt, aut plane conquieſcunt. Vel criticæ evacuationes hoc nomine ſaluti ſunt, quia effectum morbi pernicialem a corpore ſeparant atque removent, ſiquidem ſub ipſo morbo & motu concitatiori febrili, ſanguinis & humorum maſſa in multas excrementitias ſalſas, ſulphureas ſordes diſſolvitur, quæ, dum morbus in vigore & impetu eſt, non commode ſecedunt & expelluntur, ſimul ac vero cauſſa morbifica eſt ſublata, ac v. g. in inflammationibus ſtaſes ſanguinis diſcuſſæ, ſpaſticæ conſtrictiones corpus deſerunt, tubuli excretorii relaxantur & omne alienum atque excrementitium, quod ſub ipſo morboſo motu generatum fuit, utiliſſime propellitur, ut ſudor largiter profluat, alvus ſua ſponte deſcendat & copioſa excrementa mucida bilioſa dimittat, urina quoque craſſior ſecedat atque copioſum deponat ſedimentum, vel etiam humor craſſus viſcidus, in pectoris præſertim morbis, maxime acutis, uberius collectus per expectorationem educatur. Jam quiſque facile perſpicit, nihil pernicioſius eſſe, quam ſalutiferas has excretiones temere ſiſtere ac intercipere. Sane, quam gravia, immo ſæpius funeſta mala, non modo a variolis, morbillis, purpura, cruſta lactea, ſcabie, eryſipelate, podagra, arthritide repulſis & ad interiora repercuſſis eveniant, plurimis obſervationibus atque experimentis in praxi medica quotidie innoteſcit. Perquam nota ſunt etiam illa damna, quæ ex antiquis ulceribus ſanatis & diu geſtatis fonticulis, præpoſtere conſolidatis, pullulant. Peſſime non minus ægrotantium ſaluti conſulunt, qui alvi fluxus in febribus continuis, immo malignis, quibus ſæpe ſalutariter morbus terminatur, noxios cenſent, eoſdemque ea propter imprudenter cohibere ac ſiſtere audent. Pariter exitiale molimen eſt, hæmorrhagias, quæ ſæpe febribus continuis ſuperveniunt, ſive in criticis diebus, ſive extra eas obveniant, vi quadam compeſcere, ex quo certe nunquam non capitale notavi damnum: quæ tamen omnia jam tum *Sect. 1. c. 8. de damnis ex cohibita cuticulari & c. 9. ſanguineis aliiſque evacuationibus*, necnon *c. 15. de criſibus in experientia rationali fundatis*, fuſius expoſui. Interim ſi forſan excretiones etiam ſalutares nimiæ & excedentes fuerint, ut vires iiſdem gravius peſſundentur, non tam directe ſedativa, & ſiſtentia adhibere e re eſt, quam potius ea, quæ appulſum humorum ad alias partes divertunt & motuum impetus blande demulcent atque placant.

§. XVI.

Decima lege præcipiendum; *ut morbo, vel paroxyſmo finito artifex roborantibus utatur, quo recidiva vel novus morbus arceatur*. Qui ſaniorem medendi rationem ſequuntur, eos non latet, paroxyſmos morborum, præſertim ſpaſmodicorum vehementiores, ſubſequi magnam atoniam ac debilitatem corporis, & illius in primis partis, in qua cauſſa morbi inhærens vehementiam ſuam exercuit, quæ relicta debi- *Lex X.*

debilitas, non modo facillime paroxysmos priores impetu longe fortiori revocat, sed & ob sanguinis circulum ibidem factum impeditiorem & vigorem deperditum, humores noxii eo decumbere consuescunt, ibique stagnationem subeuntes, chronicis diuturnis & maxime lentis morbis amplissimam submini strant occasionem. Perite idem inculcavit artis nostræ parens *Hippocr. aph.* 32. *sect.* 4. hunc in modum distinguens: *quibus a morbo restitutis quippiã est infirmum, ibi abscessus fiunt.* Quem aphorismum *Heurnius* ita exponit; *quando post morbum infirmitatis aliquid supereſt, quæ ex lassitudine & imperfecta crisi judicatur, ita ut supersint materiæ febrilis reliquiæ, aut si liberalius se potu aut cibo invitent, quam immutata ventriculi actio, temperamentum & habitus perferre possunt, tunc in discrimen venit homo, quia partes internæ & externæ labefactatę sunt; hinc si non accurata diæta accesserit, hepatis & lienis scirrhi, vel cephaleæ, vel foras in artus, si ibi imbecillitas, abscessus effunduntur. Quare ne quid coacervetur, dentur pilulæ aloephangingæ, mastichinæ vel Rufi, vel tale quid.* Huc quoque referendus, *aph.* 11. *sect.* 2. *morborum reliquiæ, quæ a crisi supersunt, recidivos morbos parere consueverunt*, quod potissimum, sicut rursus id optime explicat *Heurnius*, cõtingit, quando ob infirmatam naturæ vim, materia morbifica non tota fuerit excluſa, neque in declinatione alvus purgante sollicitata. Quę quum ita sint & experientiæ quoque testimonio uberius constẽt, utique manifesto apparet, nihil esse finito motu morboso ad reliquias mali exstirpandas accommodatius, quam ut omne noxium & morbificum, quod adhuc hæret in corpore tacitasque ipsi struit insidias, sive in ventriculo, sive in venis substiterit, mature excludatur & corpus ab omni excrementitio succo liberetur. Graviter vero in hoc errare utplurimum solent medici, quod in fine morbi & ægris ad sanitatem redeuntibus, morbiferas reliquias neque evacuantibus, neque diaphoreticis eliminent, neque robur deperditum naturæ atque ventriculi per congruam diætam & probata stomachica apte restituant. Etenim quo minus medicus utilem opem conferre potest morbo in vigore constituto, eo majus eoque præstantius in principio atque in declinatione ipsius est auxilium, siquidem initio, natura adhuc valida existente, multum proderit, si omnia congruis subsidiis obstacula, quæ motus salutares suffiaminant, dextre removeat & materiam vitiosam diminuat; in declinatione vero, si corpus debilitatum, rursus confirmet, vires languidas erigat, & quod restat adhuc noxium, expellat, & sic non modo recidivas pejores, sed & novos longe periculosiores morbos plerumque succedentes felicissime avertat. Ad subigendas igitur morborum reliquias, & reparandum universi corporis robur, egregia virtute splendent pilulæ balsamicæ ut Becherianæ & ad harum exemplar paratæ Stahlianæ, vel nostræ, quippe quæ aliquoties oblatæ, noxia clementer expurgant, ac ventriculo cum intestinis robur iterum conciliant, præter quas commendanda etiam stomachica, quæ digestionem promovent, motum peristalticum infirmum egregie fulciunt, & succis vitalibus tenuitatem ac spirituascentiam denuo conciliant, quæ tanto utiliora sunt, quanto minori, continuata tamen sæpiusque repetita dosi, assumuntur. Quod si autem ullo in morbo, certe in variolis & morbillis, reliquiæ morborum ut proscribantur, corpus firmetur & ab insultibus morbosis defendatur, necesse est, quandoquidem hoc neglecto, ex facili varias exulcerationes, abscessus quoque viscerum aliaque graviſſima mala subsequi, experientia planum facit testatumque. Deinde post partum, immo abortum, vel puerperium etiam, uterus valde enervatus & a tono suo dejectus ad pristinum robur commoda medicina reducendus est,

ne magnæ contumaces ac diuturnæ inde resultent affectiones, cui scopo eximiæ pilulæ nostræ balsamicæ, vel infusa laxantia leniterque purgantia, cum nervinis & uterinis mixta, una cum exquisito in vitę victusque ratione temperamento, satisfaciunt. Mirum quoque tonum ventriculi & intestinorum labefactare solent diarrhœæ ac dysenteriæ, qui si non cito reparatur, lentæ inde febres, pedum œdemata, status cachecticus, spasmi hypochondriaci aliaque redundare possunt, ad quæ arcenda egregio usui, præter exactam dietam, est vinum generosum, uti Hungaricum, vel Gallicum PontacK, parcius inter cibandum potum, nec non elixir stomachicum, vel balsamum sic dictum vitæ, accisa dosi, sed diutius, usurpatum. Semper autem præstat hæc successive perficere, ac vires potentissimum fractas atque depressas sensim analepticis reficere ac refocillare.

§. XVII.

Lex XI. Eadem cura tenenda lex undecima: *debilibus, debilia, valentibus, valentiora conducunt.* Hanc totidem fere verbis consignavit *Celsus lib.2.cap.*20. scribens: *Imbecillis hominibus rebus infirmissimis opus est, mediocriter firmos, media materia optime sustinet, & robustis apta validissima est.* Et *Hippocrates lib.de loc.in hom.*§.55. eandem sic conceptis verbis inculcat: *medicamenta fortiora a natura in debilibus morbis dare non oportet*; ac paullo post: *medicamentum singulis secundum naturam, debilibus debilia a natura, fortibus vero, fortis naturæ pharmaca exhibenda sunt.* Ut autem hic practicus canon eo clarius pateat, exponendum quid per debilia & valentia, tam corpora, quam pharmaca, sit intelligendum. Debilitas igitur ejusque oppositum firmitas & fortitudo, dicitur in genere a viribus, quæ valore effectus, id est, potentia movendi, ut in microcosmo, sese produnt. In homine quidem vires secundum functiones in quibus sese exserunt, optime in animales, naturales & vitales dispesci possunt, singulæ vero influxu subtilissimi, purissimi & mobilissimi, quod cum sanguine mixtum & in cerebro segregatum per nervos vehitur, tanquam causa & fundamento nituntur & continentur. Quod summæ activitatis liquidum, quum ex puriori aeris & alimentorum substantia ortum trahat; facile patet, quod qui bene appetunt, digerunt & egerunt, robustioris sint naturæ; contra ea quibus appetentia prostrata, ingestio, digestio atque egestio vacillat, debiles & languidi; eo quod in illis humores puri & temperati, in his vero impuri & intemperati redundant. Infirmi vero etiam dicendi, qui sensibilioris animi & corporis & quorum nervosæ partes levi etiam ex causa ad suscipiendas anomalas motiones promtæ sunt atque dispositæ; valentes vicissim, qui animi compositi, nec tam facile a rerum externarum insultu afficiuntur aut læduntur. Atque adeo in procinctu est ratio, quare infantes, ætate graves, vel valde decrepiti, qui spongiosum fibrarum habitum obtinent, vasa, nervos ac tendines exiliores gerunt, vigiliis, animi affectibus, mentisque fatigationibus nimium indulgent, morbo graviori acuto, vel chronico laborarunt, aut nimium sanguinis profuderunt, in debilium numerum merito referantur, una cum iis, qui morbo, multoque magis ejus paroxysmo jam detinentur. Per fortiora autem medicamenta intelligenda ea, quæ parva dosi magnis agendi viribus instructa evacuandi sc. & adstringendi, commovendi & sistendi, calefaciendi & refrigerandi, in primis ex minerali regno petita: lenia contra ac debilia nuncupanda Galenica vulgo dicta, quæ non vi, sed blande ac successive operationem suam exsequuntur, nec majori etiam dosi facile nocent, ut sunt clementia & per epicrasin laxantia, clysteres, infusa theiformia,

lac

lac asininum, serum lactis, temperantia, diaphoretica fixa, absorbentia, liquores fixi alcalini cum balsamicis & amaris extractis conditi, nec non plura arcana illa universalia, panaceæ, essentiæ quoque solares dulces, quæ innocenter pariter in omnibus morbis, firmis æque ac infirmis præberi possunt, nec quicquam comprehendunt, quod conspicuam in morbis inducere possit mutationem. Jam quum ad omnes salutares in corpore humano perficiendos effectus exquisita inter agentis & recipientis vires requiratur æquabilitas atque proportio, & natura humana ab omni excessiva, ut ait *Hippocrates*, qualitate lædatur, clarissime innotescit, in omni medicamentorum oblatione corpora curate esse distinguenda eorumque vires cum pharmacorum facultate solicite comparandas, & sic accommodam medendi rationem ineundam. Qui secus procedit, is certe graviter nocet, & debilibus fortia porrigens, vires iisdem opprimit penitusque prosternit, vel plane cum vita extinguit; debilia autem fortibus offerens, frustraneam prorsus locat operam, aut commovendo, nec emovendo quod in vitio est, malum exacerbat. Potissimum tamen cavendum, ne infirmos unquam validioribus pharmacis aggrediamur, sed hi semper magis diæteticis, quam pharmaceuticis sunt tractandi, & nullum medicamentum ipsis sæpe est optimum. Quumque in primis debilium numero accensendi sint infantes nc senes: patet certe, quam temerarium & imprudens sit molimen, infantibus dimidii vel unius anni lactentibus, ex dentitione difficili correptis, acriora purgantia, ut pulverem ex resinæ jalappæ grano uno aut duobus, & mercurii dulcis binis, vel tribus granis, crebrius propinare, iisdemque demortuis, tamen de securissima medicatione, cum summa alterius contradicentis injuria, gloriari. Pariter ætate provectis tam fortia purgantia damno sunt gravissimo; quippe quæ teste *aph. 36. sect. 2.* sana etiam corpora cito exsolvunt, multo magis senilia & imbecillia labefactant, & detrimento mactant. Neque etiam infantibus, senibus, aliisque imbecillibus, spirituosa calida, sic dicta confortantia, tam proficua & amica sunt, ut vulgo putatur, eo quod hæc, ipsumque, ut audit, lac senum, vinum potens, largius haustum, intestinum calorem in succis accendunt, eosdemque per hunc exhauriunt penitusque consumunt, moderate vero & medice cum optimi succi cibis assumtum vinum, acido destitutum & generosum ac purum, ut Rhenanum vetustum, vel Hungaricum, stomachi vires totamque naturam egregie reficit atque custodit. Neque vero tantum validiora pharmaca, verum etiam alimenta valentis, ut *Celsus* dicit, materiæ, invalidis minus accommoda sunt atque proficua, licet & medicorum, & aliorum vulgus erroneam hanc foveat sententiam, debiles & a morbo languidos, cibo, potu & jusculis confortantibus ac nutrientibus esse subinde reficiendos. Recte enim jubet *Hippocrates Sect. 1. aph. 2. in ipsis exacerbationibus cibos adimere oportet; nam præbere noxium, & cum per circuitus redeunt morbi, in ipsis accessionibus, abstinendum est*; eo quod corpora, ut impura, sic etiam imbecilla, monente eodem auctore, quo magis nutriveris, eo magis læseris, & vires in morbis non meliori ratione reparantur, quam prudenti medicatione & successiva causarum morbificarum remotione. Quamobrem memori utique mente nunquam non reponendum inter vires corporis, & medicamentorum, mensuram quoque alimentorum ipsumque laborem & motum, exquisitam semper servandam esse proportionem, eumque in finem, ut perite vult *Hippocrates libr. de morb.* curate expendendam hominis naturam, corporis staturam, ætatem, anni tempus & constitutionem, situm regio-

gionis, aliasque id genus plures circumstantias.

§. XVIII.

Lex XII. Ad duodecimam nunc pergimus legem: *perpaucis selectis medicamentis, ad morbos & sanandos, & arcendos, utendum.* Sane nihil magis medentem perturbat atque confundit, quam ingens illa remediorum multitudo atque varietas, qua libri botanici, pharmaceutici, chymici & practici referti sunt, ut non sine fastidio perlustrari possint, & parum absit, quin artem ipsam exhorreat diffusissimum hunc campum ingressus. Tam innumera enim sunt remediorum genera, tot compositiones, tot medicaminum vulgo adscriptæ virtutes, ut ne quidem memoria his omnibus capiendis sufficiat, tantum abest, ut quæ de singulorum usu & perita applicatione scitu perquam necessaria, animo teneri queat infixa. Celebrandum quidem in eo merito summi conditoris est providum institutum, quo benigna parens natura affluenter ex inexhausto suo penu varia & multiplicia in sanorum æque ac ægrorum usum suppeditat præsidia; neutiquam tamen opus est, ut omnia in usum vocentur, sed natura, ut in alimentis, sic etiam iis, quæ in medicinam cedunt, paucis contenta est. Paucæ quippe & simplicissimæ sunt morborum causæ, ideoque iis etiam removendis pauca sufficiunt adminicula, & ex vero scribit *Jo. Langius ep. 76. ego dico, desipere eos medicos, qui pluribus medicamentis aliquid expediunt, quod paucioribus transigi potest.* Quin potius ipse ego & experientia edoctus sum, nunquam medicum, qui immenso isto pharmacorum, quæ in pharmacopoliis asservantur, & plerumque sine ratione & fide mirificis encomiis celebrantur, apparatu utitur, crebrius ea mutat & affatim ægris ingerit, ad veram, certam & intimam eorundem cognitionem, pertingere, in qua tamen præcipuum felicis medendi rationis momentum est repositum. Hic egregium profecto *Damasceni aph. 34.* est consilium: *pharmaca pauca tibi tenenda sunt, & quorum operationes ac potestates jam multoties expertus es. Totius enim multitudinis notitia incomprehensibilis est, ac quum per singulas volueris inquirendo discurrere, multiplici diversitate distentus, nescies, cui debeas fidem adhibere.* Artis igitur atque prudentiæ est, ex tam numerosa supellectili pauca & certæ virtutis quædam deligere, ac per longam atque attentam experientiam quid in tot diversis, ut offeruntur quotidie, casibus & circumstantiis præstare queant, quid minus, addiscere, ac tum demum perspectis penitius eorundem viribus ac operationibus, iisdem uti, ac in medicatione cum certa ratione inniti. Nam scite hanc in rem scribit *B. Wedelius de medic. facult. cogn. & applic. pag. 25. res se habet hæc instar amicorum. Magis æstimamus unum vel alterum amicum, quam centum notos. Multi etiam amicitiam offerunt, pauci merentur. Ita etiam curiosum, selectum & expertum medicamentum reliquis omnibus præferendum est. Qui omnes habet amicos, neutrum habet, qui omnia novit, neutrum novit.* Qui vero artem speculando tantum agitant & experientia destituuntur, hi certe fluctuant & hallucinantur, nec firmum, solidum & eventu comprobandum interponere possunt consilium, multo minus quamdiu usui insistendum, quando desistendum, qua dosi offerendum, & quæ alia figillatim circumstantiis accommoda, ex vero præcipere.

§. XIX.

Ex præcipuis præterea medendi le- Lex XIII
gibus est decima tertia: *Medicus in juvando naturæ curatricis opere, plus utatur remediis diæteticis, lenioribus & simplicibus, quam pharmaceuticis activioribus & compositis.* Per diætetica ea intelligimus, quæ ex iis rebus, quibus ad vitæ & sanitatis tutelam nemo

non

uon indiget & quæ recepta in scholis denominatione rebus non naturalibus accensentur. Nam quemadmodum ex harum perverso & inordinato usu prima fundamenta & proximæ morborũ origines pullulant, pariterq; vehementia augescunt: ita ad morbosas varii generis afflictiones arcendas & subigendas, legitimo illarum usu & exquisita victus & vivendi ratione aptius & accommodatius est nihil, nec ipsa natura sine hac quicquam boni in sanando præstare, nec medicina optatum exserere potest effectum. Unde vera sunt, quæ *Galenus* tradit: *nullum efficax remedium medicina habet, quod solidum auxilium afferre possit, si ei victus ratio resistat, vel illud non adjuvet*. Sane ipse ego sancte asseverare possum, quod remediis diæteticis, quo aeris & cœli mutatio, corporis conveniens motus, accommodatus cibus & potus, nec non seri lactis, vel aquarum mineralium prudens usus, item abstinentia, & quies, referenda, in expugnandis rebellibus chronicis morbis, qui maxime in imbecilli nervosarum partium systemate longam & fixam sedem habuerunt, ut affectus spasmodici & convulsivi, hypochondriaci & hysterici, id præstiterim, quod frustra artificiose compositis, & concentratis medicaminibus tentarant alii, & ipse a magnæ famæ medicamentis exspectaram. Diætetica quippe remedia humoribus & motibus vitalibus affinia sunt, & blande, successive & cum tempore laudatissimam suam exserunt operationem, naturam imbecillem & morbidam in meliorem statum reducendo. At vero quo major est horum simplicium in medicina utilitas, eo pauciores ex medicis eorum cognitioni, multo minus dextro usui debitum constituunt pretium, ac utilissimam dant operam, sed plerique pensi habitis diæteticis præceptis, nonnisi operose concinnatis e pharmaceutico fonte petitis subsidiis morbos oppugnare contendunt, quo tamen plerumque nihil aliud efficiunt, quam ut naturam in saluberrimo sanationis ordine, progressu & tempore turbent, vel festinatione opprimant. Hinc citante *Langio lib. 1. ep. 76.* multiplices medicamentorum ex simplicibus numerosis consarcinatas compositiones salse jampridem irrisit *Plutarchus in sympos. Dec. 6.* Cui *Plinius H.N. lib. 24. cap. 1.* his verbis perbelle suffragatur: *ex terra nascentibus nata medicina. Hæc sola naturæ placuerat esse remedia parata vulgo, inventu facilia ac sine impendio, ex quibus vivimus. Postea fraudes hominum & ingeniorum capturæ officinas invenere istas, in quibus sua cuique venalis promittitur vita. Statim compositiones & mixturæ inexplicabiles decantantur. Arabia atque India in medio æstimantur, ulcerique parvo medicina a rubro mari importatur, quum remedia vera pauperrimus quisque evenet. Ita est profecto, magnitudo populi Romani perdidit ritus, vincendoque victi sumus, paremus exteris, & una artium medicina imperatoribus quoque imperat*. Longe prudentiores in eo se gesserunt vetustissimi medicorum, ut peritissimus Cous, *Celsus*, & methodici, qui, re probe perpensa, quicquid in arte præstiterunt, solius naturæ ordine & ductu & ignobilibus hisce auxiliis ac diætæ beneficio effecerunt. Nam pharmaceutice quidem confecta priscorum medicamenta, magna ex parte incondita sunt, ac nullius fere pretii; contra vero in eorum monumentis longe meliora & utiliora in regimine diætetico recte adhibendo in morbis & extra eos reperire quispiam poterit præcepta, quam in ullo fere recentiorum scripto. Laudandus tamen merito hoc in genere *Montanus*, ejusque optimus discipulus *Crato*, e quorum scriptis & ego multum profeci; quumque ipsa experientia de præstantia magis confirmater, utilissimam me collocaturum operam putavi, si neglectui datam hanc potissimam artis salutaris partem omnibus.

bus modis excolere atque splendori suo reddere anniterer, evulgatis hunc in finem quamplurimis latino idiomate & Germanice redditis iterum iterumque recusis schediasmatibus, non sine luculento peritiorum applausu. Accedit & hoc quod in universa rerum natura nullum purum detur simplex, sed omnia, quæ ad medendum tria sic dicta regna suppeditant, ex variis & diversis subjectis jam tum mixta sint, nec etiã hoc nomine artificiali mixtione & compositione opus sit, præferenda tamen maxime ea simplicia sunt compositis, quæ non uni, sed duplici, immo sæpius triplici, indicationi curandi satisfaciunt. Ita v.g. manna præter facultatem alvum stimulantem, aliud adhuc, videlicet acidos, ponticos humores demulcentem & simul spasmo constrictas fibras intestinales relaxantem, obtinet, unde in hypochondriacis & pectoris affectibus, omnibus aliis purgantibus palmam præripit. Rhabarbarum præter vim stimulantem, custodit etiam principium subadstringentis & roborantis virtutis, unde tutissimum in diarrhæis ipsisque dysenteriis est laxans. Cortex chinæ quoniam non modo amaritiem, qua acidum vitiosum in intermittentibus corrigitur & blandior spirituascentia sanguini conciliatur, habet, sed & elementum genus nervosum valde imbecille & ad novam febris materiam progignendi pronum roborandi aptum obtinet, aliis antifebrilibus & compositis recte anteponitur. Pulvis florum chamomillæ vulgaris propter oleum virtutem anodynam & antispasmodicam, ac propter amaritiem subtilem vim aperientem & corrigentem recondit. Mentha custodit oleum subtile roborantis pariterque anodynæ virtutis, simul quoque elementum adstringens terreæ fixioris naturæ, ideoque in vomitu non datur ea præstantius. Neque tamen omnem omnino simplicium sic dictorum compositionem, multo minus cum ratione institutam miscelam, rejiciendam, sed potius quandoque proficuam admodum, immo necessariam esse, arbitror. Sic nitrum est simplex, si ullum, certe hoc præstantissimum, quod calorem intestinum sedat, acrimoniam biliosam temperat, alvum simul laxat & urinæ fluxum promovet; quod si vero intentio est medici præter has virtutes aliam addere, nempe acidum in primis viis corrigendi, commodissime ipsi pulvis ex lapidibus cancrorum absorbens adjicitur. Pari ratione opium, ne nimium sistat excretiones, non inutiliter miscetur cum purgantibus, ut aloe, in pilulis Wildeganii, cum extracto hellebori & oleo terebinthinæ in pilulis Starckii, sive Anglicanis, cum alexipharmacis in theriaca cœlesti. Neque etiam laude sua defraudanda chymica & ex metallorum censu depromta pharmaca, maxime ubi periculum in mora & efficaciter morbi caussa & aggredienda & exterminanda; semper tamen leniora, quæ secura, naturæ amica, & non tam exquisitam expoſcunt circumspectionem, præferenda activioribus, quin prudentiæ, ut scite monet *Mesues*, granum est, ad valentiora nunquam descendere, si debiliora sufficiunt.

§. XX.

Addenda denique restat lex decima quarta. *a crebra mutatione medicamentorum abstinendum & securis atque probatis remediis insistendum, licet non statim conspicuum afferant levamen.* Lex XIV

Est hęc ex præcipuis, quam Veteres ipsa experientia edocti solicite inculcarunt. Hos enim medicamentorum continuationem maximi feciſſe, præter alios auctor est *Senec. ep.* 2. egregie ex ipsorum mente perhibens: *nihil æque sanationem impedit, quam remediorum crebra mutatio.* Hinc etiam medicamẽta annalia, quæ per integrum annum usurpabantur, Priscis dicta sunt, quorum meminit *Cælius Aurelianus lib. de passion. chro. c.* 2. his verbis: *Veterum quidam in passionibus arthriticis annalia medicamenta potanda præbuerunt, ut*

est

eſt diacentaurium & diaſcordium, bibenda anno continuo judicantes iis, qui longo tempore fuerunt paſſione vitiati. Et profecto proſtant incomparabilis adverſus multos morbos virtutis præſidia, quæ ſine continuato & repetito uſu, parum, vel nihil juvant. Luculento exemplo ſunt ſoteriæ aquæ, inprimis Carolinæ thermæ, quarum in debellandis chronicis & rebellibus morbis mira certe efficacia, ſed nonniſi per longum tempus & larga copia iiſdem potis, exſpectanda aut impetranda. Digna eſt quæ hic interſeratur obſervatio ex *M.N.C. Dec. 2. Ann. 1. obſer. 179. Reverendus Pater multis ventris torminibus & compreſſionibus pectoris vexatus, ſuaſu quorundam ad thermas Carolinas ſe contulit, & bibere cœpit thermales aquas tanta in copia, ut fidem ſuperare videretur: bibebat nempe 64. diebus 26089. ſextarios, ſextarius autem unus erat duodecim unciarum.* Et additur: *ſi citius diſceſſiſſet & humores commoti non expurgati fuiſſent, in pejorem corporis ſtatum incidiſſet, & omnia media adhibita incaſſum abiiſſent. Ab eo autem tempore curatus egregie fuit, & ter quaterque in anno thermas iſtas inviſit, ſex ſeptimanarum ſpatio ibi commoratus.* Quo etiam referendum *Cœlii Aureliani l.c.* monitum: *in articulorum paſſione uſus adhibendus aquarum, tum calidarum, tum frigidarum, ut ſunt Abuleæ & Catiliæ, ſed affectanda repetitio.* Pariter in lacte, inque primis aſinino, quam maxime præſtabiles adverſus chronicas paſſiones, phthiſin, atrophiam, podagram, arthritidem & ſcorbutum reconduntur virtutes quidem; quas tamen non brevi & parco, ſed diuturno demum & largo uſu, exſerit. Quam in rem inſtar omnium eſſe poterit *Pechlini* teſtimonium *obſ. 23.* ita diſſerentis: *lac eſt ſummum remedium, ſed continuato id efficit uſu, quo nempe per iteratas circulationes ſalis arthritici aculei obtundantur, & parato per alvum aut renes tartareo fermento, velut poſitis reduviis, novus recoctuſque ſanguis emergat. At*, recte ſubjungit, *hanc ego curam eo abſolutiorem fore confido, quo lactis uſus diuturnior eſt & diæta in ceteris moroſior. Verum cum deficiant ſtatim ad prima experimenta delicatuli noſtri, nec lactis uſum cum decenti diæta, quæ tamen hic omne fert punctum, continuent, mirum non eſt, ſi deſideratus ſe non ſiſtat effectus, aut plane ſiniſter inde emergat eventus.* De quo etiam argumento plura attulimus *in diſſertatione de mirabili lactis aſinini uſu in medendo.* Serum quoque lactis, præſertim ſecundum noſtram inventionem recenter & dulce præparatum, ſpectatiſſima certe in morbis longis & rebellibus ſplendet efficacia, ſed opus eſt, ut potatio ad unum vel alterum menſem extrahatur, ac eodem modo ſub iiſdemque cautelis in vitæ victuſque regimine inſtituatur, quam cum aciduli vel thermis ſolenne eſt, prout latius expoſuimus *in diſſert. de ſeri lactis virtute longe ſaluberrima.* Decocta medicata, præſertim temperatiora, quicquid in lue venerea ad ſanguinem purificandum, & ex traumaticis, aperientibus & conſolidantibus ſpeciebus concinnata, quicquid in phthiſicis & internis atque externis abſceſſibus præſtant, id omne longo & continuato uſui in acceptis ferendum, ſine quo nulla fere virtus, nulluſque effectus conſpicitur. Quin in plurimis chronicis affectionibus, ut malo hypochondriaco, hyſterico, cachexia, chloroſi virginum, menſium ſuppreſſione, inque primis affectibus uterinis, parum, vel nihil, ſolidi levaminis afferre poterit medicus, niſi paullo diutius appropriatis & accommodis remediis, ut ſunt elixirium noſtrum balſamicum temperatum alcaliſatum, pilulæ polychreſtæ balſamicæ, deterſiva, balnea, elixir ſtomachicum in notis ad Poterium deſcriptum, per aliquot menſes inſiſtat. Cinnabarina, ceu arcanum antepilepticum, a Chymiatris potiſſimum magnis laudibus extolluntur; ſed vix reſpondet effectus, niſi in paullo lar-

largiori, ad grana decem, & repetita ad aliquot dies dosi, usurpentur. Qua quidem ratione, non modo in epilepsia a caussa interna, sed etiam externa, a gravi nempe capitis percussione producta, vertigine, motibus convulsivis, præsentaneam & incomparabilem eorum facultatem olim sæpius expertus sum, licet non eo, ut vulgo moris est, fine, ceu sedativum & anodynum, sed potius, ut medicamentum, quod humorem alveis elapsum & membranis cerebri vel nervis inhærentem, resolvit & colliquat, adhibuerim. Nec mercurius dulcis, nec æthiops mineralis, curat luem veneream, vel defœdationes aut exulcerationes cutis, nisi usus ejus continuetur. Neque etiam chinæ cortex intermittentes tollit, nisi ejusdem usui aliquandiu sub debitis cautelis insistatur. Neque denique fluor fœminarum albus facile abigitur, quam balneis, laxantibus & roborantibus diutius paullo usurpatis. Et quæ plura hac de re exempla & monita in *dissertatione de prudenti medicamentorum continuatione*, attuli. Igitur non possum non omnibus, qui cum laude in artis exercitio versari gestiunt, pauciora, sed selectiora, eaque leniora potius, quam activiora remedia, de meliori commendare, ac ut iisdem cum prudentia & constantia uti addiscant, quam maxime suadere. Nam vere dixit *Helmontius: pauca sunt, quæ medicum nobilitant*; sed hæc, addo, pauca pauciſſimis sunt cognita, & apparatu quidem ac copia medicamentorum non destituimur; at perita & in experientia fundata eorundem applicatio, cum dexteritate adhuc semper & ubique est in desideratis.

CAPUT III.

De medicamentorum viribus & causſis ignorantiæ earum.

Remediorum vires parũ cognitæ.

§. I.

QUando medicus naturam, cui principem in sanando locum merito vindicamus, dextre adjuvare ac imitari nititur; nihil ei prius, nihil posterius esse debet, quam ut non modo juxta *Hippocratem lib. de flat.* causſas corporis affecti, sed & remediorũ, quibus tanquam instrumentis omnia ipsi perficienda, vires & facultates penitius cognitas habeat atque perspectas. At vero quo magis in artis exercitio utile est ac necessarium, veras & non fictas medicamentorum, pro tam diversa corporum & morborum ratione vires intimius nosse; eo magis utique dolendum, immo mirandum est, quod, si dicere licet quod res est, perpauca sint remedia, quorum virtutes & operationes certę ac recte perspectę, sed pleraque spem atque exspectationem curantis frustentur, quin veræ pharmacorum facultates in *Democriti* quasi puteo adhuc latitent. Quod quidem assertum paradoxon & plane a veritate alienum videri posset, quum tam numerosi libri practici, botanici, chymici & pharmaceutici, medicamentorum, tam simplicium, quam compositorum, Galenicorum & chymicorum copiam, non modo recenseant, sed & eorum laudes atque efficaciam miris concelebrent encomiis, nec tamen satis deprædicari possint: nihilominus tamen re accuratius expensa & adhibita ad tam magnificas laudes & tantopere decantatos effectus explorandos circumspecta observatione, pauca certe superſunt, quæ fidæ & expertæ virtutis, plurima vero infida, suspecta, fallacia, ficta, & energiæ egentiſſima, licet in nullo mendacio secundum *Plin. l. 29. c. 1.* majus sit periculum, quam in medico.

§. II.

Quia earum multitudo nimia.

Si causſam hujus tam perniciosæ ignorationis medicamentorum quoad veras suas vires & facultates disquirimus, sunt quidem plures, inprimis tamẽ ipsa immensa illa per ignorantiam pariter adeo accumulata moles & farrago remediorum, quibus ars salutaris referta & tantum non oppressa est, impedit, quo minus recte in exquisitam

tam ſingulorum notitiam pervenire poſſimus. Nam quum tam mirifice dilaudatis pharmacis Practici uterentur, nec tamen exſpectatus effectus ſequeretur, mox ad alia delapſi, nova condere, vel ab aliis recenter condita, in uſum vocare cœperunt, quæ quum eodem modo ipſorum votis non reſponderent, ſed ubique inertiam atque defectum arguerent, alia rurſus conſilii inopes quæſiverunt, immo ad chymica, panaceas & ipſa exotica, quorum modo fama afferebatur, converſi ſunt. Hinc nata eſt tanta medicamentorum ſylva, qua certe nihil ad diſtinguendam ægrotantium ſalutem & ad praxeos rationalis & efficacis incrementum remorandum, deterius inveniri poteſt. Nam profecto ſub tanto numero medicamentorum, quibus noſtro tempore pharmacopolia referta & plane onuſta ſunt, genuini & proprii cujus effectus & operationes, in tot differentibus naturis, morbis, eorumque cauſſis, recte haberi & cognoſci non potuerunt, neque etiam unquam cognitio intimior ſperanda, aut virium exploratio cum ſucceſſu molienda, niſi prius ad paucorum & ſelectorum numerum redigatur innumerabilis apparatus.

§. III.

Pathologia vera ignota. Altera cauſſa, ob quam veræ remediorum in medendo proprietates adeo ignotæ atque obſtruſæ, eſt veræ pathologiæ ad hæc uſque tempora neglectus. Nam ſicut ſecundum *Hippocratem lib. citat. de flatib.* ſi quis cauſſas corporis affecti probe cognovit, potens eſt valde ea afferre, quæ corpori commodant, nimirum contraria morborum natura perſpecta: ita omnis, qui hac cognitione deſtituitur, vel erroneam hauſit, neutiquam etiam accommoda remedia invenire atque in uſum proponere poteſt. Quapropter pathologiam veram veræ therapiæ primum & præcipuum fundamentum habendam eſſe recte ducimus, & hinc etiam non ſine ratione & ſine in priori ſectione copioſius & accuratius ad eam ſtabiliendam valde utilia capita adduximus. Quumque ex hac ſolida morborum philoſophia planius innoteſcat, non multiplices & valde abditas atque abſtruſas, ſed ſimplices, & manifeſtas eſſe multorum & magnorum morborum ac ſymptomatum cauſſas, quæ maxime pro differentia locorum, quibus inſident, valde differentes læſiones, & effectus producunt: in proclivi omnino eſt judicare, non pluribus, ſed paucis pariter ad removendas has cauſſas opus eſſe remediis.

§. IV.

Vulgo creditur medicamentis abſolutam ineſſe vim. Accedit tertio, & interea, quæ defectum in perquirendis & cognoſcendis veris remediorum facultatibus arguunt, merito referendum & illud eſt: quod non modo vulgus, ſed & ipſi medici, qui doctis accenſeri volunt, noxiam hanc foveant opinionem, quaſi ipſis medicamentis formaliter inhærent noxii, vel ſalutares effectus, qui ipſorum uſum ſequuntur. At vero hæc aſſertio non ſolum erronea, ſed etiam pernicioſa eſt, ac tum in phyſicis, tum medicis rebus ingentem ſterilitatem affert. Etenim omnes omnino corporum in rerum natura vires neutiquam ſunt abſolutæ, ſed relativæ & conditionatæ, certis reſpectibus & circumſtantiis limitatæ. Nimirum omnes effectus & operationes, quæ in corpus male affectum redundant, nonniſi motu accedunt; jam vero ex phyſicis & mechanicis patet, non in uno, & ſimplici corpore motum exiſtere, ſed demum ex duorum congreſſu, & reactione emergere, ipſamque vim motricem unius corporis ab alterius reagente mirifice modificari: adeoque de nullo etiam medicamento in ſe conſiderato, certus quidam effectus, qui ſpecies motus, ſalutaris, vel minus talis, prædicari poteſt, licet eidem vis quædam ad actionem exſerendam inſit,

insit. Quapropter recte omnino colligitur, ut corpora, sic etiam medicamenta, agere non tam secundum receptivitatem, & remediorum effectum non modo ad causas morbificas, sed & individua, quæ varia sunt, & sine quorum cognitione fallax omnis medicinæ operatio, recte simul referri. Hæc autem accuratior circumstantiarum cognitio ex parte difficilem & conjecturalem artem nostram quidem reddit, sed rationalem ab empirica quam optime distinguit: quandoquidem prudentis & cum ratione agentis medici est, in sanando quovis morbo, omnes tam prævios, quam concomitantes circumstantias probe inquirere, ponderare, naturam medicamenti cum genio morbi, & quidem sub tali corporis constitutione, probe comparare; hoc autem prætermisso, præter futilem, cœcam & temerariam Empiriam exspectandum nihil. Et quamvis potè cœco tantum ausu adhibitam medicinam interdum per accidens & casu, vel declinante jam morbo, salutaris succedat eventus, eo tamen, si non alio nomine, culpandum erit ejusmodi molimen, quod semper periculum sit, ne gravi damno, quod prudenti adhibita observatione evitari poterat, ægrotantes mactet.

§. V.

Quod tamen contra experientiã.

Res clarius patebit exemplis. Nimirum lippis notum est atque tonsoribus, jalappæ purgantem inesse facultatem. Hæc autem si eadem dosi, ad drachmam dimidiam, vel decem corporibus sanis, etiam ejusdem ætatis, mane offeratur, mirum certe erit, quam diversus effectus ratione temperamenti, constitutionis corporis, partium nervosarum, immo virium, inde resultabit: in hoc vel decem sedes cum vomitu, in illo quinque tantum, in alio paucas valde, sed anxietates simul junctas cum inappetentia, movebit, in hoc vehementia tormina, in illo nulla, excitabit. Et eadem operationis diversitas, non modo in reliquis purgantibus, sed & aliis evacuantibus, emeticis, sudoriferis & diureticis animadvertitur. Neque etiam in artis exercitio versantibus obscurum esse poterit, quantopere medicamentorum efficacia secundum clima, regiones, anni tempora, & tempestatum constitutiones, victus & vivendi genus discrepet, ut recte *Celsus* dicit: *aliud medicamentum Romæ, aliud in Græcia adhibendum*. Certe Westphaliæ, Pomeraniæ & septentrionalium regionum incolæ, purgantia, emetica, & alia fortiora, experientia teste, quam optime ferre possunt, quæ Italis pestifera & tantum non venenata sunt. Hoc vero discrimen longe magis in statu morboso obvium, dum unum medicamentum eodem modo & regimine, tempore ac dosi, eodem in mordo exhibitũ, uni prodesse, alteri non convenire, sed nocere, per attentam observationem confirmatur. Expertus id nuperius admodum sum in binis puellis gemellis quinque annorum, quæ eadem victus & vivendi ratione usæ, eodem tempore variolis corripiebantur, & decumbentes iisdem medicamentis, eademque methodo tractabantur, diverso tamen plane eventu, dum altera gravioribus longe symptomatibus conflictata, inter decimum & undecimum diem exspiraret, altera vero eadem pustularum copia obsita, mitius laboraret, & feliciter evaderet, ac in eo tantum diversa esset corporis constitutio, quod quæ moriebatur, laxioris & succulentioris, altera vero strictioris & firmioris esset habitudinis. Pariter chinæ cortex circumspecte adhibitus divinum certe in intermittentibus est remedium; sed quam noxius inde etiam in iisdem febribus propullulet effectus, notissimum est. Martialia in cachexia, chlorosi, in affectione hypochondriaca, effectum perspæpe præstant longe saluberrimum, nonnunquam vero plus noxæ, quam emolumenti afferunt. Quam diversa remediorum, quæ se-

dativa virtute prædita, ut opiatorum, ſit operatio, noxia & ſalubris, nemo non novit. Sulphura ex mineralibus, maxime ex antimonio, item medicamenta ex mercurio rite parata, incomparabili pollent virtute in chronicis & rebellibus morbis debellandis, inprimis lue venerea, ſed niſi circumſpecte pro circumſtantiarum ratione uſurpentur nocentiſſima ſunt. Superſedeo plura alia adducere exempla, quum ex allatis abunde elucescat, veriſſimum eſſe *Hippocratis lib. de arte* §.7. effatum: *quæ profuerunt, ob rectum uſum profuerunt, quæ vero nocuerunt, ob id quod non recte uſurpata ſunt, nocuerunt*. Et *Celſum l.3. c.1.* egregie ad veritatem ſentire, dum aſſerit: Medicum non ſemper poſſe præſtare artis affectum, licet ſit perpetuum in arte medica, quid fieri debeat, tamen non eſſe perpetuum, quod ſequi convenit.

§. VI.

Quia fallacia cauſſa ut cauſſæ plerumque committitur.

Accedit quarta tam ſupinæ ignorantię in propriis & veris medicamentorum facultatibus cognoſcendis cauſſa frequentiſſima, quod nimirum medentes naturæ, morbi & medicamentorum vires atque effectus non curate invicem diſtinguant, ſed ſæpiſſime fallaciam cauſſæ ut cauſſæ admittant, quæ frequens & quaſi propria eſt in medicorum ſcholis, ut nullus facile ſit, qui cum hoc non colluctetur vitio. Nihil enim frequentius, quam quod naturæ, immo morbi effectus, a vulgo & ignaris medicis pro operatione medicamentorum habeantur ac falſo venditentur. Sane qui atrocia illa in variolarum initio obvia ſymptomata, delirium, epilepſiam, applicato antea clyſteri vel interius aſſumto medicamento adſcriberet, is certe plurimum erraret, cum illo, qui viciſſim medicamento diaphoretico, circa quartum diem, quo ſponte omnia pacatiora fiunt, propinato, pathematum ceſſationem tribuere vellet. Plures vero ex idiotis ſæpe hac ratione immeritam plane quandam famam callide aucupantur, ut oblato ab ipſis circa dies criticos, quibus ſponte ſolvitur morbus, vel etiam ſub declinatione medicamini, ſubſequentem ſalutarem effectum tribuant & ignaris imponant. Interim tamen non negandum, remediorum, naturæ & morbi effectus non ſemper a priori diſtinctos ſatis comparare, ſed prudentiſſimos etiam ſæpe in cognitione falli, & recte dixiſſe *Galenum de medicament. facult. lib. 2. ſæpe propriam cujuſque medicamenti vim obſcurari neceſſe eſt, ubi fallentem aliunde qualitatem acceperit*. Quo etiam apprime facit elegans *Pechlini in obſervat.* teſtimonium: *aliquando*, inquientis, *in medicina eveniunt, quæ evenire nec poſſe, nec debere, juratus crederes, adeo aliena illa ſunt, cum a ſcopo medici, tum medicaminis effectu. Nunc etiam quæ ſperas & fingis animo futura, non eveniunt, & cum eveniunt aliter quam oportet*.

§. VII.

Pauci norunt principia indagare.

Neque porro prætereundum, multum omnino ad hanc medicorum circa medicaminum vires ignorantiam contuliſſe, quod perpauci iis adminiculis inſtructi ſint, quorum miniſterio elementa & principia, quibus medicamenta agunt & in corpus operantur, indagari & cognoſci poſſunt, philoſophia nempe experimentali chymico-mechanica, quæ variis mixtionibus, deſtillationibus, extractionibus, ſolutionibus, corporum texturam, ingredientia, craſin, a qua eorum qualitates, proprietates & affectiones dimanant, detegit atque recludit. Ob hujus itaque ſcientiæ defectum, turpe dictu eſt, per multa ſæcula tota cana vetuſtas & recentiores quoque in pernoſcendis medicamentorum agendi principiis ſumma in ignorantia verſati. Antiquiores enim commentitiis quatuor elementis, qualitatibus, humoribus & temperiebus tanquam ſaxo adhærentes, nil niſi ſterilia & futilia circa hanc rem propoſuerunt. Poſt hoc Philoſophiæ Carteſianæ

fianæ addicti nimis subtiliter de actione medicamentorum in corpus diſserere, & eorum operationes ex varia particularum figura, magnitudine, nexu derivare voluerunt, ſed parum ad uſum. Et noſtro jam ævo prodeunt, qui hæc omnia rejicientes aſſerunt: aliam eſse actionem medicamentorum & corporum phyſicam, juxta phyſica principia explicabilem, aliam vero medicam, ad vivum corpus relatam. At licet nemo unquam negaverit, vivo, non mortuo corpori offerenda eſse medicamenta; in obſcuro tamen evolvendum manet, quomodo hæc agant in corpore vivo. Et licet porro contendant, per vivum corpus intelligendum eſse corpus principio interno activo, motus & omnem quoque medicamentorum actionem ad arbitrium & moraliter certum in finem dirigente, inſtructum, eaque propter ſupervacaneum penitus cenſeant illum conatum, quo principia & modus agendi remediorum inveſtigantur: hæc tamen omnia ſunt mera ſuppoſita, quæ nulla firma demonſtratione nituntur, nec etiam quicquam utilitatis ad rationalem therapiam conferunt, ut potius cœcæ Empiriæ apprime faveant.

§. VIII.

Per Philoſophiã experimentalẽ.

Igitur certum interea ſit, pro diverſa natura & indole medicamentorum, quæ etiam ex parte ipſo odore & ſapore cognoſcitur, aliam atque aliam eſſe ipſorum operationem, v. g. refrigerandi, calefaciendi, ſudorem, urinam & alvum movendi, motus ſedandi & intendendi. Certum quoque ac firmum ſit, omnes in corpore noſtro effectus, a cauſarum ſuarum nexu indiſſolubiliter dependere, adeo ut remedia, ſi ſub certis conditionibus applicentur, certum etiam activitate ſua edant effectum. His autem ceu veris, ut ſunt, tantiſper ſuppoſitis, nullum dubium eſt, quin mediantibus experimentis variis chymicis & mechanicis, a priori quam optime in principia & vires medicamentorum quiſpiam inquirere & penetrare poſſit. Clariſſimo ſunt documento ſoteriæ aquæ, thermæ nempe & acidulæ, de quarum ingredientibus Veteres ex defectu ſcientiæ phyſicæ & chymicæ, nonniſi fabulas & commenta in conſpectum produxerunt, ego vero, quod citra arrogantiam dixero, primus fere in plurimis Germaniæ fontibus experimentorum ope genuina erui elementa, ut jam de eorum effectu judicare & quid in hoc vel illo morbo præſtare poſſint, verum judicium ferre ſit in proclivi. Neque minus ejuſdem Philoſophiæ experimentalis beneficio & mediante quoque ſapore & odore, veras & genuinas in vegetabilibus detegi poſſe vires arbitror, ut pluribus aſſerui in exercitatione *de methodo compendioſa vires plantarum indagandi*, inſerta *tomo primo opuſculorum phyſico medicorum*. Quin tentaminum chymicorum adminiculo, multorum certe arcanorum, inprimis quæ ex auro ſumtuoſe præparari jactitarunt, ingredientia, quantumvis occultata, ſunt evoluta ac magnificæ ipſis falſo & fraudulenter adſcriptæ virtutes manifeſtatæ.

§. IX.

Et experientiã.

Monendum tamen eſt, non omnes medicamentorum facultates & proprias virtutes, hac ratione ſolius experimentalis ſtudii ſubſidio elici poſſe atque detegi, ſed eaſdem demum a poſteriori, ſive effectu & experientia, melius in conſpectum venire. Ecquis enim eſt, qui ſolis experimentis phyſico-mechanicis argenti vivi vim tam vehementer ſalivam moventem, nitri virtutem refrigerantem & antiſpaſmodicam, arſenici exitialem venenatam, ſeminis hyoſcyami narcoticam, rhabarbari purgantem, cantharidum diureticam, antimonii emeticam, a priori per ejuſmodi experimenta, niſi accedat experientiæ ſuffragium, conjicere, vel certo determinare poterit. Neque etiam virtutem quandam medicamenti ſemel, aut bis expertam pro certa & probata venditare licet, ſed

ſed iterata demũ & aliquoties ſine ſuſpicione alius cauſſæ confirmata experientia verum eſſe effectum evincit. *Multi ſiquidem*, ut perite monet *Bagliv. l. 1. prax. cap. 5. §. 1. & 8. ob fauſtos eventus, ſemel vel bis obſervatos, ex aliquo remedio vel potius ob innatam quãdam proclivitatem, tum laudandi, tum fingendi ad lubitum medicamentorum vires, ita erga remedium aliquod afficiuntur, ut putent illud unum ad curandos quoſque morbos, ſummã vim ac veluti imperium obtinere; ſed progreſſu tẽporis re melius perſpecta, illud particulare & inſtabile, non vero commune ac perpetuum fuiſſe, animadverterunt.*

§. 8 //

§. X.

Cognitioni obſtat compoſitorum uſus & mutatio.

Deniq; etiam haud leve obſtaculum penitiori virium in medicamentis cognitioni objicit, tum quod rariſſime ſimplicia, ac utplurimũ compoſita, nec hæc ſola, ſed aliorum uſu interpolata, uſurpentur, tum etiam quod pleraque medicorum turba animo fluctuet, nec uti quidem decebat, inſiſtat uſui, ſed juvante non illico oblato medicamento, aliud promat crebriuſq; mutet. Etenim adhibitis multis ſimul ſimplicibus, dubium utique eſt, cui potiſſimum adſcribendus effectus, multo magis ſi adjecta ita ſunt comparata, ut virtutem vel infringere, vel intendere, poſſint. Et licet ſimplicia non ſemper omni indicationi ſatisfaciant, ſed connubio eorum ſæpe opus ſit; tamen compoſitorum etiam genuina virtus nunquam innoteſcere poteſt, quando ſubinde alia atque alia interponuntur ac ipſa adhibendi methodus pluries variatur. Longe magis vero huic cognitioni obeſt crebra mutatio, quandoquidem remediorum effectus nonniſi certo tempore perfici poteſt & cognoſci, quod niſi expectetur ipſeq; uſus aliquandiu continuetur, neutiquam de virtute certi quippiam poterit aſſeri, ſed quantumvis egregiũ pro ſterili habebitur. Eximium hanc in rem eſt *Celſi* præceptum *l. 3. cap. 1. non ſtatim*, inquientis, *condemnetur ſi quid non ſtatim profuit; minus vero removeatur, ſi quid paulum ſaltim juvat, quia profectus tempore expletur*. Et idem etiam jam præcedenti capite *lege* 14. pluribus inculcavimus. Atque hęc ſunt potiora impedimenta ſolidæ cognitionis virium in medicamentis; quæ qui ſuperat ac removet, pariterque tempus exhibitionis, doſin & modum cum congruo vehiculo propinandi curate annotat; is omnino genuinas facultates & operationes explorabit & cum certa ratione habebit perſpectas.

CAPUT IV.

De medicamentorum quatuor ſummis generibus & operandi modo, ſpeciatim alterantibus.

§. I.

Medicamentorũ in claſſes diſtributio neceſſaria.

QUum omne fere medici officium in eo contineatur, ut, quæ tum ad tuendam, tum redintegrandam labefactatam valetudinem, nec non levanda & mitiganda urgentia pathemata faciunt, tempeſtive offerre, & viciſſim, quæ inſalubria & fugienda, perite arcere noſcat; in proclivi eſt judicare, ad hoc ex voto perficiendum nihil æque neceſſarium eſſe, ac diſtinctam & curatam ſanitatis præſidiorum notitiam. Hæc autem cognitio ſupponit non ſolum notitiam virium, ſed etiam elementorum & operandi rationis; quo medicus ſolido dijudicare queat ratiocinio, quid ex omni apparatu in hoc vel illo morbo, hoc vel illo individuo, hoc vel illo tempore & pro diverſa aliarum circumſtantiarum ratione, obſit, aut proficiat. In quo quidem ut recte verſetur artifex & habeat, unde cuivis caſui accommodum expedite promere & cum fructu afferre queat; nihil aptius magiſque proficuum eſt, quam ſi omnia hæc ſua inſtrumenta, ſecundum ipſorum principia, modum operandi & effectus quoque quos ſub certis conditionibus præſtare poſſunt, in certas claſſes perite & compendioſe diſpeſcat.

§. II.

Jam quidem quamplurimi ejuſmodi

Quæ minus recte huc usque adornata.

di syllabi & catalogi materiæ medicæ, a doctis etiam viris concinnati, passim circumferuntur: sed si verum fateri licet, ita utplurimum sunt comparati, ut solidæ & rationali therapiæ inde adornandæ, plus obsint quam prosint, & a peritis ac in ipsa arte exercitatis vix sine indignatione perlustrari queant. Etenim obviæ in iis sunt longe plures quam par est & innumeræ fere remediorum classes, ut non ita pridem in ejus farinæ libello vel 50. numerarim, prout nempe ratione partium quas afficiunt, ratione morborum in quibus conveniunt & ratione effectuum quos interne & externe edunt, variant. Ipsæ vero consignationes diffusæ & tam variis diversæ ac plane contrariæ indolis medicaminibus refertæ sunt, ut qui confidenter, sine nova curata distinctione, earum ductum in conficiendis pharmacis sequi velit, non possit non in ingentem errorem atque confusionem perduci.

§. III.

Et ad quatuor tantum classes reducendas.

Quapropter summa medicamentorum genera compendiose & longe rectius sic describi posse censeo, ut quum omnia quę medēdi scopo offerūtur, ad removendas morborum causas quoad modum agēdi dirigantur, in omni vero morbo vitium vel sit in motu, vel in materia, quæ movetur, immo ad motum disponit, motus porro vel nimis, aut in universo corpore, aut in certa tantum parte, intensus, vel imminutus sit, materia autem vel quantitate, vel qualitate delinquat, cuncta remedia vel circa motum, vel materiam operatione sua in genere occupentur. Et materiæ quidem qualitate vitiosæ corrigendę dicata sunt alterantia, quantitate peccanti evacuantia, motui vero si deficit, imminutus est & partes atonia laborant, excitando & procurando roborantia, si vero intensus nimis est & adauctus ac partes spasmo exercentur, componendo ac remittendo, sedativa inserviunt. Hæ sunt generales quatuor medicamentorum classes, ad quas omnia quæ naturæ promtuaria ad medicum usum suppeditant, commodissime possunt reduci. Quin etiam omnes artis in medēdo operationes, his adminiculis & hac ratione quam optime perfici possunt, & *Hippocrates* elegantissime hinc & vere mechanice medicinam definivit *lib. de flat.* §. 3. scribens: *Medicina nihil aliud est, nisi ablatio & appositio. Ablatio quidem eorum quæ excedunt, appositio vero eorum quæ deficiunt. Qui autem istud optime facere potest, is optimus medicus censebitur, quantumq; quis ab hoc præstando deficit, tantum deficit quoque ab ipsa arte.*

Alterantium & evacuantium roborantiū & sedantium.

§. IV.

Actio vel fluidas.

Deinde quod ad causalem influxum ipsamque remediorum actionem attinet; agunt ipsa immediate & proxime vel in fluidas, vel solidas partes, ita quidem ut alterantia & evacuantia dicata sint fluidis, roborantia & sedativa solidis. Verum quia tam liquida, quam solida, diversę naturę sunt, diversis etiam rationibus succedunt operationes. Quippe nonnulla ex medicaminibus proxime actione sua afficiunt tenuissimum ac mobilissimum illud fluidum, quod in cerebro ac nervis hospitatur, & motum præcipue & sensum partibus præstat, illud vel augendo ac in motum magis ciendo, ut analeptica, cordialia & suaveolentia, vel intensiorem ipsius motum sedando, ut vaporosa, anodyna, opiata & graveolentia, quæ exigua etiam dosi assumpta, præsentaneam exserunt virtutem. Alia medicamentorum immediate operantur in sanguinem & qui ipsi serviunt succos, ut diluentia, incrassantia, attenuantia, item absorbentia, & acrimoniam caustica vel sulphurea contemperantia.

§. V.

Vel solidas partes afficit.

Quæ in solidis effectum præstant, ut plurimum immediate & proxime eundem in nervosis partibus exsequūtur, præsertim ventriculo & intestinis, quæ sensationis exquisitissimæ. Hunc in censum veniunt pharmaca ex mineralium classe potissimum petita, quæ exigua in dosi operantur & in tenuissimas ac stupendę exiguitatis moleculas inte-

integra virtute&textura diſſolvuntur, ac intimæ admiſſionis ad nervoſas partes ſunt, nec tam facile elui poſſunt, ut ex vomitoriis tartarus emeticus, ex ſalivantibus mercurius præcipitatus albus, ex ſulphuribus, ſulphur antimonii noſtra methodo paratum, & ſalia volatilia. Alia vero ſale ſubtili cauſtico nervoſas has partes adoriuntur, ut ex venenis arſenicum, ex purgantibus helleborus albus & niger, gummi guttæ, reſina jalappæ, & id genus alia, cum omnibus inſectis, inprimis cantharidibus. Notandum tamen, quod ex his nonnulla unam præ altera nervoſa parte magis afficiant, uti mercurialia glandulas, lymphatica vaſa, ipſaſque fauces, antimonialia emetica ductus biliarios, colocynthiaca nerveas inteſtinorum tunicas, helleborus œſophagum, laryngem & aſperam arteriam, cantharides & inſecta nerveos urinarios & ſeminales ductus, ſalia volatilia oleoſa & ſudorifera ex ſale volatili regni animalis confecta tunicas vaſorum arterioſorum. Alia denique ex iis, quorum operatio ſolidis dicata, plus muſculoſo-fibroſis, quam nerveis & membranaceis partibus facultatem ſuam inſinuant, quorum e numero ſunt roborantia, quæ vel leniori principio conſtringente fixiori terreo, vel ſulphureo pollent.

§. VI.

Inſtituti ratio. Sic igitur in genere recte diſtinguenda medicamentorum ſupellex, & ſic quoque in compendio eorum actio & operandi ratio concipienda: jam de ſingulis ſeorſim. Quemadmodum vero medicina rationalis ab evidentibus maxime cauſſis, obſcuris omnibus, ut loquitur *Celſus*, non a cognitione artificis, ſed ab ipſa arte rejectis, inſtrui debet: ita etiam illam ſcientiam, quæ medicamentorum facultates pandit, & ad rationem revocat, non ex cauſſis obſcuris nimiſque remotis, vel principiis atomiſticis & ſecundum magnitudinem & figuram particularum geometricis, quæ revera incomprehenſibilia, ſed ab evidentibus, proximis, in ſenſus cadentibus & comprehenſibilibus, immo maxima ex parte ipſa experientia petendam & hauriendam eſſe judico. Cui proinde methodo etiam inpræſentiarum inſiſtam, & in hac facultatum, & proprietatum medicamentorum explicatione, plane admodum, ſimplici & facile concipienda ratione procedam, ita quidem, ut non omnes, ſed ſelectas tantum & uſu comprobatas ex quavis claſſe ſpecies recenſeam, atque quoad agendi modum atq; uſum nervoſe explicem.

§. VII.

Alterantium quatuor ſunt genera. Sermo autem primo erit de ALTERANTIBUS, quæ primam remediorum claſſem conficere & maxime circa correctionem materiæ, quæ qualitate in vitio eſt, occupari, ſuperius dixi. Jam vero quia materia emendanda in morboſis corporibus afflictionibus variis modis delinquere poteſt, varias etiam alterantium ſpecies inde reſultare eluceſcit. Nimirum ſucci corporis noſtri, qui ſecundum naturam blandi, dulces ac temperati eſſe debent, vel ſalino-acidam & corroſivam naturam induerunt, vel intemperie calida, ſubtili ſulphurea infecti ſunt, vel nimis viſcidam, tenacem & craſſam, vel valde acrem & corroſivam indolem contraxerunt. Hinc ut quadruplex hæc vitioſa qualitas corrigatur, quadruplex etiam alterantium genus eſſe debebit. Et quidem ad acidum imbibendum ac obtundendum abſorbentia, ad exæſtuantem & bilioſam intemperiem contemperandam & refrenandam temperantia, ad viſcidum & ſpiſſum diſſolvendum ac colliquandum incidentia, & denique ad acrimoniam urentem & corrodentem involvendam ac mitigandam demulcentia apta ſunt atque accommodata.

§. VIII.

Abſorbentia. Primum atque alterantium genus complectitur ABSORBENTIA. Horum claſſem ducunt ex marinis matre perlarum, concharum, cochlearum & oſtracodermatum variæ ſpecies, corollaria rubra & alba, nec non os

sepiæ; ex animantibus desumpta cornua & ossa, sive per vaporem sub coctione emollita, ac ut in pharmaciis audit, philosophice præparata, sive aperto igne usta, dentes & ungulæ, testæ ovorum, chellæ & lapides cancrorum, mandibulæ piscium, item unicornu animale & fossile; ex subterraneis lapis specularis, creta, crystallus præparata, osteocolla, & omnes lapides calcinati & usti, varia bolorum, argillarum & terrarum sigillatarum genera; ex metallis limatura martis; ex chymice confectis omnia salia per incinerationem parata, cineres clavellati, sal tartari, nitrum fixum, spiritus salis ammoniaci urinosus, sal volatile ammoniacum, magnesia alba, tinctura salis tartari, item antimonii acris.

Theoremata.

Absorbentium horum omnium ea ratio est ac indoles, ut cum obvio quocunq; acido promte congrediantur, illud imbibant, quantumvis corrosivum hebetent ac destruant, & cum eo in tertium quoddam innoxium corpus commigrent. Patet hic effectus exemplo spiritus nostri fumantis & inflammantis quam maxime corrosivi, olei vitrioli, mercurii sublimati, aquæ regis, fortis, aliorumque summe causticorum, quæ adjecta ferri scobe, vel commixto alcalino sale, aut absorbente terreo, omni rodente facultate orbãtur, ut nec quicquam acidi aut arrodentis supersit. Quamvis vero cuncta alcalina salina & terrea in eo conveniant, quod acidum quodvis cicurent, ac in tertium quoddam commutent: in eo tamen quædam intercedit differentia, quod salia alcalinæ indolis, sive lixiviosa, non solum a quovis acido, sed etiam liquore aqueo in corpore celerrime & ex toto solvantur, terrea vero non tam facile penitus liquescant, uti conspicuum est in coralliis, martis limatura, calce viva, quæ nec ab acido, præsertim vegetabili, prorsus dissolvuntur, sed semper fixior quædam terrestris substantia resistat. Deinde alcalina salia præter vim absorbentem, susceptoin connubium acido, novam acquirunt medicamentosam virtutem, viscidos nempe, limosos & tenaces succos incidentem & colliquantem, leniter stimulantem, ac vel alvum, vel diuresin, vel etiam diaphoresin movent, & prompte quoque per excretoria transeunt, plurima vero alia ex corporibus alcalinæ naturæ non tam expedite excretiones proritant, sed potius quandoque adstringentem relinquunt effectum, uti solenne est limaturæ martis, coralliis, bolis & terris sigillatis.

Corollaria practica.

I. Quia igitur alcalina terrea nonnisi ab acido dissolvuntur, hinc utique cavendum est, ne in iis morbis, ubi primam regionem, in qua absorbentia maxime operationem suam exsequuntur, magna crudorum & viscidorum succorum colluvies obsidet, ne indissoluta ibi hæreant, stomachum gravent, appetitum, & digestionem destruant, alvumque reddant adstrictiorem; id quod sæpius in febribus ardentibus, biliosis, hecticis & ubi languor motus peristaltici & constrictorii in ventriculo præsto fuit, factũ fuisse observavimus.

II. Vicissim quia hæc absorbentia acidum tam promte absumunt atque invertunt, acor autem purgantium & vomitoriorum efficaciam quam maxime impedit atque infringit, utilissime digestivi loco, ubi justa acidi est superãtis suspicio, horum usui præmittuntur.

III. Utut omnia terrea absorbeant & obtundant acidum; ob diversam tamen singulorum texturam & naturam, quandoque fit, ut productum ex ipsis valde differat, ac diversum sæpe intentioni non respondentem in corpore effectum exsequatur, & hinc exquisitus in oblatione servandus delectus. Quando scilicet medicus præter virtutem absorbentem, etiam quandam roborantem & adstringentem desiderat; expedit marina potissimum, & ex his corallia & ostreas, nec non testas ovorum, item varias margarum

spe-

ſpecies, inprimis quæ ſigillari ſolent, in uſum vocare. Si lenius adhuc ſubadſtringendum, perlarum mater & conchæ, ac ſpeciatim ad cohibendum ſeminis fluxum, os ſepiæ, ex uſu eſſe potuerunt. Ubi per abſorbens laxans ſimul effectus perficiendus, magneſia, quæ ex lixivio nitri debita enchireſi paratur, & nonniſi tenuiſſimus calcis vivæ flos eſt, offerenda, quæ tota ab acido ſoluta, in ſal medium amarum, alvum promte ſtimulans tranſit, eaque propter in hypochondriacis, & ubi prima regio acidis ſuccis ſcatet, alvuſque ſtrictior eſt, eximiam certe exſerit efficaciam. Quum diureticus ſimul effectus præſtandus, cancrorum lapides, cochleę vel corallia uſta, necnon oſteocolla, utiliſſimam locant operam. Ad perſpirationem una in morbis liberiorem reddendam animalium oſſa uſta, vel philoſophice pręparata, commodiſſime inſerviunt. Et deniqu: quo ſtagnantes & denſati humores ipſeque coagulatus ſanguis reſolvantur, nihil certe domeſtico illo remedio præſtantius, quo cancrorum lapides in aceto liquati propinantur.

IV. Abſorbentia licet ſint medicamenta admodum ſimplicia, fere domeſtica & facile parabilia, eorum tamen virtus & efficacia omnibus ferme aliis remediis ſuperior, nec ſatis dilaudari poteſt. Nihil enim tam expedite ac promte noxios ſuccos cicurandi & invertendi facultatem ex omni alterantium cenſu exſerit, quam abſorbens, neque tamen facile tam ſecurum ullum aliud & innoxium eſt, niſi majori quam par eſt copia ingeratur. Adhæc uber admodum acidi in corpore eſt proventus, maxime in his, quibus bilis deficit, ut ſenibus ac feminis, nec non qui ſedentariæ vitæ nimium indulgent, & potum, qui multum acidi recondit, largius aſſumunt, immo in multis morbis pręſertim affectione & melancholia hypochondriaca, enormis plane; acidum autem toti animantium naturæ, & coagulante effectu, libero ſuccorum vitaliũ progreſſui admodum inimicum eſt, & graviſſimorum, præſertim chronicorum morborum, primam & originalem cauſſam ſuppeditat: ideoque clariſſime innoteſcit, optima & præſtantiſſimę virtutis immo polychreſta eſſe hæc abſorbentia, quorum tamen uſus Veteribus parcus admodum fuit, vel plane nullus, ac demum *Helmontio*, *Tackenio*, eorumque in Belgio maxime aſſeclis *Sylvio* & *Bontekoe* in acceptis ferendus, qui acidum multorum morborum cauſſam eſſe perhibuerunt, & primi his acido oppoſitis uſi ſunt præſidiis.

§. IX.

Secunda alterantium claſſis compleditur TEMPERANTIA, quæ non modo inteſtinum calidum partium ſulphurearum in ſanguine motum, ſed & ipſum fervidum, urentem, biliоſum humorem in inteſtinis contemperant, cicurant, & hac ratione refrigerant. Hac virtute ex vegetabilium cenſu ſplendent radix & herba acetoſæ, acetoſella, poma citria, aurantia, Chinenſium, granatorum, ribeſia, fraga, berberes, baccæ rubi idæi, ceraſa & ex iis parati ſucci, ſyrupi item aquæ ex recentibus his deſtillatæ, nec non ſemina quatuor frigida majora, & decoctum avenaceum; ex animantium regno ſerum lactis, lac ebutyratum, ſuccus cancrorum fluviatilium, teſtudinum decoctum, decoctum dilutum raſuræ cornu cervi & ſcorzoneræ, cum vel ſine hordeo, gelatina cornu cervi, aqua etiam a raſura cornu cervi deſtillata, hoc nomine commendanda: ex mineralium familia omnibus palmam præripit nitrum bene purificatum, melius adhuc regeneratum, ex aqua forti per additionem ſalis tartari; ex chymicis denique & pharmaceuticis ſal eſſentiale aceroſellæ, cremor tartari, phlegma vitrioli, clyſus antimonii ſulphuratus, tinctura roſarum, florum bellidis, violarum cum ſpiritu vitrioli philoſophice præparatæ, quam optime temperant. *Temperantia.*

Theoremata.

Temperantia agunt triplici ratione. Vel enim sale acido, particulas volatiles sulphureas ligant, & motum earum calidum vorticosum intestinum figendo, & illas coagulando, quodammodo minuunt. Vel operantur expansiva aereo-elastica quadam virtute, qualis delitescit maxime in nitro, quod sal acidum & alcalinum, ingentem partium sulphurearum, nec non liquidi aereo-ætherei copiam involutam recondit, eodemque materiam calidam in vehementi motu vorticoso calido constitutam dispellit, & a centro quasi ad peripheriam displodit, sale vero neutro materiam crassam, quæ caloris & sulphuris matrix, attenuat, resolvit, disparat, & subtili simul suo acido partes sulphureas in celerrimo motu sistit. Vel etiam partes sulphureas diluendo & disjungendo, humidum calore absumtum restituendo, simul etiam nimiam vasorum elasticitatem, a qua calor pendet, remittendo, operationē suam exsequuntur, uti potissimum observatur, ab aqueis, sero lactis, decocto cornu cervi & avenaceo.

Corollaria practica.

I. Hæc certe temperantia multi & magni usus sunt in medicina, ubicunque calor præternaturalis exstinguendus, eaque propter in febribus omnis generis, item inflammationibus & gravioribus spasmis ac doloribus, qui perpetuo fere nimia & calida sanguinis commotione stipantur, iisdem nullo modo carere possumus. Sed acidis, quæ figendo & coagulando agunt, merito præferenda nitrosa. Nitrum enim non tantum refrigerantem, verum etiam rigidas & spasmo afflictas partes relaxantem, sive antispasmodicam, item urinæ & alvi excretionem promoventem virtutem possidet. Quin quum alia refrigerantia & acida fluida magis condensent & coagulent, nitrum potius colliquat, rarefacit, attenuat humores densos & viscidos, ita prorsus, ut si vel in pulverem redactum, vel in aqua prius solutum, sanguini nigro coagulato inspergatur, eum & floridiorem efficiat. Quare non solum in inflammationibus ipsisque febribus inflammatoriis, quæ a sanguine nigro, coagulato & incarcerato nascuntur, acidis longe præstantius, sed etiam quia tenacem & spissam seri materiam, quæ affluens in sanguine inflammationi subjectorum apparet, tam efficaciter fundit ac dissolvit, ad corpus ab inflammatione defendendum quā maxime proficuum.

II. In febribus chronicis, ut lenta, hectica, quæ utplurimum ex labe vel corruptione quadam viscerum natales trahunt, & quando tussis aut hæmoptysis juncta est, ipsique pulmones vitio laborant, non acida, sed nitrosa & diluentia, præsertim ex regno animalium petita, ut serum lactis, aqua & decoctum, nec non gelatina cornu cervi, in usum vocari debet. Ubi etiam diarrhœis, dysenteriis, choleræ, calor febrilis associatur, idemtidem abstinendum ab acidis, refrigerantibus, & potius diluentibus, gelatinosis, mucilaginosis, adjecto pulveribus temperantibus & absorbentibus, uno vel altero nitri grano utendum. De quibus laudatissimis virtutibus pluribus videri potest differt. nostra *de nitri usu*, nec non ea, quæ *observationes circa nitrum* tradit.

§. X.

Incidentia.

In tertia alterantium classe comprehenduntur INCIDENTIA sive ATTENUANTIA. Horum in censum veniunt radices pimpinellæ albæ, ari, acori, asari, armoraciæ, enulæ, cichorii, iridis Florentinæ, sigilli Salomonis, vincetoxici; herbæ: arnica, beccabunga, cochlearia, nasturtium aquaticum & Indicum, piperitis, ros solis, fumaria, trifolium fibrinum, centaurium minus, hyssopus, scordium, chærefolium, carduus benedictus, sedum minus, alliorum, porrorum & ceparum species; lignum guajacum & ejus cortex; aromata piper & zingiber; semina, sinapeos, cochlea-

chleariæ & naſturtii; gummmata: ammoniacum, galbanum, ſagapenum, opoponax, myrrha & benzoe; chymice & pharmaceutice confecta: mercurius dulcis, æthiops mineralis, flores ſulphuris, ſalia alcalina fixa & vegetabilium per incinerationem parata, ſpeciatim ſal tartari, abſynthii, porro media, ut digeſtivum Sylvii, noſtrum aperitivum, ammoniacum, polychreſtum, Epſhamenſe, Sedlicenſe, tartarus vitriolatus, terra foliata tartari, arcanum duplicatum, ſolutio oculorum cancri, nitrum & ſal ammoniacum, volatilia, ut ſal volatile ſalis ammoniaci, ſpiritus ſalis ammoniaci urinoſus, oxymel præterea ſquilliticum, tinctura antimonii acris, eſſentia gummi ammoniaci, piperis Indici, reſina Guajaci, ſyrupus nicotianæ, de eryſimo, feculæ aronis &c. Fontes quoque medicati, qui præter diluentem & aperitivam virtutem incidente etiam pollent, ut acidulæ Egranæ, Sedlicenſes, thermæ Carolinæ, nec non infuſa theiformia, quæ propter copioſum aqueum elementum maxime vim ſuam attenuantem & coaleſcentes moleculas disjungentem edunt, ac demum ſerum lactis dulce, quod ob dulce ac ſubtile quod cuſtodit ſal, deterſiva ſimulque ductus excretorios aperiente facultate ſpendet.

Theoremata.

Ex his nonnulla in fluidas, nonnulla in ſolidas corporis partes agunt. Quæ fluida immediato contactu afficiunt ſunt perpauca, idque non aliis quam diluentibus aqueis, quorum magna certe ad colliquandos glutinoſos ac viſcidos humores eſt efficacia, nec non ſalibus alcalinis fixis & volatilibus ac nitroſis, quæ præſertim in forma liquida ſanguini aut humoribus ſpiſſis ac denſatis admixta, eoſdem vel ad oculum liquefaciunt atque attenuant, tribuendum. Reliqua omnia in ſolida operantur, eorum tonum, robur, contractilitatem, vaſorumque elaſticitatem atque potentiam ſyſtalticam augendo, & intendendo, quo fit, ut contentos ſuccos validius premant, concutiant, motum progreſſivum citatiorem & inteſtinum auctiorem reddant, & fortius crebriuſque ſic trajecti per vaſa capillaria tenaces & ſpiſſeſcentes ſucci, in minores globulos, a quibus fluiditas pendet, diſcerpantur ac dividantur. Hanc autem in ſolida actionem nonnulla ſale acri fixiori exſequuntur, ut radices: ari, pimpinellæ albæ, aſari, iridis Florentinæ, ſigilli *Salomonis*; herbæ: arnica, piperitis, ros ſolis, ipſumque piper & zingiber, quæ acuti quidem ſaporis, deſtillatæ autem cum aqua per veſicam, nec oleum volatile acre, nec aquam acris ſaporis largiuntur, ſicque fixam ſuam teſtantur indolem. Viciſſim alia effectum ſuum perficiunt ſale acri ſubtili volatili, quorum e numero armoracia, enula, naſturtium, cochlearia, ſinapi, omniaque ceparum, alliorum & porrorum genera. Quædam agunt ſale medio ſtimulante, cujus indolis ſunt ſalia illa neutra, quorum acrimonia & irritans facultas non ſolum ſapore innoteſcit, ſed etiam ex effectu, quo majori doſi oblata, alvum vel diureſin movent, pateſcit. Alia ſale acri multis particulis ſulphureis imbuto, effectum edunt, quod obvium in gummi ammoniaco, ſagapeno, opopanace, nec non guajaco & ejus reſina; quæ præter ſal acre, oleum quoque complecti, deſtillatione, qua copioſum hoc fundunt, manifeſtatur. Aliqua demum ſale penetranti ſubtiliori metallico operationem abſolvunt, uti eſt mercurius, inprimis dulcis, item æthiops mineralis.

Corollaria practica.

I. Attenuantium & incidentium virtus latiſſime patet, ut ob multiplicem quem præſtant effectum, variis denominationibus paſſim inſignientur. Quod ſi enim tenaces & viſcidi in corpore humores non modo in cavitatibus & vaſorum alveis ſtagnant, ſed & minimos viſcerum & emunctoriorum tubulos farciunt, & ob-

struunt: hæc præsidia incidente & attenuante sua facultate impactos humores expediendo, & obstructiones reserando, aperientem præstant effectum, & ob id recte dici possunt aperientia. Merentur etiam nomen antiscorbuticorum & sanguinem depurantium. Nam quia puritas & temperies succorum vitalium a legitima inutilium ac superfluorum se- & excretione dependet; hæc autem oppilatis ab humore spisso & viscido emunctoriorum & glandularum minimis canaliculis, intercipitur; facile patet, ea, quæ lentos succos incidendi & obstructiones removendi virtute pollent, optima esse sanguinem depurantia, nec non adversus scorbutum præsidia, in quo humores maxime intemperati, & variis heterogeneis, viscidis, salsis, sulphureis, acribus particulis referti sunt. Quumque adeo diversum edant effectum, quæ cuique potissimum accommoda, sciendum.

II. In affectibus itaque ventriculi & primarum viarum, ad dissolvendas & incidendas viscidas cruditates egregie faciunt radix ari, pimpinellæ albæ, calami aromatici, piper, zingiber, sal ammoniacum depuratum, tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, sal digestivum Sylvii, nostrum aperitivum, sal absynthii, spiritus salis simplex, vel dulcificatus, nec non tinctura aperitiva Mœbii. Et si per alvum simul crudi & male cocti succi exturbandi, præstans utique virtus est salium mediorum, inprimis salis Sedlicensis, Ebshamensis & polychresti, pleniori dosi, & cum sufficienti aqueo vehiculo propinatorum.

III. Ubi humores viscidi in pectoris affectibus resolvendi, & per screatum rejiciendi, commodissimam locant opem, radix enulæ, iridis Florentinæ, ros solis, hyssopus, scordium, capillus veneris, gummi ammoniacum, myrrha, benzoe, sulphur, balsamum Peruvianum, nitrum antimoniatum, terra foliata tartari, oxymel squilliticum, solutio lapidum cancrorum cum aceto destillato, syrupus nicotianæ, nec non de erysimo.

IV. Quando spissa & tenaci impuritate sanguis infectus, ac inde emunctoria oppilata, & dyscrasia salso sulphurea scorbutica humores conspurcati, apprime ex usu sunt, radix armoraciæ, cochlearia, nasturtium aquaticum, Indicum, piperitis, beccabunga, cētaurium minus, trifolium fibrinum, carduus benedictus, fumaria, sedum minus, sinapi, gummi ammoniacum, sagapenum, myrrha, liquor nitri fixi, oleum tartari per deliquium, solutio nitri, elixir nostrum temperatum, tinctura antimonii acris, essentia lignorum, spiritus salis ammoniaci, sal absynthii cum succo citri, nec non ex aquis medicatis Sedlicensis & Egrana.

V. Quando sanguis congrumatus post contusiones & suffusiones dissolvendus, iterumque fundendus, eximiam laudem merentur radix sigilli Salomonis, herba arnicæ, chærefolii, acetum destillatum cum lapidibus cancrorum, terra foliata tartari, nitrum antimoniatum.

VI. In morbis, ubi lympha spissitudinem contraxit, maximeque a miasmate venereo, palmam ferunt guajacum, saponaria, tinctura antimonii acris, mercurius dulcis & æthiops mineralis, qui prudenter usurpatus, ad lentos in glandulis & hepate obhærescentes succos colliquandos & resolvendos, usus est longe præstantissimi.

§. XI.

Accedit quarta alterantium classis, continens EMOLLIENTIA & DEMULCENTIA. Hæc inter eminent radices: altheæ, liliorum alborum, liquiritiæ, scorzoneræ; herbæ quinque emollientes, lactuca, branca ursina, parietaria; flores: sambuci: meliloti, malvæ, verbasci, millefolii, chamomillæ vulgaris, liliorum alborum, borraginis, papaveris rhœados, tiliæ, acaciæ, violarum & maxime omnium crocus; semina lini, fœnu græci,

Demulcentia.

ci, aniſi, cydoniorum, pſyllii, papaveris albi, quatuor frigida majora & minora, ſiliqua, amygdalæ dulces, ficus, pineæ, piſtaceæ, gummi ceraſorum, Arabicum, tragacantha, raſura cornu cervi & ejus gelatina, axungia humana, canis, caponis, medullæ oſſium, pinguedines circa omentum, oſſa & meſenterium, olea nativa animalium, butyrum recens, lactis cremor, lac ipſum, ſaccharum lactis, ſperma ceti, mel, vitellus ovi, ejus albumen exſiccatum & in pulverem redactum. Ex præparatis oleum amygdalarum dulcium, lini, raparum, momordicæ, decoctum cornu cervi citratum & ſcorzoneræ citratum, ptiſana, ſerum lactis dulce, ſyrupus e dialthæa, Fernelii, unguentum dialtheæ, emplaſtrum diachylon ſimplex, de melliloto, ſpermatis ranarum.

Theoremata.

Virtus horum remediorum duplex eſt, ſolidis, vel fluidis dicata. In ſolidis quidem hanc ita exſequuntur, ut rigidas, duras ac tenſas fibras laxent, molliant, eaſque mobiles & flexiles reddant, ſimulque adductos per ſtricturas minimorum vaſorum alveos amplient atque dilatent: in fluidis vero viſcida ſua mucilagine præſtringunt, involvunt, & quaſi capſulæ includunt acies & ſpicula ſalium acrium rodentium, & ſic quam optime demulcent. Exterius autem applicata, humorem vaſorum alveis elapſum, nec amplius reſolvendum, aut per lymphatica vaſa reſorbendum, in pus convertunt, ita quidem, ut disjecto per calorem temperatum ſubtiliſſimo liquido, remanens viſcoſa materia, oblinitis blande poris, ne nimium humidi exhalet, & profecto majore ſucci nutritii, ex quo pus maxime conflatur, per relaxatos tubulos affluxu, ad coctionem & maturationem traducatur.

Corollaria practica.

I. Maxime hæc demulcentia ſunt efficaciæ, ſi venenum cauſticum aſſumtum, & vix ſane melior datur his antidotus ad pernicialem toxici ex animalium, vegetabilium & mineralium cenſu vim cicurandam & infringendam, lacte præſertim & pinguedinibus copioſe ingurgitatis, quæ non modo acerrima venenorum ſpicula obtundunt atque involvunt, ſed & conſtrictas per virus a validiſſimo ſpaſmo membranas laxant, & hac ratione veneni evacuationem, ſive per vomitum, ſive feceſſum, adjuvat.

II. In omnibus longis morbis & valentibus, præſertim qui ab acrimonia humorum ortum trahunt, & nervis potiſſimum inſident, ſimpliciſſima hæc emollientia in infuſis & decoctis oblata, uſum præſtant longe ſaluberrimum. Sæpius certe convulſiones inſania ſtipatas & ſcorbuticas artuum tractiones cum acerbis ventris torminibus, curatas novi decoctis, ex radice pœoniæ, altheæ, herba malvæ, parietariæ, brancæ urſinæ, floribus verbaſci, liliorum alborum, ſambuci, borraginis, chamomillæ, papaveris rhœados, ficubus & ſemine fœniculi, cum aqua vel ſero lactis paratis, largiori tamen ac diuturno uſu, & adjecto interdum uno vel altero cochleari olei amygdalarum dulcium & interpoſito balneo ex aqua dulci cum lacte remixto.

III. Axungiæ & pinguedines animantium recentes, maximeque oſſium medullæ, quæ ſubtiliſſimam recondunt pinguedinem, in ſcorbutica acri humorum diatheſi interne cum fructu uſurpantur.

IV. In aridura partium & ubi articuli vix ſine ſtrepitu moveri poſſunt, nec non in doloribus arthriticis, eadem demulcentia, ut radix ſcorzoneræ, flores ſambuci, millefolium, chamomilla vulgaris, ſemina quatuor frigida majora, inprimis vero ſerum lactis dulce, pinguiuſculis cremoris partibus adhuc refertum, vel etiam pinguedines cum quodam alcali in ſaponis texturam redactæ, mirabilem præſtant effectum, ſed opus eſt, ut

pinguia hæc jejuno ventriculo, non adeo magnis, sed repetitis dosibus assumantur, superbibendo haustum calidum convenientem.

V. In exulceratione renum & mictione cruenta, quæ ob acredinem humorum quandoque incidit in variolarum morbum, gummi cerasorum, vel etiam tragacantha, aut albumen ovi siccatum, in sero lactis soluta, præstabilem locant opem. In pectoris vero affectibus, ad acredinem tussis causſam obtundendam & materiam ad evacuationem præparandam, specifica quasi virtute laudantur decoctum avenaceum, sperma ceti, liquiritia, oleum amygdalarum dulcium, siliqua dulcis, saccharum lactis, crocus, ficus, syrupus violarum, flores papaveris & sambuci.

VI. Hecticus jugis si affligit calor, & succi dulces continua lenta febre acrimoniam salso-alcalinam contrahunt, in cremore lactis & butyro recenti, ob demulcentem effectum, egregia reconditur virtus.

VII. Pariter in cholera, dysenteria, scorbuto, atrophia scorbutica, phthisica, & ubicunque acredo succorum in vitio est, decocta gelatinosa, carnium, ossium, præsertim cornu cervi, item pedum vituli & vervecis, tam interius potu, quam exterius ano mediante clystere infusa, eximii sunt usus.

VIII. Quando intestina infesta detinet strictura, & alvus cum flatibus retinetur, egregium præstant effectum emollientia ac demulcentia, ut oleum amygdalarum dulcium, serum lactis, decoctum avenaceum, cornu cervi; non tam per os assumta, quam potius per clysterem inferius injecta.

IX. Flores & herbæ emollientes, si admixto croci momento decoquuntur, & vesicæ inclusæ dolente interna parte exterius applicantur; ut in pleuritide, hepatitide, colica, vel ano in dolore ex hæmorrhoidibus cæcis, conspicuum torminum conciliant levamen.

X. Quando humor quidam extravasatus & impactus in pus convertendus, egregie inserviunt linimenta & cataplasmata ex pinguedinibus emollientibus & lacte parata, & maxime quidem floribus & foliis liliorum alborum, croco, ficubus, cepis tostis, farina fabarum, vitello ovi ac melle; abstinendum vero ab his, ubi in induratis & scirrhosis partibus materia continetur, ac in pus converti nequit, ni funestam ciere velimus putredinem.

XI. Mucilagines, quæ ex semine cydoniorum & psyllii cum aqua rosarum vel spermatis ranarum conficiuntur, in erosis atque exulceratis partibus, quibus dolor & ardor jungitur, ut aphthis ulcerosis faucium, cœcis & dolentibus hæmorrhoidibus, tenesmo, dysenteria, gonorrhœa, vel fluore albo erodente, præsentaneam sæpe ferunt opem.

CAPUT V.

De Evacuantibus.

§. I.

Evacuantia sunt varia.

EVacuantium operatio occupatur maxime circa humores, qui copia in vitio sunt, eamque ob causſam in sanitatis tutelam vel naturæ motibus, vel his non sufficientibus, aut plane deficientibus, artis ministerio, per congrua emunctoria expelli debent. Jam vero vitiosi succi non unius ejusdemque naturæ, craseos atque texturæ, nec etiam excernicula, per quorum emissaria quilibet exturbandus, ejusdem structuræ atque dispositionis sunt; ideoque etiam instrumenta, quibuscum eorum expulsio adornatur, varia erunt ac multiplicia. Scilicet quæ stabulantem in ventriculi & primorum intestinorum cavo vitiosam saburram superius per os eliminant, emetica, quæ ex inferiori canalis alimentaris regione per ani secessum, laxantia aut purgantia, quæ per tubulosum cutis emunctorium, diaphoretica & sudorifera, per renale

cri-

cribrum & urinarias vias, diuretica, per glandulas & ductus salivales, salivantia, per asperam arteriam ex thoracis cavo, expectorantia, per narium & faucium glandulosam substantiam, errhina, sternutatoria & apophlegmatizantia, ac denique, quæ ipsum superfluum sanguinem evocant, emmenagoga & hæmorrhoides cientia vocantur. Sed de singulis jam seorsim.

§. II.

1. Emetica. Primum inter evacuantia locum obtinent EMETICA sive VOMITORIA, quæ duplicis sunt generis, mitiora scilicet, vel fortiora. Lenioribus accensenda merito aqua simplex tepida, adjecto pauxillo salis & portione mellis, vel olei expressi aut pinguedinis, vel decocta cum semine vel cortice raphani rusticani, aut semine anethi, vel etiam aqua thermalis, simul & semel largis haustibus copiose ingurgitata. Validiorum in numero ex vegetabilium classe sunt folia & radix asari, helleborus albus, succus corticis medii sambuci, immo omnia cathartica validiora majori dosi data, necnon quæ ab exteris asportantur gummi guttæ & radix hypecacuanhæ; ex metallorum & mineralium familia, quæ venereæ prosapiæ, ut vitriolum cyprium album, Gilla Paracelsi & Angeli Salæ, ex capite mortuo olei vitrioli Goslarienſis, quod venereæ indolis, crystalli viridis æris, sal emetico-diaphoreticum Mœbii, ex vitriolo Goslarienſi & nitro anaticis partibus paratum, necnon quæ ad regulinam stibii substantiam ortum referunt, ut tartarus emeticus, vitrum antimonii & ex parata aqua benedicta Rulandi, mercurius vitæ, maxime ex butyro antimonii rectificato cum precipitatione aquæ simplicis, vel olei tartari per deliquium confectus, pulvis MoncKii, ex duabus partibus reguli antimonii martialis & una nitri paratus, sulphur sic dictum auratum antimonii, idque correctum, panacea sic dicta Glauberiana, Conerdingiana, ad grana quinque vel sex oblata.

Theoremata.

I. Mitiora emetica & maxime diæretica a Galeno & veteribus potissimum sunt usurpata, quippe quæ admodum secura ut plurimum copia sua, non secus ac clysteres ex iisdem ingredientibus concinnati, intestina, ventriculum, in primis si jam debilis & ad motum excretorium, teste nausea, ructibus, oris amaritie, anxietate, proclivis est, ad vomitum exsolicitant: sed non agunt ultra limites ventriculi, ex quo utique humores crudos, pituitosos & biliosos ex male ingestis & digestis collectos non sine fructu evacuant.

II. Emetica validiora tenuissima sua caustica salino-sulphurea acrimonia, exigua etiam dosi, non modo in tunicam ventriculi & intestinorum nerveam eam spasmodice convellendo agunt, sed & si paullo majori dosi præbentur, ultra stomachum, in ductus maxime nervosos biliarios, item in glandulas intestinorum, mesenterii, pancreaticas, ipsumque hepar penetrant, & projectos ex his biliosos & salivales humores expellunt, quandoque vero si universum genus nervosum afficiunt, hostiliter etiam agunt & gravissime nocent.

Corollaria practica.

I. Veteres albo veratro, ceu summe drastico, emetico scopo utebantur, uti auctor est *Celsus l. 2. c. 13.* & quidem in comitiali morbo, in insania & in valentibus aliis morbis sine febre, sed idem perite monet, ut ante hujus pharmaci usum, corpus probe humectetur. Nostro vero tempore, quo habemus securiora, merito a violento hoc medicamine abstinemus, & ex supra recensitis tantum ea seligimus, quæ naturæ & nervosis partibus crasi & textura sua non adeo inimica, nec cum ancipitis periculi metu propinantur. Hæc inter primo loco merito connumeranda radix

dix illa Americana Ipecacuanha, ad drachmam dimidiam & ultra oblata, quæ præter salinum subtile acre principium, etiam balsamicum ac roborans custodit, & id peculiare plane servat, ut omnium celerrime operationem suam exsequatur, eaque propter ubi periculum in mora, & promte vomitus ciendus, quam optime adhibetur. Et quoniam vomitu in ventriculo motus peristalticus deorsum tendens, per consensum etiam in intestinis, si in diarrhea vel dysenteria nimis intensus est, sufflaminatur, & alvi fluxus ad tempus sistitur; unde *Celsus lib. 1. c. 3.* recte perhibet, vomitum ventrem solutum comprimere, compressum solvere. Ipecacuanhæ commodissime substituitur asarum, cujus radix & folia pariter subtili, acri, volatili caustico elemento, quod coctione prompte exhalat, simul quoque roborante & balsamico polleant, & in febre antiqua quartana, tertiana, hydrope, ictero egregium suppeditant auxilium. Ex antimonialibus præferendus tartarus emeticus, ex croco metallorum, non vitro antimonii, qui duplo validior, præparatus, qui vel solus ad tria aut quatuor grana, vel refracta dosi cum radice ipecacuanhæ mixtus, egregie suum facit officium; & si quis effectum emetico-purgantem desideret, decocto mannæ duo vel tria tartari emetici grana adjici poterunt. Pariter usu esse potest panacea Glauberiana, ad quinque vel sex grana cum cremoris tartari scrupulo oblata, nec non in asthmate pituitoso interdum oxymel squilliticum, ad duas vel tres uncias datum. Emeticis vero venereis, quorum vis constringens gravius & diutius exagitat nervosas ventriculi & aliarum partium tunicas, item pulveribus istis regulinis antimonii, pulvere Moncknii, vitro antimonii, mercurio vitæ, quæ infidæ operationis, vel fortissime, vel insufficienter operantur, pro majori vel minori humorum in ventriculo dispositione, carere, & tutius abiis abstinere possumus in medicina.

II. Non modo utilis, sed & quandoque admodum necessarius est emeticorum paullo valentiorum usus, ad venena, præsertim quæ narcoticæ sunt indolis, item miasmata, quæ ex contagiosis, & malignis morbis decumbentibus exhalant, in ventriculum descendunt, ibique humoribus fermentantibus sese insinuant, cito, ne ad penetralia serpant, expellenda. Pari ratione ad humores ex commixtione heterogeneorum ingestorum, bilis humorumque fermentantium salivalium prodeuntes, corruptos & valde vitiatos, qui in ventriculi & intestinorum, præsertim duodeni, cavo stagnant, mora corrumpuntur & frequentissime febri lentæ, quotidianæ, quartanæ, item tussi chronicæ, nec non gravioribus morbis capitis, melancholiæ, hemicraniæ, quandoque etiam comitiali, item apoplexiæ, ortum præbent, exturbandos, efficaciter agentia ex usu esse possunt.

III. In morbis, qui a bile spissa, in gypseum sæpe & viscidum coagulum abeunte, & ductus biliarios obstruente oboriuntur, ut ictero tam flavo, quam nigro, cachexia aliisque, emetica non sine fructu, reliquis aliis nihil juvantibus, propinantur, eosdemque, exturbata biliosa copiosa sentina, felicissime abigunt.

IV. In anasarca, leucophlegmatia, tumoribus partium œdematosis & ascite curabili, emetica paullo majori etiam dosi data, vehementer quidem ex ductibus & glandulis intestinorum, mesenterii, pancreatis, hepate serum aquosum eliciunt, ac per interiora, rarius vero superiora, ejiciunt.

V. In omni accessione, & paroxysmo febrili, inflammatione ventriculi, vel ubi stomachus spasmodice afficitur, ut in cardialgia, item vehementi ira, in spasmis hystericis, hypochondriacis & ubi ad hemoptysin, nimium mensium vel hæmorrhoidum fluxum, dispositio præsto est, item ubi morbi a congestione

ne-

ne humorum ad caput orti sunt, uti apoplexia, paralysis, auditus vel visus deperditus, vertigo, necnon ubi dolores atroces urgent, vomitoria plane exulent, nec unquam etiam plethoricis, nisi plethora per sanguinis missionem soluta, nec quibus intestina fecibus infarta & alvus obserata, quam his prius expurgatis exhibeantur.

VI. Præstat semper emetica ad faciliorem operationem in liquida forma, vel etiam cum sufficienti vehiculo humectante & relaxante pingui offerre; siquidem vomitio non tantum validiorem pilori & fundi ventriculi constrictionem, sed simul etiam relaxationem orificii superioris œsophagi desiderat.

VII. Sub emeticorum operatione & post eam abstinendum ab omni refrigeratione, frigido potu, ab omni commotione animi, ab omni calidiori & stimulante medicina, acri & salso cibo, ac potius demulcentibus cibisque boni succi & qui facile solvuntur utendum. In primis apprime ex usu est lac asininum, si haberi potest, tres vel quatuor horis post ad aliquot uncias potare. Et quæ plura hanc in rem ex instituto tradidi in *dissertatione de cauto & præstantissimo vomitorium usu*.

§. III.

II. Laxantia. Emeticis succedunt ea, quæ per inferiora vitiosam materiam eliminant, quæ pariter duplicis sunt generis, vel leniora, vel validiora. Inter ea vero, quæ alvum clementer, tuto & sine stomachi & systematis nervosi lasione movent, & Latinis LENIENTIA & LAXANTIA, Græcis eccoprotica vocantur, præcipuum locum tenent, ex vegetabilibus manna, rhabarbarum, cassia, agaricus, tamarindi, folia sennæ, aloe, baccæ spinæ infectoriæ, passulæ minores, polypodium, flores persicorum, acaciæ, violarum earumque semen: ex salibus culinare, borrax, & nitrum, item ex fontibus mineralibus, ut Ebshamense, Egranum, & Sedlicense, nec non ex Carolinis paratum: ex animantium regno lac, præsertim asininum, serum & saccharum lactis; ex præparatis chymicis, terra foliata tartari, tartarus vitriolatus, cremor tartari, sal ex alumine & sale tartari concinnatum, sal essentiale acetosellæ, magnesia, sal polychrestum, aurum fulminans, mercurius dulcis, fl. benzoes, necnon composita, ut pilulæ de succino Cratonis, aleophanginæ, marocostinæ, tartareæ Schrœderi, essentia, extractum & syrupus rhabarbari, syrupus rosarum solutivus, aqua laxativa Viennensis, elixir purgans Thomsoni.

Theoremata.

Laxantia hæc placide, sine magna commotione & labefactione motus peristaltici ventriculi & intestinorum, non modo sordes alvinas, sed & quando liberalius propinantur, ex intestinorum glandulis serum, satis largiter evehunt. Neque tamen sale acri subtili caustico, nervosis partibus inimico, ut purgantia, operationem suam perficiunt, sed substantia plane innocenti, quæ vero tenuissimæ saline stimulantis indolis est, & haud secus quam emeticorum, & purgantium, diuturna coctione avolat & perit, uti patet exemplo mannæ, rhabarbari, aloes, foliorum sennæ, quæ ea propter rectius infunduntur, quam decoquuntur. Sigillatim vero agunt hæc laxantia vel principio quodam salino-stimulante dulci, ut manna, cassia, passulæ, polypodium; vel sale quodam subtiliori sulphureo amaricante terreo, ut aloe & rhabarbarum; vel sale acido fibras vellicante, ut tamarindi, cremor tartari, sal acetosellæ; vel sale neutro, ut nitrum, borrax, sal gemmæ, digestivum Sylvii, arcanum duplicatum, tartarus vitriolatus, salia ex medicatis aquis producta, & herbarum essentialia; vel sale quodam calcario amaricante, ut Sedlicense, Ebshamense, Egra-

granum; vel denique terra calcaria, ut magnesia, quæ ab acido primarum viarum soluta, in sal neutrum acre & stimulans transit.

Corollaria practica.

I. Polychresta hæc & præstantissimi multis in morbis usus simulque tutissima laxantia medicamenta, quæ nonnullis ob id benedicta audiunt, Veteribus parum cognita fuerunt, in quorum monumentis aloes, rhabarbari, tamarindorum, foliorum sennæ, agarici, nulla, quantum quidem novi, fit mentio, sed cassiæ tantum & polypodii ex mitioribus, ac primus *Dioscorides* aliquid de rhabarbaro & aloe prodidit, ex quo deinde *Plinius* & *Galenus* quæ habent desumserunt, manna vero, tamarindi & folia sennæ, Arabibus & Ægyptiis medicis demum innotuerunt. Utut vero omnium laxativorum virtus in eo conveniat, quod sine noxa, impetu ac commotione alvum subducant: pro differentia tamen morborum vel etiam individuorum, utique distinctio circa eorum usum utilis & necessaria est. Scilicet manna, cassia, passulæ, polypodium, in affectibus pectoris, tussi, hæmoptysi, pleuritide, phthisi, neque minus in morbis, qui a sero salso, acri, scorbutico nascuntur, ut arthritides, rheumatismi, scabies, purpura, cum insigni fructu adhibentur aliisque merito præferri debent, quippe quæ non tantum alvinas sordes emovent, verum etiam simul acrimoniam salsam temperant & corrigunt. Acidula, ut tamarindi, cremor tartari, sal acetosellæ, item salia essentialia ex herbis nitrosis, sal polychrestum, nitrum antimoniatum, in regionibus præcalidis, corporibus cholericis atque tempore æstivo, necnon in morbis, ubi copiosa bilis delinquit & vehementior æstus præsto est, tertiana continua, duplici, æstiva, in causo, cum inexhausta siti, quam maxime conveniunt, & alius anteponenda, eo quod præter facultatem vacuantem, motum quoque intestinum partium sulphurearum sanguinis & bilis ferociam componunt & cicurant. In morbis qui ex defectu bilis & sulphuris in sanguine balsamici nascuntur, ut sunt cachexia & omnes fere chronicæ passiones, in quibus succorum spissitudo & viscerum infarctus adsunt, laxantia amara, ut rhabarbarina, aloetica correcta, omnibus utique palmam præripiunt. Ubi vero humores tenaces, viscidi in vitio sunt, & primam regionem occupant, ac inappetentiam, rensiones hypochondriorum, ructus, flatulentias caussantur, salia omnia neutra, tam arte chymica præparata, quam nativa fontium medicatorum, si paullo majori in dosi & cum sufficienti liquido offeruntur, efficaciter alvum solvunt & recrementa spissa & viscida everrunt. Quando acidum, ut solet fieri in hypochondriacis, melancholicis & quartanariis, nimium redundat, & omnium aliorum, etiam acriorum, purgantium virtutem infringit atque eludit, præter mannata, magnesia aprime ex usu est, quæ sicuti a spiritu vitrioli ex toto solvitur, atque in sal neutrum amaricantis saporis, & virtutis purgantis transit, eandem pariter, si in ventriculo offendit acidum, induit naturam atque efficaciam, contra ea deficiente in corpore solvente succo, parum vel nihil operatur, & plus incommodi, quam commodi creat.

II. Aurum fulminans & mercurius dulcis inter laxantia quidem referri solent, sed eorum usus certe non adeo tutus est. Nam si illud penitus edulcoratum fuerit, parca vel plane nulla ejus operatio; si vero salino nitrosis spiculis adhuc uberius refertum, quia ob gravitatem suam firmiter inhæresit parti ventriculi & intestinorum, alvum quidem movet, sed in sensibilioribus subjectis atrocia tormina cum flatulentiis, aliaque mala parit, quin magis nocet, ubi humorum acido-corrosivorum, vel bilis causticæ,

causticæ, in ventriculo aut duodeno copia hospitatur. Mercurius autem sic dictus dulcis, qui solus, nisi associetur purgantibus, non facile purgantem exserit effectum, accessu vero bilis corrosivæ in duodeno, deleteriam facile rursus induit indolem ac generi nervoso vim ac læsionem infert. Et licet ad enecandos, & expellendos vermes passim commendetur; nihilominus tamen quum infantibus mercurialia admodum sint inimica, atque ego subinde gravem noxam, & insignem debilitatem ea attulisse observarim, non facile, nisi summa cautione & sub certa methodo certoque regimine eorum usum hoc quoque fine suaserim. Plures porro ad acuendam vim auri fulminantis purgantem admiscere solent salia neutra, ut arcanum duplicatum, tartarum vitriolatum, nec negandum, ejusmodi sal ad drachmam dimidiam, cum duobus granis auri fulminantis sic contritum, metallicum quendam saporem nanciscì, & quoque intestina stimulando sedes movere, rarius tamen sine torminibus succedit effectus. Longe magis vero cavendum, ne mercurius dulcis cum salibus, præsertim alcalino vel ammoniacali, attritu subigatur, eo quod hac ratione ejus vis corrosiva resuscitatur, qua agit in glandularum & nervosarum partium systema & molestissimam sæpe movet salivationem.

III. Omnia salia, præsertim neutra & amaricantia superius recensita, majori dosi ad unciam dimidiam vel unam cum sufficienti liquido soluta & exhibita, insignem vim alvum vacuantem, sine commotione sanguinis, vel appetitus & virium prostratione obtinent, & longe tutius, immo majori cum efficacia, iis utimur, ac validioribus purgantibus ex regno vegetabilium: præsertim in morbis & corporibus, ubi humorum spissorum & tenacium copia, vel in primis viis, vel in vasis delitescit. Atque etiam fontes medicati, calidi & frigidi, qui acidularum nomine veniunt, quorum magna certe in morbis longis & valentibus cum arcendis, tum depulsandis est efficacia, vim suam aperientem, deterforiam, purgantem, præter aqueum, ad salinum potissimum, quod recõdunt, elementum referunt, uti id a me latius variis dissertationibus in *tom.2. opusculor. physico-medicorum* collectim editis, expositum est.

IV. Inter flores, qui laxante facultate pollent, acaciæ, persicorum, violarum, rosarum eminent, sed recentes sint, & tantummodo infundantur, non coquantur. Optime hi exhibentur cum sero lactis dulci, vel lacte asinino, tempore præsertim verno, & sita quidem, ut per aliquot hebdomades medicata ejusmodi potio mane ad mensuram dimidiam ad purificandum sanguinem, in primis si corpora teneriora & sensibilioris naturæ, potetur. Habet enim serum lactis & lac quoque asininum jam tum vim quandam laxantem, ut e iam auctor est *Celsus lib.2.cap.*12. ita differens: *sunt valetudinis genera, quibus ex lacte purgatio convenit. Antiqui*, pergit paullo post, *lac vel asininum, vel bubulum, vel caprillum, sumebant, eique salis pauxillum adjiciebant decoquebantque id, & sublatis his, quæ coiverant, quod quasi serum supererat, bibere cogebant.*

V. Ex aloe, sive hepatica, sive soccotrina, præparata laxativa magnæ efficaciæ sunt præsidia, si probe prius a principio sulphureo volatili, valde peregrino, & a resina tenaciter intestinorum tunicis adhærente debita enchiresi ipsa liberetur, & non in magna, sed refracta & exigua dosi, cum extractis amaris, & temperatis balsamicis ingredientibus misceatur, quo nomine utique pilulæ, casu forsan a *Bechero* inventæ, & secundum ejus methodum ex aptioribus concinnatæ speciebus, utique commendationem merentur, sine non solum blande alvum movendi, sed & intestinorum tonum, qui plurimis in morbis labefactatus & a purgantibus etiam læditur, fir-

firmandi. Et utut tales pilulæ in corporibus robustis & sanguine abundantibus parum efficiant, eo præsentior tamen earum virtus in natura & a morbo infirmis, imbecillibus, in puerperio, & quando ex uteri vitio menstrualis purgatio non recte succedit. Conveniunt quoque, ubi digestio a morbo quocunque etiam convalescentibus vacillat, ad crudos succos corrigendos & evacuandos, item in hypochondriacis, quorum ventriculus jugiter excludit cruditates acidas. Contra ea aloetica incorrecta & majori dosi data magnopere commovent sanguinem, eamque ob caussam, plethorici, sensibilioris naturæ, & in sanguinis excretiones proclives recte ab iis penitus abstinent, quia id incommodum proprium servant aloetica præpostere data, quod hæmorrhoides cæcas molestissimæ sensationis excitent, & sanguinem ad regionem lumbarem & partes in pelvi contentas urgeant. Inter pilulas autem, quæ aloen cum aliis aptis ingredientibus habent, præter Becherianas, tartareæ Schrœderi, aleophanginæ, marocostinæ, de succino Cratonis, Solenandri, usu & utilitate sua non defraudandæ.

§. IV.

Longe efficacius autem, & validius alvum vacuant PURGANTIA; eoque nomine ex vegetabilibus potissimum innotuerunt radices: mechoacanna alba & nigra, sive jalappa, helleborus niger & albus, iris nostras, bryonia, esula; herbæ: soldanella, gratiola, linum catharticum Anglicanum, pomum colocynthidis, granatilli, semen cataputiæ, turbith vegetabile, cortex medius sambuci, nec non gummi guttæ, elaterium & scammonium, una cum iis quæ artis pharmaceuticæ ministerio ex his conficiuntur, trochisci, alhandal, extractum colocynthidis, esulæ, panchymagogum Crollii, resina jalappæ, diagrydium sulphuratum, pulvis Cornachinus, sive Comitis de Warwich.

Theoremata:

Elementum, quo cum drastica hæc pharmaca operationem suam perficiunt, est utique virulentæ indolis ac tenuissimum sal causticum inflammatorium, quod nerveas non solum ventriculi & intestinorum, sed etiam universi corporis membranas, exili etiam dosi, haud secus ac venenum, adoritur, in easdem cum violentia agit, & spasticas constrictiones, præcordiorum anxietates, cardialgias, ventris tormina, cum crebris dejectionibus, singultus, ventriculi & intestinorum inflammationes, cum extremorum frigore, immo convulsiones, excitare solet. Nam summæ tenuitatis & activitatis esse, ac in universam humorum massam suam vim diffundere sal, quod purgantia hæc recondunt, ex eo patet, quod infans ex lacte nutricis quæ purgans assumsit, purgetur, & iisdem exterius tantum applicatis, purgans validissimus, & pernicialis quandoque subsequatur affectus. Sic Veteres pedes decocto hellebori lavantes, se purgabant, ut habet *Heurnius in comment. in aph. Hippocratis.* Globulum ex helleboro fonticulo ad mundificandum impositum & vomitum & sedes movisse auctor est *Walæus de meth. med. pag.* 124. Unguentum quoque, quod habet colocynthidem, umbilico illitum, purgat non modo infantes, sed & adultos. Caustica vero & inflammantis virtutis cathartico-rum indoles ex eo clarissime patescit, quod exterius tantum applicata, cutim instar vesicatorii adurant, & vesicas excitent, lac esulæ verrucas consumat, & essentia ex purgantibus, ut jalappa, mechoacanna, scammonio extracta & deglutita urat & arrodat fauces cum œsophago, aphthasque & pustulas ardentes producat. Et certe virulentam ac veneniæmulam drasticorum esse facultatem, *Wepferi* experimenta uberrime evincunt, qui in *tract. de cicuta aqua-*

aquatica memorat, se catellis varii generis purgantia certa dosi ingessisse, eoque facto, mox vomitus, convulsiones, ac demum mortem successisse, factaque postea sectione, ventriculum & tenuia intestina inflammata, & maculis rubicundis, non secus ac si arsenicum datum fuisset, conspersa comparuisse. Et quod memoratu dignum, eadem phænomena, eosdemque effectus, a resina jalappæ, cujus usus nostris temporibus frequens admodum est, observari, idem auctor conceptis testatur verbis.

Corollaria practica.

I. Quum itaque tam vehemens, periculosa, quin damnosa acriorum & validiorum catharticorum sit actio; rectius omnino ab eorum usu prudens, rationalis, & circumspectus medicus penitus ferme abstinet. Certe experientiæ testimonio uberius constat, a nullo per omnia sæcula pharmaco majorem perniciem, immo tam funestos effectus, productos fuisse, quam per minus provide data drastica, ut vel ego ex quo a quadraginta quinque & quod excurrit annis medicinam exercui, innumera fere observarim exempla eorum, qui solis purgantibus fortioribus immedicabilem noxam sibi contraxerunt, vel plane occubuerunt. Neque etiam ullum aliud ex remediorum pharmaceuticorum supellectile tam celeriter ac potenter vires prosternit, pulsum immutat, stomacho infestum est, ejusque & intestinorum naturale robur & motum lædit atque pervertit, quam acre ejusmodi pharmacum. Plures novi, qui crebriori horum usu morbum cachecticum, hydropicum, & hypochrondriacum nacti sunt, qui lethalem inflammationem ventriculi cum febre, dysenteriam, & cholericam passionem incurrerunt, quin paralysin dextri vel sinistri lateris experti sunt. Id quod tamen fusius jam evolvi, & rationibus demonstravi, exemplisque ex auctoribus collectis confirmavi in *dissert. de purgantibus fortioribus e foro medico ejiciendis*. Veteres quidem, quibus clementia laxantia maxima ex parte una cum salium usu erant ignota, frequentius his drasticis usi sunt, ipseque *Hippocrates* elaterio potissimum atque helleboro purgationes molitus est; sed si eorum scripta curatius perlustramus, nonnisi necessitate urgente ea propinarunt, & tum quidem provido certe consilio, & ante, & post elaterium, cui plurimum deferebant, lac potui præbuerunt, helleborum vero admixtione mulsi, olei, vel lactis cicurarunt, ne dicam ipsos non promiscue eadem in usum traxisse, sed morbos curate distinxisse, & *Hippocratem* maxime *lib. de purgant.* in omni febre & inflammatione eorum usum serio interdixisse. Quin peritissimos in arte priscos damna ex purgantibus neutiquam latuisse, uberius testantur reperienda passim in eorum monumentis præcepta atque effata. Luculentis certe verbis testatum hoc facit *Sect. 2. aphor. 57.* ita habens: *qui sunt sano corpore, dum purgantur, celeriter exsolvuntur;* & *Sect. IV. aph. 16.* purgationem periculosam pronunciat iis, qui sunt integra valetudine. Cujus aphorismi veritatem *Heurnius* demonstraturus addit: *vidi sanos, quos in perniciem traxit solum simplex apozema purgatorium ex fumaria cum sennæ foliis, temere exhibitum*. Neque minus *Celsus lib. 1 cap. 3.* inculcat: *purgationes, ut interdum necessariæ, sic ubi frequentes, periculum afferunt*. Et *lib. 2. cap. 12.* ita scribit: *medicamenta,* (intelligit purgantia) *stomachum fere lædunt, & hominem infirmant, & nunquam in adversa valetudine recte dantur, nisi morbus sine febre est.* Eadem *Dioscoridis* est sententia, qui *lib. 4. cap. 178.* prodidit, quod stomachum offendant, eidemque supra modum adversentur. Præ omnibus tamen graphice & copiose de purgantium venenata qualitate & noxa egit *Campegius* in peculiari libello; ut mittamus *Helmontium* ejusque sequaces, necnon

Ben-

Bentekoe, purgantia mortifera plane appellasse, & *Montanum*, *Cratonem*, *& Solenandrum*, peritissimos ac in arte versatissimos viros, eorum usum mirum reformidasse, & pilulas ex extractis amaris, gummatibus & aloe in usu habuisse frequentissimo. In primis vero quam maxime pernicioſa atque infensa sunt ejusmodi drastica corporibus infirmis, infantibus, senibus, a morbo vix convalescentibus, quique valde imbecillum stomachum ac motuum ataxiam proclive nervosarum partium systema obtinent. Neque etiam ulla infestior medicina reperitur in cholericæ & sensibilioris naturæ hominibus, post gravem iræ affectum, ut plures hac ratione sublatos viderim, inflammatione ventriculi una cum cholera subsequuta. Qui colica hæmorrhoidali & spasmis hypochondriacis atque hystericis patent, omni etiam cura hæc drastica evitare debent, nisi grave damnum incurrere velint, de quo quidem plura tristia exempla enumeravi in *dissert. de inflammatione ventriculi*. Et quam detrimentosa sint purgantia drastica infantibus, præsertim si simul dentitione difficili laborent, memorabilis utique est observatio, copiose admodum & solide certis de caussis evoluta, ac *tomo* 1. *Medicinæ consultat. Dec.* 5. *Cas.* 8. inserta.

II. Utut vero magna, & gravia damna ab usu purgantium drasticorum metuenda: nihilo minus quia venenum quoque diligenti circumspectione adhibitum transit in medicinam, uti mercurialium & emeticorum antimonialium exemplo constat; sunt etiam utique casus, rariores tamen, ubi valida cathartica commodam locare possunt operam. Nimirum in hydrope anasarca, præsertim si is non ex induratione vel scirrhositate viscerum, & glandularum, sed subito ex stagnatione aquarum, ob menstrualem vel hæmorrhoidalem sanguinis fluxum suppressum, aut ex nimia voracitate in & post morbum, enatus, vidi nonnunquam cum fructu adhibitum fuisse succum iridis nostratis ad aliquot uncias, item gummi guttæ, elaterium extractum esulæ, cum mensura dimidia lactis, repetito etiam aliquoties usu. Mire enim inde funduntur aquæ non modo per alvum, sed & in fœminis per uterum; quin bina memoria teneo exempla, ubi paucas quidem sedes hæc cathartica, sed largissimum & valde salutare urinę stillicidium excitarunt. Hydropici quippe ob nimiam laxitatem, & torporem fibrarum intestinalium commodius ejusmodi drastica ferre possunt, ac egent hæ omnino paullo validiori stimulo, quo ad motum excretorium animentur. Pariter acriora hæc purgantia utiliter in usum vocari possunt in paralytica membrorum resolutione, affectibus soporosis, & ubi ob languores efficaci medicina opus est, necnon in amentia, ut veteri proverbio constat, quo etiam referendum *Celsi* effatum *lib.* 2. *cap.* 12. *veratrum nigrum*, inquientis, *aut atra bile vexatis*, *aut cum tristitia insanientibus*, *aut iis, quorum nervi parte aliqua resoluti sunt*, *datur*. Neque minus experientia compertum habeo, in acerbo ischii & coccygis dolore, ad femora per intervalla excurrente, ea, quæ validius alvum ducunt, suppetias tulisse, & exturbatis septem vel octo sedibus bilioſorum & male coctorum succorum saburra, tormina conquievisse.

III. Paullo robustioris etiam naturæ homines, qui septentrionales regiones inhabitant, & duriore ac crassiore victu fruuntur, purgandi scopo, si necessitas exigit, ea quæ fortiter alvum vacuant assumere possunt; hac tamen, quam serio inculco, cum cautela, ut refracta dosi, vel in pulvere una cum salibus, ut cremore tartari, vel tartaro vitriolato, adjectis aliquot antimonii diaphoretici granis, dentur, vel ut ipsa v. c. extractum hellebori nigri, trochisci alhan-

handal, ſcammonium, reſina jalappæ aliaque in formam pilularum redigantur, nupta iis, quæ virulentam vim infringunt & caſtigant, ut ſunt cinnabaris, vitriolum martis, crocus, caſtoreum, ſal ſuccini, ſuccinum, myrrha, quibus ſi extractum panchymagogum Crollii, quod valde acria habet purgantia, convenienti doſi miſcetur, pilulæ utique emergunt, quæ ubi acrior ſtimulus ad movendus, egregie officio ſatisfaciunt. Nihilominus tamen memori nunquam non mente tenendum, quod ſi validiori evacuatione opus, longe magis e re ſit, aucta leniorum doſi eandem proritare, quam acrioribus & virulentis urgere.

§. V.

IV. Sudorifera. Aliud evacuantium genus eſt, quod per cutis ſpiracula liberaliter & conſpectius, vel leniter modoque minus ſenſibili, ſordes ſubtiliores emovet. Quę largius id faciunt SUDORIFERA, Græcis dicta hydrotica, ſunt remedia, quorum virtute ſenſibilis mador per cutis tubulos lymphatico-arterioſos fertur. Hac virtute ex vegetabilium proſapia eminent radices ſaporis admodum acris & penetrantis oleoſi, angelicæ, imperatoriæ, oſtrutii, petaſitidis, helenii, leviſtici, vincetoxici, dictamni, valerianæ, contrayervæ, ſerpentariæ Virginianæ, lignum guajacum & ſaſſafras cum corticibus. Ex mineralium familia antimonium crudum, regulus antimonii medicinalis, tinctura ſulphuris volatilis, ex calce viva, ſale ammoniaco & ſulphure parata, ſulphur antimonii correctum & fixatum, nec non mixtura ſimplex. Theriaca quoque, ejus eſſentia, ſpiritus & aqua, omnes ſpiritus & ſalia volatilia ex partibus animantium parata, præſertim cornu cervi, eboris & lumbricorum terreſtrium, ſpiritus Buſſii, tartari, ſerici, fuliginis, eſſentia lignorum, item olea deſtillata fœtida, oleum cornu cervi fœtidum, in ſpiritu vini ſolutum.

Theoremata.

I. Famigeratiſſima hæc ex ſudoriferis remedia, non alio modo virtutem ſuam exercent, quam quod principio quo pollent cordis vim ſyſtalticam & arteriarum elaſticitatem, quoad numerum & virtutem ictuum augeant, & majori facta circuli velocitate, ad cutis extimam & cribroſam ſubſtantiam, ex qua prodit ſudor, adducant. Hanc vero exſequuntur vel ſubtili acri calido oleo ut radices ſuperius enumeratæ, quæ etiam vocantur alexipharmacæ; vel ſale volatili empyreumatico igneæ naturæ, ut omnes ſpiritus ſalia volatilia & olea ex animantibus; vel ſale acriori fixo plus minus reſinoſo, ut radix pimpinellæ albæ, guajacum & ejus cortex, contrayerva, ſerpentaria Virginiana; vel denique actionem ſuam & quidem ſatis potenter edunt, ſale & ſulphure minerali tenuiſſimo, quo nervoſas maxime fibrillas in motum vehementem cient, atque adeo in exili admodum doſi magnam vim poſſident, hinc uno grano mercurii noſtri diaphoretici, item duobus vel tribus granis ſulphuris antimonii fixati, ſudor per univerſum corporis ambitum elicitur, qualem effectum etiam decoctum lignorum & antimonii crudi cum lignis, nec non regulus antimonii medicinalis, præſtant.

Corollaria practica.

I. Valida hæc ſudorifera, licet in majori doſi offerantur, ſudorem minime tamen eliciunt, niſi corpus ſit diſpoſitum; id eſt, niſi cutis tubuloſa ſubſtantia ſatis patula ſit & relaxata, niſi etiam ſufficiente humoris quantitate ſanguis ſit dilutus. Quare ſi quis in morbis ſanandis utilem judicat ſudoris prolectionem, neceſſe eſt, ut quæ recenſuimus ſudorifera, ad diluendum ſanguinem cum ſufficienti liquido ſumantur, v. g. aqua calida, infuſo thee, decocto hordei, atque ut ad cutis fibras remittendas in lectum, & hypocauſtum

calidum, vel etiam balneum, præsertim vaporosum, concedat sudaturus, ac ita sudor satis largus manabit.

II. Sudorifera hæc activiora rarius locum inveniunt, & cum insigni etiam prudentia adhibenda sunt. Etenim sudor in statu sano & naturali, nisi in motum extraordinarium cieatur sanguis, non profluit, nec ea propter salubritatis indicium est, ut perspiratio insensibilis, cujus etiam materia, quæ blanda, lymphatica, nutritia, nullius fere saporis est & odoris, a sudoris, quæ saporis salsi, odoris fœtidi & ad urinæ naturam accedit, admodum differt. Deinde sudorifera hæc ingentem commotionem & orgasmum efficiunt insignem, nec moderate, sed nimis celeriter agunt inque sanguine vel sero impuro refertis corporibus majori impetu cruorem ad vasa minima & angustiora impellendo, periculosas acutas afflictiones, ex inflammatione & humorum congestione oriundas, concitare valent. Nocentissima vero sunt, ubi saburra vitiosorum humorum primæ viæ repletæ, alvus constricta, & si statim post iram propinantur. Vidi non semel hac perversa methodo, dolores arthriticos, rheumaticos, lentas quoque & hecticas febres, diutius non sine periculo affligentes, inductas.

III. In omnibus acutis morbis, febribus inflammatoriis, etiam exanthematicis, sudoriferorum usus plane exulet, & nonnisi quam maxime moderatus minusque creber admittatur. Nam sapius certe ab essentia alexipharmaca promiscue, ut jam mos invaluerit, oblata, calorem, anxietatem & symptomatum atrociam increvisse, observavi. Dicuntur quidem hæc remedia alexipharmaca, ut & ipsa theriacalia, quasi venenis & malignitati humorum resisterent, adeoque in morbis contagiosis grassantibus ipsaque peste, a medicis mirifice commendantur; at vero plus valent ad horum morborum præservationem, quam curationem, præsertim si epidemii ejusmodi maligni morbi a tempestate nimis humida, vappida, nebulosa diuturna, ventis ex euro & borea flantibus destituta, vel etiam a diluvio & inundatione aquarum graviori originem suam trahunt; certius tamen & tutius etiam hoc fine, cum aceto vini aqua diluto propinantur, vel radices alexipharmacæ cum aceto infunduntur, quod deinde alexipharmaca vi imbutum ad aliquot cochlearia cum sufficienti aqueo vehiculo propinandum, quo pertinet etiam eximius usus aquæ prophylacticæ Sylvii, eo nempe tempore, quo ejusmodi morbi grassantur.

IV. Sudor vero utiliter evocatur in iis morbis, qui a frigore externo & perspiratione prohibita, ut sunt catarrhi, rheumatismi, alvi fluxus, gravedines, tusses, tumores glandularum, oriuntur, item quando a frigido potu sudanti & calefacto corpori largius ingesto periculum metuendum; sed opus est, ut inter initia statim offerantur: ac tum quidem tinctura bezoardica, vel spiritus bezoardicus Bussii, cum liquore nostro anodyno remixtus, egregii usus. Neque minus suscepto morbi inficientis miasmate, statim post lene assumtum emeticum, sudoriferum conducit, & quidem acetum bezoardicum, vel pulvis bezoardicus, cum camphoræ, quæ princeps alipharmacorum, momento.

V. In iis porro morbis, qui in tubulosa, & fibrosa cutis substantia consistunt & ab acri viscida materia texturam cutis destruente ac defœdante, ut scabie, etiam mali moris, herpetes, lepra, pustulis & ulceribus venereis, sudor cum fructu accommodatis remediis liberalius movetur. Idem fit in arthriticis rheumaticisque omnium partium doloribus, dum serum viscidum stagnans acre, & membranis nerveis inhærescens, hac ratione discutitur ac eliminatur. Pari ratione in morbis omnibus sic dictis frigidis, anasarca, leucophlegmatia, scorbuto frigido, lue venerea, arthritide fixa, malo ischiadico, paralysi, ceteris paribus, sudorifera ma-

magnæ sunt efficaciæ, quia elasticitatem & vim contractilem cordis & vasorum, quæ in ejusmodi affectibus admodum depressa est, intendunt, restituunt, & sanguinis circuitum, ad meliorem impurorum succorum sequestrationem, efficaciter augent. Sed insistendum est aliquandiu hisce præsidiis.

VI. Sudorifera semper meliorem operationem exserunt, si cum sufficienti & calido liquido assumuntur. *Celsus* jam *lib. 3. c. 6.* hoc fine commendat potum calidum his verbis: *si nota est sudoris venturi, tum demum calidam aquam potui dare oportet, cujus salubris effectus est, si sudorem per omnia membra effundit.* Et idem uberius testatum faciunt decocta lignorum, quorum usus in lue venerea aliisque frigidis morbis sane laudatissimus. Vidi quoq; febres intermittentes, tertianam, quartanam, in plebeiis feliciter sublatas, si præmisso emetico, aliquot horis ante accessionem, sumtum sudoriferum, cum regimine, ex rob sambuci, sale tartari & piperis quibusdam granis, cum aliquot spiritus vini cochlearibus confectum.

§. VI.

Sudoriferis potentia agendi inferiora, sed salubri effectu longe superiora sunt DIAPHORETICA, quæ placide tantum augent & movent perspirationem. Ex his inter ea, quæ vegetabilium regnum suggerit, præcipua sunt radix chinæ, sarsaparillæ, carlinæ, gentianæ; ex herbis: carduus benedictus totus, ejus semen omniaque ex eo parata, essentiæ, aquæ, extracta, sal, porro scordium, sambucus, isque humilis ebulus, ejusque flores, rob, aqua, item fumaria, scabiosa, crocus, flores calendulæ, opium quoque; ex regno animalium: omnia ossa, cornua ac dentes animantium, tam rasa, quam in cineres usta & philosophice præparata, maxime omnium quæ cervus suggerit, lapides, testæ & chelæ cancrorum; ex terreis: omnes terræ sigillatæ, & margarum species, bolus febrilis; ex salibus: salia herbarum per incinerationem parata, item nitrum; ex pretiosis & exoticis: petra di porco, lapis bezoar orientalis & occidentalis; ex mineralibus & chymicis: flores & lac sulphuris, cinnabaris tam nativa, quam vulgaris & antimonii, antimonium diaphoreticum, cerussa antimonii, magisterium antimonii, sive materia perlata Crugneri, bezoardicum minerale, tinctura antimonii temperata, ex regulo & sale tartari, antihecticum Poterii; ex compositis: lapis de Goa, qui ex lapide bezoar orientali, tragacantha & ambra conficitur, pulvis bezoardicus Sennerti, Anglicanus, Pannonicus ruber, cordialis Dorncrellii, liquor noster anodynus mineralis, acetum quoque vini, vel etiam destillatum & floribus sambuci superinfusum, aut cum lapidibus cancrorum, pulvis noster polychrestus diaphoreticus, theriaca cœlestis, laudanum liquidum, pilulæ Wildeganii.

Theoremata.

Actio diaphoreticorum varia est & multiplex. Vel enim privative agunt & acidum primarum viarum, quod ad sanguinem delatum ejus spirituascentiam, fluiditatem & motum intestinum deprimit, absorbent atque invertunt, cujus indolis sunt omnia terrea alcalinæ naturæ: vel nimiam humiditatem imbibendo & remissas nimis fibras adducendo, ut terræ sigillatæ, boli & margæ, item ossa & cornua, tam usta, quam philosophice præparata, necnon unicornu fossile: vel sulphure anodyno blando vaporoso stricturas superficiales cutis in doloribus laxando & complacando, ut sunt sambucina, præsertim flores, crocus, eius extractum, flores papaveris rhœados, liquor anodynus mineralis noster, emulsiva ex semine papaveris, opiata correcta, potissimum theriaca cœlestis, pilulæ Wildeganii, laudanum liquidum Sydenhamii methodo paratum; vel motum intestinum languinis ferociorem

componendo ac figendo, uti nitrosa, refracta dosi fixioribus diaphoreticis nupta, necnon spiritus nitri dulcis, emulsiones ex seminibus quatuor frigidis majoribus, acidulata, succus limonum ipsumque acetum, vel denique positive elemento subtili acri fibras & vasa languentia leniter exstimulando, prout carduus benedictus, scordium, fumaria, china, sarsaparilla, centaurium minus, scabiosa, carlina & gentiana.

Corollaria practica.

I. Quemadmodum illa subtilissimarum sordium per cutis poros insensibili modo succedens evacuatio, omnium est saluberrima, eademque intercepta, plures succrescunt morbosæ afflictiones: ita diaphoreticorum, quæ cutaneam hanc excretionem eliciunt, usus certe est ampliſſimus, universalis & fere polychrestus, in omnibus ferme affectibus, etiam ex præsentibus signis nondum satis perspectis & cognitis, ut iis medicus modo carere possit plane nullo. Circulus enim sanguinis & perspiratio auctior, solennia illa naturæ media sunt ac instrumenta, quibuscum materia, quæ in morbis in vitio est, corrigitur, digeritur, resolvitur, discutitur, ipseque morbus tutissime sanatur. Potissimum tamen in omnibus morbis & febribus acutis, inflammationibus cujuscunque generis sint, sola hæc, pauca & continuata dosi, cum convenientibus vehiculis data, omne sanationis punctum absolvunt; & revera optima sunt discutientia & sanguinis massam depurantia.

II. Quia excessivus, præsertim tempore æstivo & in cholericis ac biliosis corporibus, æstus, necnon qui febribus cholericis & biliosis jungi solet, nimis exsiccat, humidum absumit, & perspirationem impedit; acidula & nitrosa, ac in primis lapides cancrorum cum nitro, exhibiti in julapio ex aquis diapnoicis & cum syrupo acetositatis citri condito, contemperando nimiam exæstuationem, cum bonis ægrorum rebus ex voto diaphoresin movent.

III. Ubi ob dolorum atrociam arida & exsucca cutis ejusque tubuli anguſtantur & coarctantur; præstat semper seniora anodyna & antispasmodica diaphoreticis jungere, qua virtute maxime splendet liquor noster anodynus mineralis, ad tres partes, cum una spiritus bezoardici Bussii parte remixtus, item pulvis diaphoreticus fixior leniter nitrosus, cum cinnabari & uno vel altero pilularum Wildeganſii grano, id quod etiam pluribus testatur *Ettmull.* in *dissert. de virtute opii diaph.*

IV. Pulveres diaphoretici id servant peculiare, quod non solum perspirationis successum intendant, sed etiam sæpe virtutem laxantem & insigniter diureticam exserant. Certe de pulvere nostro sic dicto bezoardico polychresto, multiplici experientia compertum habeo, eundem si mane vel post meridiem propinatur, & prima in regione offendit acidos succos, quatuor vel quinque sedes movere, quod in senibus & hypochondriacis cum eximio sanitatis commodo succedit. Idem quando circa lecti introitum offertur, nec tamen cutis ad sudorem satis disposita, ut in principio catarrhorum, largum urinæ movere solet fluxum, ubi vero ad diapnoen cutis apta, largiter sæpe fluit sudor.

V. In morbis acutis, & febribus, ubi parum acidi in primis viis præsto est, tutius & majori cum efficacia, fixa & terrea diaphoretica paullo minori dosi offeruntur, ac optime miscentur cum syrupo acetositatis citri, nec non aceto vini, quippe solum acetum cum aqua non coagulat, sed sæpe resolvit & discutit sanguinem impactum, multo magis si diaphoreticis jungatur.

§. VII.

Sudoriferis ac diaphoreticis succedunt ea, quæ serum salsum, crassioribus terrestribus recrementis refertum, *VI Diuretica.*

tum, per urinarias vias eliciunt, DIURETICA dicta. Horum apparatum *Celsus lib. 2. cap. 31.* sistit, *urinam*, inquiens, *movent quæcunque in horto nascentia boni odoris sunt, ut apium, ruta, anethum, ocimum, mentha, hyssopus, anisum, coriandrum, nasturtium, eruca, fœniculum, præter hæc asparagus, capparis, nepetha, thymum, satureia, lampsana, pastinaca, sisar, cepa.* Nos quæ huncin finem commendemus, habemus ex vegetabilium numero radices petroselini, seleri, asparagi, graminis, liquiritiæ, rubiæ tinctorum, pastinacæ, ranunculi esculenti, & quæ exteris debentur, bareiræ, bravæ & acmellæ; herbæ, petroselinum, hedera terrestris, equisetum, chærefolium, urtica, omnesque porri & alii species; flores, genistæ, cyani; semina, dauci, petroselini, seleri, fœniculi, milii solis, urticæ, violarum, semina quatuor frigida majora, lycopodii, fructus alkekengi, cynosbati, juniperi & fraga; lignum juniperinum, sassafras & ejus cortex; resinæ & balsama: mastix, succinum, balsamum de Mecca & de Copaiva; ex animalium familia: cantharides, millepedes, vermes Majales, scorpiones, bufones, lumbrici terrestres, cochinellæ, necnon serum lactis: salia porro omnia alcalia per incinerationem parata, sal quoque succini, arcanum duplicatum, solutio oculorum cancri, ipsumque nitrum; ex præparatis & compositis: lixivium benedictum Mynsichti, tinctura tartari, antimonii acris, terra foliata tartari, liquor silicum lithontripticus Michaelis, tartarus solubilis, spiritus terebinthinæ, mastichis, succini, balsamum sulphuris terebinthinatum, juniperinum, oleum juniperi, malvaticum juniperinum, syrupus e dialthæa Fernelii, trochisci alkekengi.

Theoremata.

Quemadmodum parcior & imminutus, vel difficilis urinæ fluxus a variis proficiscitur caussis, & vel 1) ab humidi in sanguine defectu; vel 2) a tenacibus spissis urinarios renum tubulos obstruentibus succis; vel 3) a vehementi canaliculorum renalium spasmo & strictura; vel denique 4) a nimia eorundem laxitate atque resolutione: ita etiam remedia, quæ debitum urinæ fluxum revocant & eliciunt, diversis ad has caussas relatis modis effectum exsequuntur. Videlicet nonnulla fluidum sanguini spissescenti infundendo urinæ stillicidium urgent, quæ inter connumeranda omnia diluentia aquea, largus aquæ dulcis tam calidæ quam frigidæ, eo magis herbis diureticis infusæ, potus, ipsumque infusum theè ac decoctum coffeè. Hac quoque virtute splendent soteriæ aquæ, tam calidæ, quam frigidæ, quippe quæ præter humoris copiam, qua sanguinem diluunt, eximia simul virtute pollent, alcalino quod recondunt elemento, viscidos & tenaces humores dissolvendi & renale cribrum ab obstructione liberandi. Idem præstat lactis serum pariter & aquoso largo, & sale dulci nitroso, abstergente blandeque stimulante elemento instructum. Alia humores lentos ac spissos renalis colatorii ductus farcientes ac oppilantes dissolvunt, eosdemque secretioni aptos reddunt, qua quidem virtute conspicua sunt salia omnia fixa, & ex iis parata lixivia, item tinctura tartari, antimonii acris, liquor silicum, terra foliata tartari, tartarus tartarisatus, arcanum duplicatum, solutio oculorum cancri, ipsaque magnesia alba, cum primæ regionis acido in sal aperiens degenerans, neque minus tinctura calcis vivæ, mater perlarum & corallia succo citri maritata, una cum salibus, quæ ex medicatis aquis exhalationis ope eliciuntur. Nonnulla spasticas in renali emunctorio stricturas debitam urinæ sequestrationem suffiaminantes & intercipientes mulcent atque relaxant, eoque nomine laudem merentur præter nitrum, semina quatuor frigida majora & ex iis

paratæ emulsiones, semen papaveris albi, dauci, milii solis, lycopodii, item fructus alkekengi, & ex iis artificiose confecti trochisci. Eadem facultas inest liquori nostro anodyno minerali, tutissimo certe & tamen efficaci remedio, croco ejusque essentiæ, necnon ob nitrosum sal succo graminis, decocto radicis graminis, asparagi, & quod etiam egregie demulcet, oleo amygdalarum dulcium. Quædam remissum renalis cribri robur firmant atque adducunt, idque vel oleoso, tenui & subtili balsamico principio, ut mastix, succinum, balsamum de Mecca, de Copaiva, terebinthina, juniperus, ejus lignum & baccæ, sassafras, petroselinum, pastinaca, fœniculum, anisum, ranunculus hortensis, seleri, & quę ex his confici possunt olea, essentiæ, spiritus, decocta & infusa: vel roborante quodam fixiori terreo sulphureo elemento, cujus generis sunt fructus cynosbati, rob juniperi & ex eo malvaticum juniperinum, fraga exsiccata, bareira brava, hedera terrestris, cortex radicis acacię, equisetum, veronica, chęrefolium. Aliqua demum potenti stimulo efficaciam edunt in tubulos renales, quando eorundem robur propter debilitatem summam penitus exsolutum, ipsaque hinc eorundem functio cessat. Propria hæc est facultas insectis fere omnibus, præsertim cantharidibus, millepedibus, araneis, scorpionibus, vermibus Maialibus, bufonibus exsiccatis, necnon ex vegetabilium genere porri & allii speciebus.

Corollaria practica.

I. Quum itaque tam conspicua inter diuretica ratione principiorum & operationis intercedat differentia; discrepans quoque eorundem erit usus, & cum exquisito discrimine pro circumstantiarum ratione administrandus. Quod si enim redundante in corpore sanguine, ante ejus imminutionem calculo laborantibus exhibere quis vellet calidiora, oleo subtili balsamico perfusa, ut terebinthinata, succinata, juniperina, vel balsamum de Mecca, Copaiva aut Peru; vel etiam acriora, caustico sale pollentia ex insectis, allio, cepis & porro: is profecto gravissime noceret, & inflammationem renum induceret, vel calculorum generationem promoveret. Contra ea in corporibus humidioribus, minus sentientibus, plebeiis, & qui crasso victu fruuntur, nec non in morbis, qui a copia seri impuri natales trahunt, fluore fœminarum albo, gonorrhœa, dispositione ad anasarcam & leucophlegmatiam, efficaciora hæc remedia magno sunt usui.

II. Multo magis vero acria & stimulantia detrimento sunt, si ob dolores, ut ex calculo, vel spasticas constrictiones, urinæ fluxus sufflaminatur; & tum quidem longe tutiora ac utiliora sunt, quæ stricturas relaxant & dolores leniunt, ut faciunt fructus alkekengi, semina dauci, lycopodii, papaveris albi, milii solis, quatuor frigida majora, emulsiva, trochisci alkekengi cum opio, nitrum antimoniatum, depuratum, aquæ florum ulmariæ, tiliæ, acaciæ, oleum amygdalarum dulcium, spiritus nitri dulcis, liquor noster anodynus mineralis, serum lactis, necnon exterius balnea, insessus & fotus emollientes, quorum omnium tam egregia virtus est, ut placando dolorificos spasmos, non modo suppressum urinæ fluxum restituant, sed & ipsius calculi progressum per uretheres & exitum eximie facilitent atque promoveant.

III. Quando seri salsi tartarei copia, quę dolorum tam arthriticorum, quam rheumaticorum ut plurimum genitrix est, peccat, utiliter eadem per lenia diuretica expurgatur atque subducitur, non vero calidiora, ne iisdem salium spicula in motum intensiorem abripiantur, parteśque, quibus insident, gravius exagitent. Commendari autem hunc in finem quam maxime merentur radix sassaparillæ, pareirę bravæ, sassafras, chinæ, liquiritiæ, asparagi, rubiæ tinctorum, cichorii, fœ-

fœniculi, petroselini, graminis, lignum juniperinum, & parata ex his cum brodio carnis vel aqua decocta, necnon serum lactis, ac potissimum acidulæ & thermæ temperatiores.

IV. Ubi vero vitiosi, viscidi, ac tenaces humores in vesica urinaria hærent, & cum primis calculi rudimentis excludi debent; acrioribus utique opus est magisque potentibus, cui scopo allium cum spiritu juniperi sumtum, pulvis millepedum, vermes Maiales, essentia cantharidum, tinctura antimonii acris, liquor silicum cum tinctura calcis vivæ satisfaciunt, quæ pariter in gonorrhœa virulenta, quando in prostatis, vesicæ collo & urethra obhærescens tenax materia per urinam educenda, prudenter adhibita ex usu sunt.

V. Omnium aptissima, tutissima & utilissima ad eliciendum urinosum laticem præsidia, sunt salia, tam alcalia fixa, quam neutra omnis generis, quippe quę viscidos ac lentos succos siphunculos urinarios oppilantes dissolvunt, simulque blando stimulo excretionem proritant. Quo quidem effectu egregie splendent liquor salis tartari, cinerum clavellatorum, nitri fixi, tartarus vitriolatus, sal absynthii, arcanum duplicatum, solutio oculorum cancri, tartarus solubilis, terra foliata tartari, nitrum antimoniatum, & sal polychrestum.

VI. Sed hæc hactenus recensita remedia non tantum ad eliciendum deficientem urinæ fluxum faciunt; verum etiam alios eximie utiles in morbis præstant effectus. Dum enim plura ex iis aperiente, & incidente, alia roborante, tonica & balsamica, nonnulla anodyna facultate pollent, in longis utique omnibus affectionibus, quæ ab obstructione glandularum viscerum & emunctoriorum incunabula ducunt, necnon quæ ab impuritate & copia seri salsi acris tartarei proficiscuntur, ex voto ferunt suppetias. Et certe si ulla medicamenta ab hydrope, tumoribus œdematosis, calculosis concretionibus, podagra & arthritide defendunt; certe a prudenti diureticorum usu id erit exspectandum. Cavendum tamen merito ab omnibus calidis, acribus & causticis, & potius utendum lenioribus magisque diæteticis, cujus generis sunt vinum Mosellanum tenue, acidulæ Selteranæ & cerevisiæ vel decocta, quæ diuresin blande movent.

§. VIII.

VII. Menses & hæmorrhoides moventia.

Ad salutares & criticas excretiones, quę ad vitę & sanitatis tutelam faciunt, pertinent etiam illæ, quibus bonus & sincerus sanguis, si copia peccat, non solum in fœminis post annum decimum quartum singulis mensibus per uterum atque etiam post partum, & abortum emittitur; sed in viris etiam nimium cruore redundantibus per extimas ani venas, quæ hæmorrhoidales vocari solent, sponte a natura per vices effunditur. Hæ itaque saluberrimę hęmorrhagiæ, quando modo, quantitate, vel tempore peccant, plane deficiunt, aut vi quadam cohibentur, aptis remediis revocandæ, iterumque in ordinem reducendæ sunt, ne gravissima inde in valetudinem redundet noxa, vel etiam ut enatus jam morbus abigatur. Inter ea vero, quæ ad obtinendum hunc scopum ex usu sunt, connumeranda in primis ex vegetabili regno radix aristolochię, zedoariæ & quinque aperientes; herbæ: artemisia, calamintha, matricaria, pulegium, melissa, sabina, polium montanum, ruta, majorana, rosmarinus; flores cheiri, crocus, baccæ lauri, juniperi; gummata bdellium, myrrha, galbanum, opopanax, sagapenum, succinum; ex purgantibus aloe, rhabarbarum, bryonia, itemque aromata, necnon quę animalibus debentur salia cum castoreo, & quæ ex mineralibus & chymicis omnibus præferenda martialia.

Theoremata.

I. Quo major sanguinearum evacua-

cuationum ad valetudinem tuendam utilitas est atque præstantia; eo magis utique, ut dudum fecit *Hippocrates*, optandum foret, quo suppeterent certa & efficacia ejusmodi præsidia, quibuscum medicus illas, quotiescunq; e re est, cum certo successu regere, evocare aut moderari, sicque tempestive plures graves ægritudines & præscindere & expugnare posset. Verum quia hæc sanguinis excretio maxime ipsius naturæ est opus, quod in fœminis certæ temporis periodo, qua erumpit, succedit & desinit, adstrictum, in viris autem nec omnibus solenne, nec adeo periodicum, ac præterea certam cruoris redundantis portionem, nec non vascula uteri & ani patula, laxa & ad spontaneum fluxum dispositа exigit, pariterque a multiplicibus caussis sufflaminari vel plane intercipi potest; in proclivi est judicare, arduum utique nec tum expeditum esse negotium, restitans vel deficiens cruoris profluvium iterum procurare, quin nunquam perficiendum, nisi causarum defectus ratio habeatur exquisitissima.

II. Posito vero quod sanguis supra proportionem & modum in corpore redundet, quod præcipua fluxus caussa, posito etiam quod vascula uteri & ani ita dispositа sint, ut ab affluente copioso sanguine distendi & exitum ipsi præbere possint; neque tamen extretionis negotium rite succedere, vel propter vascula arteriolarum lateralia, quæ secundum naturam non vehunt sanguinem, obstructa, aut spasmo constricta, vel etiam ob imminutam sanguinis spirituascentiam, & cordis atque arteriarum vim elasticam contractilem: tunc omnino quæ supra adduximus remediorum genera exoptatissimam ferunt opem. Ad vasa quippe minima reseranda, & obstructiones expediendas egregie præter radices quinque aperientes, aristolochiam, rhabarbarum, bryoniam, flores cheiri, præsertim in decocto cum salino stimulo, ut borrace, offerantur, in primis etiam conferunt gummata, cum aloe, & purgantibus in forma pilularum exhibita. Ad tubulos infesto spasmo constrictos nimis & coarctatos adaperiendos, artemisia, quæ demulcet, millefolium, crocus, castoreum, plurimum valent. Et ad deficientem sanguinis spirituascentiam refocillandam, robur solidis addendum & fibrarum vasorumque tonum firmandum, roborantia, quæ sale volatili oleoso tenui operationem suam exsequuntur, ex usu sunt, quo referenda omnia aromata, myrrha, bacchæ lauri & juniperi, rosmarinus, pulegium, melissa, satureja, sabina, flores cheiri, calamintha, succinum, limatura martis & tincturæ ex marte paratæ, item salia volatilia oleosa.

III. Quando nimia sanguinis copia, quæ elasticitati vasorum valde resistit, retardati, vel imminuti fluxus caussa est, neutiquam emmenagoga jam dicta, præsertim calidiora, locum habent. Sanguis enim hisce vehementius commotus pessima sæpe concitat mala. Sed opus tunc est sanguinis missione, quæ per sectam in pede venam instituta, saluberrimum hoc & criticum profluvium, sola sæpe restituit.

IV. Neque etiam hæc quæ enumeravimus emmenagoga conducunt, ubi sanguinis & succorum benignorum est defectus, ut in iis, qui mox a morbo convaluerunt, & quando primæ viæ sordibus viscidis fartæ, tunica villosa lento musco invisсata & bona digestio & chylificatio vacillat. Tum potius id præcipue agere debet medicus, ut tam deficientem bonum sanguinem nutrientibus gelatinosis, jusculis & quæ facile in succum & sanguinem convertuntur, denuo ingeneret, quam labefactatam ciborum digestionem & chyli elaborationem congruis remediis, si opus est emeticis, vel lenioribus purgantibus, salinis aperitivis, amaris stomachicis resarciat, & debito ordini reddat.

V. Sæpe

V. Sæpe sanguinis effluxum impedit oppilatio ac infarctus vasculosæ colli uteri interni & exterius vaginæ, nec non in viris ani substantiæ, ut nullum sanguinem, quātumvis valide appulsum, admittat. Quod si contigerit, supervacanea & irrita sane sunt quæcunque pellentia, nisi prius per congrua auxilia relaxata & emollita fuerit, obstipata & indurata tubulorum compages. Quod quidem non meliori magisque præsentanea ratione perfici potest, quam balneis, vel fotibus, seu balneis vaporosis, ita parandis, ut vas calida aqua, cui herbæ artemisiæ, pulegii, flores chamomillæ infusæ, repletum in hypocausto calido, tecto bene corpore, abdomini, quo vapor ad interiora uteri, & partium inferiorum ascendat ac penetret, supponatur, & ad calorem aliquandiu conservandum, subinde candentes silices aquæ injiciantur. Eundem quoque in finem multum conferunt frictiones calidæ pedum usque ad inguina, præsertim mox a balneo aquæ dulcis cum pannis calidis institutæ.

VI. In iis autem malis, quæ a suppresso, deficiente, vel minus recte succedente, mensium, vel hæmorrhoidum fluxu pendent, non certius, non securius, non efficacius præsidium deprehendi, prudenti aquarum mineralium, inprimis thermarum Carolinarum mitiorum interno, & Tœplicensium externo usu, qui omnibus medendi indicationibus apprime satisfacit. Potu quippe thermalis aquæ humores lenti inciduntur & evacuantur, obstructiones minimorum tubulorum expediuntur, balneo vero aquæ Tœplicensis, quæ omnium levissima, constringente terreo principio orbata, strictura remittuntur, ipsaque vasa ampliantur, ut sanguinem affluentem promte admittere, capere, iterumque eructare possint.

VII. Quemadmodum res admodum ardua & difficilis est in medendo, recte curare & procurare mensium in fœminis profluvium; ita longe majoribus adhuc difficultatibus stipatus est excretionis hæmorrhoidalis successus, si copia sanguinis per venas ani exitum molitur, nec tamen ibi dispositionem ad exitum invenit. Nam licet ad ciendum sanguinis ex ani venis stillicidium pilulæ ex aloe paratæ singularem plane præ omnibus aliis possideant facultatem, dum non modo particulis suis resinosis sulphureis, valde subtilibus, in universa sanguinis & humorum massa insignem orgasmum concitant, sed & tenaci viscosa ac resinosa sua parte intestini coli & recti tunicis firmius inhærendo, continuo stimulo majorem sanguinis proritant affluxum; nihilominus tamen quando cruor ita exæstuatus ac eo copiosus allectus, ob vascula perruptioni minus apta exitu præcluditur, partim extrema canalium ora cum exquisito dolore in ano tuberculorum instar protrudit, partim inter nerveas intestinorum tunicas stagnans eademque premens, vehementes inflationes, spasmos & varia truculenta in abdomine pathemata ingignit, quæ frequentissimæ certe sunt observationis nostro hoc ævo, quo omnes fere passiones ex fluxus hæmorrhoidalis anomaliis, tanquam caussa, repetere, clari etiam viri haud verentur, & pilularum ad mentem Beccheri concinnatarum crebrior nimisque liberalis usus, seu potius abusus invalescit, quarum alias prudens usus laudem meretur.

§. XI.

VIII. Expectorantia.] In evacuantium classe etiam ea locum obtinent, quæ lympham mucidam in glandulis, vel potius glandulosis tunicis, ex arterioso sanguine secretam & in emunctoriis hærentem, evocant. In nullo vero corporis organo mucositatis copiosior succedit sequestratio, quam in interioribus canalis asperæ arteriæ ipsisque pulmonum bronchiis, quæ interius tunica glandulosa obducta sunt, unde per tussim copiosa persæpe serosa, pituitosa,

tosa, viscida, interdum etiam purulenta materia, in morbis, præsertim qui pulmonum compagem afficiunt, tam acutis, quam chronicis, rejicitur. Et hanc et horacis cavo evacuationē, quę promovere solent, vocantur, EXPECTORANTIA, in quorum numero e vegetabilium familia sunt maxime radix helenii, ari, iridis Florentinæ, liquiritiæ, herba veronicæ, chęrefolii, scabiosæ, pilosellæ, scordii, hyssopi, dracunculi esculenti: flores violarum, crocus, malvæ, papaveris rhœados, semen anisi, fœniculi, cortex ligni sassafras; ex gummatibus resinosis gummi ammoniacum, benzoe; ex fructibus passulæ, ficus, jujubæ, nuclei pini, mel, succus liquiritiæ, oleum amygdalarum dulcium; ex animalibus, sperma ceti & pinguedines; ex mineralibus, sulphur, ejus flores & lac; ex compositis balsamum sulphuris anisatum, spiritus salis ammoniaci anisatus, lohoch sanum & expertum, syrupus pulmonum vulpis, elixir nostrum pectorale, balsamum pectorale Meibomii, spiritus asthmaticus Michaelis.

Theoremata.

Quemadmodum omnia quæ excretiones adjuvant, non uno eodemque modo suam edunt operationem, sed vel materiam mobilem reddunt & ad evacuandum præparant, vel vias emunctoriorum referant, ut a succorum connubio segregari possit, vel denique vasa & canales ad motum excretorium exstimulant: ita ratione haud absimili etiam expectorantium agendi succedit modus. Nimirum si humor secretus est valde tenuis, acris, & tubuli ac pori glandularum, e quibus ejiciendus, nimis constricti, aptissima sunt ea, quæ vias emolliunt, acrimoniam hebetant, & nimis tenues & fluxiles coagulant, qua virtute ex jam nominatis splendent succus radicis liquiritiæ, crocus, sperma ceti, flores violarum, malvæ, papaveris rhœados, cremor lactis, oleum amygdalarum dulcium, axungiæ, syrupus pulmonum vulpis, violarum, papaveris albi, massa pilularum de stirace, præsertim si cum liquido diluente, ut est decoctum avenaceum, vel decocto ex rasura cornu cervi gelatiniformi, assumantur. Quandocunque vero materia spissa & copiosa in bronchiis pulmonum hæret, & respirationi obest, eaque propter stimulo quodam ad expectorationem opus est, tunc tenacem & viscidam materiam quam optime resolvunt infusa ex herba veronicæ, hyssopi, scabiosæ, scordii, terra quoque foliata tartari, solutio oculorum cancri & nitrum antimoniatum. Et tunicas bronchiorum nerveas principio quodam acri tenui oleoso ad motum excretorium animant, gummi ammoniacum & ejus essentia, spiritus salis ammoniaci anisatus, myrrha, benzoe, pulvis radicis helenii, iridis Florentinæ, sulphur stillatitium, ejus lac, balsamum sulphuris, aut ubi acrius adhuc calcar admovendum, ut in asthmate pituitoso & catarrho suffocativo, oxymel squilliticum & spiritus asthmaticus Michaelis, qui ex gummi ammoniaco & crystallis viridis æris paratur, adhiberi poterunt.

Corollaria practica.

I. In expectorantium usu, ob diversa quibus agunt principia, ipsumque varium operandi modum, prudenti discrimine opus est, & qui promiscue nulla habita differentia temporis, vel materiæ peccantis, iisdem utitur, is certe plus damni, quam commodi inducit. Hinc quando tussi epidemice grassante, vere vel autumno, antequam materia tenuis & acris attemperata, propinantur quæ stimulo agunt expectorantia, vel vicissim, ubi materia satis cocta, & præparata, emollientia & relaxantia offeruntur, præposterum utique & damnosum est molimen.

II. In tussi chronica, humida, asthmate quoque pituitoso, in quo multum pituitæ in bronchia pulmonum il-

illabitur, dulcia, linctus, syrupi & oleosa ventriculum, qui in morbis jam tum languidus & a tono dejectus est, plus labefactant, appetentiam, digestionem, & chylificationem minuunt, ac non modo uberiori recrementorum proventui ipsiusque morbi incremento favent, sed & ad cachexiam, tumores œdematosos, immo hydropem disponunt. Præstat tunc potius uti medicamentis pectoralibus balsamicis, quæ grata simul ventriculo, ut elixirio nostro pectorali, essentia myrrhæ, gummi ammoniaci, corticis sassafras, nucistæ, spiritu salis ammoniaci anisato, tinctura tartari aliisque similibus.

III. Cautissimus quoque expectorantium debet esse usus in dispositione phthisica, vel hæmoptyica, si tussis sicca, spiratio angusta & difficilis, dolor pectus comprimens, quæ potius a sanguinis congestione, quam materia expectoranda accidunt; quandoquidem sive emolliendo, sive stimulando agant, affluxum & congestionem sanguinis & humorum augent, tantum abest ut removeant.

IV. In morbis acutis pectoris, ut pleuritide vera & peripneumonia, provide pariter excretioni pectorali dicatis, præsertim in principio, utendum, ne stasis & stagnatio sanguinis inflammatoria inde augescat; inclinante vero morbo, & ubi maxima inflammationis pars discussa, ad materiam coctam lentescentem ex fistulis pulmonum evocandam, commodum habent locum.

§. X.

IX. Errhina & sternutatoria.

Porro ad excretionem, sequestratæ in obducta narium antris & duodecim cranii sinubus glandulosa pituitaria dicta tunica, mucidæ lymphæ, plurimum possunt ERRHINA, & STERNUTATORIA, quorum illa leviter, hæc vero validius, has exquisitiori sensu præditas tunicas stimulando, & ad motus excretorios solicitando agunt. Inter leniora quidem errhina dicta, locum quam commode tuentur, majorana, basilicum, thymus, hyssopus, satureja, marum Syriacum, origani summitates, flores liliorum convallium, benzoes, resina guajaci, quæ ex decocto post inspissationem remanet, rasura tenuissima ligni aloes, sal volatile salis ammoniaci siccum, cum oleo majoranæ essentificatum, nec non vitriolum album; sternutamentum vero movent & quidem validissime euphorbium & pulvis hellebori albi, paullo mitius variæ species tabaci, mercurius præcipitatus, piper.

Theoremata.

Sternutatoria non alia ratione humorem e narium tunicis eliciunt, quam purgantia ex tunicis intestinorum glandulosis, sale nempe tenui acerrimo, tunicas has irritando & ad crispaturam adigendo. Sed uti acriorum purgantium, ita etiam sternutatoriorum, rarior debet esse usus, eo quod natura non facile in evacuationibus vult cogi, sed tantum duci. Errhina vero, sive ptarmica, naturæ & nervis magis amica, sale subtili acri volatili oleoso tunicam pituitariam blande irritant, stimulant, & mucidum liquorem evocant, longeque sternutatoriis sunt tutiora, eo quod hæc motum quendam convulsivum in nervos & per consensum etiam totum pectus invehunt, illa vero roborando potius nervos & nervosas tunicas officio suo defunguntur.

Corollaria practica.

I. Pulveres errhini, ex herbis cephalicis, præsertim majorana, maro Syriaco, floribus benzoes, liliorum convallium, rasura ligni aloes, grano uno vel altero ambræ adjecto compositi, in capitis gravativis doloribus, hemicrania, affectibus soporosis, memoriæ debilitate, gravedine, coryza, auditus difficultate, cephalalgia pituitosa, præsertim ea, quæ in ossibus frontis subsistit & plerumque a coryza suppressa oritur, oculorum mucosa defluxione, somnolentia, vertigine, si quippiam humoris maligni a lue venerea in narium membranis hæret, egre-

egregii sunt usus, & præter evacuationem, vigorem quendam addunt actionibus animalibus. Neque minus hoc nomine laudem meretur sal volatile salis ammoniaci cum balsamo nostro mixtum, quod ad aliquot grana naribus inditum, spectatæ est virtutis in auditus & visus difficultate, affectibus soporosis, & in sensibilioribus sternutationem ciet, sæpe proficuam, ubi motus in capite excitandi, in paralyticis & apoplecticis.

II. Nostris temporibus, ubi fumi tabaci, ita etiam pulveris pro sternutatione, luxurians abusus maxime invaluit, valetudini minus conducibilis. Etenim jugi hoc pulverum attractu, non modo odoratus, propter obstructas & quasi induratas inde papillas nerveas membranarum, quæ ossa squamosa & nares investiunt, læditur, sed & ob nimium infarctum ab allecto humore clara vox rauce scit. Id quod pluribus inculcavi in *dissertatione, de usu & abusu sternutatoriorum*.

§. XI.

X. *Apophlegmatizantia.*

Haud absimili ratione ac errhina vellicando & irritando narium tunicas mucum ex ipsis eliciunt; APOPHLEGMATIZANTIA salivalem & mucosam materiam ex tota faucium compage glandulosa, uvula & ductibus salivalibus evocant. Quin omnia, quæ errhina & ptarmica facultate gaudent, ori, vel per masticationem, vel gargarisationem admota & indita, phlegma & liquorem salivalem evehunt. Quippe tabacus in pulverem comminutus inter errhina, ac fumus ex ipso inter apophlegmatizantia, principem sibi vendicat locum. Præter nicotianam autem radix pyrethri, ostrutii, angelicæ, zedoariæ, pimpinellæ, galangæ, myrrha, masticata fundunt, & egregie colliquant salivam. Usus masticatoriorum eximius ad arcenda miasmata, quæ in morbis contagio infestis inspirato aere hausta, facile se apponunt faucibus, salivæ immiscent & deglutita demum morbum invehunt, si quis forsan in locis infectis; & suspectis versetur, ubi etiam tabaci fumus conducit. Decocta vero ex radice pyrethri, pimpinellæ albæ, caryophyllis, herba majoranæ, saturejæ, angelicę, cum vino vel spiritu vini, qui solus etiam salivam fundit, & fibras ductuum stringit, confecta, in vitiis oris & linguæ, dentium, gingivarum, nec non aurium, difficili auditu, vel tinnitu, quando orificium tubæ Eustachianæ, quod in interioribus non procul ab uvula hiat, obstructum est lento muco, egregiam locant operam, quæ non minus in uvulæ relaxatione, aphonia, paralysi linguæ, addito sale ammoniaco, vel spiritu salis ammoniaci, apprime inserviunt.

§. XII.

XI. *Salivantia.*

Neque prætereunda in evacuantium enarratione sunt sialagoga, sive SALIVANTIA, quæ lymphaticum & salivalem laticem fortiter movent, & per os evacuant. Utut vero in regno vegetabilium plura sint, quæ ore assumta, ut emetica, vel dentibus, ut modo meminimus, manducata, salivalem humorem e faucibus & glandulis evocant; vix tamen in tota rerum natura suppetunt, quæ tam vehemente totam lymphæ massam in motum concitant, atque in salivales glandulas & ductus tam fortiter agunt, ut non tantum per aliquot hebdomades, verum etiam menses, continuus satisque largus succedat salivæ fluxus, quam quæ regnum minerale suppeditat pharmaca, & maxime quidem mercurialis & regulinæ prosapiæ, arte chymica præparata. Nam argenti vivi ea propria laus & peculiaris plane virtus est, ut exterius inunctum, vel parva etiam dosi interius assumtum, liberalissime moveat salivationem, cujus, si recte administretur, beneficio, affectiones ceteroquin insanabiles & contumaciissimæ, ex impuritate seri & lymphæ ortæ, lues venerea, herpes, scabies maligna, ulcera cacoethea & serpentia, sanari, funditusque expugnari possunt. Et

hac

hac singulari ac quasi propria facultate, pollet non modo ipsum argentum vivum cum saccharo probe contritum, & cum conserva interius propinatum, sed & omnia ex eo artificiose confecta, ut mercurius dulcis, præcipitatus ruber, albus, cum spiritu salis ammoniaci, ex solutione mercurii in aqua forti præcipitatus, turpethum minerale, arcanum corallinum, mercurius diaphoreticus jovialis, solaris, æthiops mineralis, ipsaque cinnabaris, tam nativa, quam antimonialis, vel communis, ex sulphure cum mercurio parata, nec non antiquartium Riverii. Ex iis vero, quæ ad regulinam antimonii substantiam ortum referunt, commemorari merentur, crocus metallorum, pulvis Monckii, sulphur sic dictum auratum, vulgari modo per præcipitationem cum aceto vel solutione martis, vel etiam solis concinnatum, vel singulari modo præcipitatum, ut panacea Glauberiana, in pharmacopœis Brunsvicensibus Conerdingiana vocata.

Theoremata practica.

I. Quæ jam memoravimus salivantia optime in duas classes possunt dispesci, mitiora scilicet, & fortiora. Ex mitioribus quidem & mercurialibus, æthiops mineralis & cinnabarina, modo in pleniore & continuata dosi offerantur, etiam salivæ fluxum proritant, & humores lymphaticos in motum cient, atque cum fructu in iis morbis, qui ab obstructionibus glandularum, vel seri coagulo, aut extravasatione in capite oriuntur, resolvendo & fundendo coagulatos succos, usurpantur. Deinde quoque antimonialia, quia sulphur regulinæ in iis substantiæ quoddammodo nuptum, etiam lenius agunt, nec ab iis tantæ turbæ & sæva symptomata timenda sunt, ac a plerisque mercurialibus chymica arte præparatis. Inter leniora quoque mercurium dulcem bene elotum & præparatum, item ipsum argentum vivum rite depuratum, in formam solidam, & pulverem arte conversum, referimus, excepto mercurio vivo exterius applicato, quippe qui cum unctuosis in unguentum redactus, & partibus nervosis inferioribus pedum, poplitibus, genubus, multo magis spinæ dorsali, illitus, validissime sæpe & subito vix coercibile salivę exprimit stillicidium.

II. Modus autem operandi ita evolvendus & concipiendus videtur. Videlicet argentum vivum 1.) omnium fluidorum est gravissimum corpus, cujus minimæ etiam particulæ solutæ & divisæ, specificam suam gravitatem, respectu omnium fluidorum superiorem, semper servant, & 2.) ipse mercurius ab omnibus salinis menstruis solvi, & in infinite parvas, & subtiles moleculas redigi potest, quæ ob vim corrodentem & simul gravitatem specificam intima vasorum & pororum in corpore humano penetrant. Mirum enim diffundi posse argenti vivi, & partes, & vires, ad oculum patet ex eo, quod sublimati mercurii unum tantum granum in aqua dissolutum, vel duas aquæ uncias conspicuo non solum metallico irritante sapore possit inficere, sed etiam tam efficaci virtute imbuere, ut mercurialis hæc aqua interne & externe adhibita, excretiones per salivam, sudorem, alvum, immo vomitum, pro dispositione subjectorum & humorum, potenter moveat, & exterius ad mota, scabiem & omnes cutis defœdationes repente siccet ac reprimat. Quandocunque itaque mercurialia, vel exterius applicata per fumum, emplastrum, aut unguentum, vel interius sumta, ab humoribus corporis nostri biliosoalcalinis solvuntur, sive in minimas partes discerpuntur, promte & efficaciter in nervos & nervosas maxime fibras glandularum conglobatarum & conglomeratarum, immo in ipsas tunicas lacteorum & lymphaticorum vim suam exercent, & earum systolen atque contractionem augendo, motum lymphæ concitatiorem reddunt, quo intensiori facto, consistentes in glan-

glandulis & minimis vasis humorum obstructiones, stagnationes & stases lymphæ coagulatæ tandem resolvuntur atque expediuntur.

III. Hac utique ratione lues venerea, & qui cum hac affinem naturam habent morbi, feliciter exstirpantur, nec ea propter semper in curandis his cum Gallica lue morbis opus est salivatione, sed qui arcanum novit, dextro mercurialium & antimonialium bene præparatorum usu & applicatione, sine salivatione, ut olim peculiari dissertatione adstruxi, has rebelles ac pertinaces affectiones sanare potest. Neque enim, quod omnes periti & usu exercitati medici ultro confitebuntur, salivæ fluxus caussa est curationis luis venereæ, sed potius illa sublata glandularum, & minimorum vasculorum obstructio & colliquatio humorum viscidorum ibi stabulantiū, quam deinde per accidens sequitur largior salivalis humoris profusio.

IV. Sub salivatione mercurio excitata, ut sæpius observavi, exteriores, præsertim inferiores partes, ut pedes, ordinario frigent & contractæ sunt, alvi etiam & urinæ fluxus retinetur, sublato autem per hanc partium inferiorum strictura libero lymphæ & seri, nec non sanguinis in vasculis minimis circuitu, necesse est, ut humores serosi & lymphatici cum impetu ruant ad partes superiores, & maxime solennia in faucibus glandulosa conceptacula, e quibus qua data via jugi postea feruntur rivo, & cibum, & somnum impediente. Vidi quoque in iis, quos enormis & ad tres vel plures menses durans salivatio demum lipothymia & catarrho suffocativo e medio sustulit, partes externas tam frigidas fuisse, ut nullo auxilio, neque balneo, neque frictione, ad calorem reduci potuerint. Æquabilem autem & liberum lymphæ ipsiusque sanguinis per omnes corporis partes interceptum progressum, salivam movere, continua illa spuratio testatur, solennis hypochondriacis ac melancholicis, in quibus pariter ob constrictas partes inferiores, lympha & saliva majori nisu fertur ad glanduloſam faucium & oris compagem.

V. Quod vero profluens sub salivatione, præsertim iis, qui impura venere infecti sunt, humor, tam fœtidum & putridum spiret nidorem, hæc reddenda videtur ratio: quod mercurii tenuissimæ partes, reliquos omnes humores gravitate superantes, ab illis in connubium susceptæ, motu suo circumvolutorio, mixtionem, crasin atque texturam sanguinis, haud secus ac in putredine, dissolvere incipiant, ut hanc ob caussam fœtor sulphureus, volatile quippiam spirans, exhalent, & ipsi dentes nigredinem contrahant.

VI. Omnes magnopere a Chymicis celebratæ panaceæ maximeque solares, quæ potiorem suæ facultatis partem ad metallicum & mercuriale elementum referunt, si rite præparantur & dextre usurpantur, non defraudandæ sunt sua laude, in morbis ubi cuneo & vecte quasi opus est. Nam summa activitate pollent, ac in exili admodum dosi in systema partium nervosarum potenter agunt, magnosque effectus præstant. Quin innotuerunt mihi ejusmodi medicamenta, antimonialia inprimis, quæ pro diversa dosi & regimine juncto, item pro diversa subjectorum ratione, in exigua mole, vomitum, alvum, immo salivam, movere possunt, sed perpauci medici eorum rectum usum & peritam administrationem norunt.

CAPUT VI.

De roborantibus.

§. I.

1. *Analeptica.*

TErtium nunc ex summis remediorum generibus sequitur, complectens ea, quæ solidis dicata sunt, ita quidem, ut circa eorum vires ac potentias motrices, easdam refocillando, firmando ac intendendo, occu-

cupentur, & desumta a robore generali denominatione, audiunt ROBORANTIA. Horum pariter maxima in arte medica utilitas est atque necessitas; eo quod robore ac inde pendente motuum exercitio, vita omniumque actionum integritas & continetur, & absolvitur; eaque propter ubi sanitas offensam patitur, roboris maximum momentum, ac nonnisi motu labefactatæ functiones ad pristinum ordinem reducuntur. Jam vero plura, quoad vires & usum specialius distinguenda, hunc censum subeunt, & primum merito locum obtinent ANALEPTICA, quo quidem nomine insigniuntur, quæ vires imminutas & depressas erigunt, restituunt & confortantem, uti vocant, vim habent, & passim etiam cordialia & cardiaca dici solent. Huic scopo obtinendo serviunt ex vegetabilibus: flores rosarum, citri, aurantiorum, jasmini, liliorum convallium, herbæ: melissa, origanum, marum, poma citri, Chinensia recentia & ex aromatibus cinnamomum; ex resinosis ipsa ambra; ex animalibus moschus; & quæ ex his omnibus præparata prostant, ut oleum de cedro, melissæ Turcicæ, rosarum verum, canange, quod ex floribus tiliæ in Persia elicitur, pomorum Bergamotte, essentia ambræ rite præparata, oleum cinnamomi in elæosaccharum redactum, quod in pulvere sic dicto solari Cellensi præcipuum, aqua melissæ citrata, liliorum convallium, cinnamomi cydoniata. Referri huc quoque possunt fructus fragorum, ribii, rubi idæi, cerasorum eorumque nuclei, & ex iis recentibus paratæ aquæ, succus limonum & exinde confectus syrupus.

Theoremata.

Cordialia hæc fragranti suavissimo subtili oleoso principio agunt & in nervos eorumque liquidum immediate fere penetrant, ipsique motum naturæ blandum & amicum insinuant. Est enim hæc indoles omnis substantiæ sulphureæ, tenuissimæ & halituosæ, ut interiora partium nervosarum promtissime pervadat, ac celeriter effectum edat, quod graveolentia ipsaque suaveolentia, si quis ex idiosyncrasia eadem ferre nequeat, planum faciunt testatumque. Hinc etiam solo odore, ut in animi deliquio & syncopticis, subito roborantem suam vim exserunt & vires erigunt, eo quod in nulla corporis parte, & nervorum, & vasculorum sanguineorum extremitates, tam nudæ minusque tectæ, quam in narium amplo & cavernoso ductu occurrunt, & admota fragrantia expedite ibi nervos & spiritus afficere possunt.

Corollaria practica.

I. Utut hisce dictis analepticis in refocillandis viribus non deneganda sit sua virtus; ea tamen valde restricta & limitata est. Optandum quidem esset, ut in rerum natura certæ ejusmodi virtutis prostarent remedia, quæ, ut vulgus putat, & a medentibus etiam semper exigit, efficaciter vires in omni fere morbo, præsertim vero acutis & malignis, depressas, & deficientes redintegrarent; sed quia in morbis vires non rectius & certius restituuntur, quam cautis morbificis, quæ eas frangunt, sublatis & noxiis rebus e corpore expulsis, nisi hoc exsequatur medicus, omnis analepticorum usus erit frustraneus.

II. Neque etiam existimandum est, restaurationem virium veram & constantem tantum procurandam esse medicamentis, quæ motum in spiritibus & partibus solidis concitant. Nam in plurimis morbis, præsertim febribus & convulsionibus, magna quidem vis & potentia motrix cordi, arteriis & membranis nervosis inest, & tamen vires naturales sunt languidæ & valde infirmæ. Proinde potius verum virium naturalium robur maxima ex parte dependet a congruis alimentis, esculentis & potulentis, in bonos succos & sanguinem convertis, ex quibus postea tenuissimum illud,

quod

quod in cerebro separatur fluidum, & per nervos ad musculos & tunicas musculosas delatum, potissimum corpori & ejus partibus vigorem ac firmitudinem largitur, denuo ingeneratur.

III. Optimæ igitur materiæ nutrientia sunt optima analeptica, cujus generis sunt jusculæ ex carnibus gelatinosa, caponum, ossibus & eorum medulla, per decoctionem cum aqua, pauxillo vini, adjectis aliquot taleolis pomi citri, tantillo salis, pulveris macis & caryophyllorum, in clauso vase parata, item quæ ex pane nigro Westphalico, aqua & vino cum ovis conficiuntur, decoctum quoque succolade, cum vel sine lacte, lac ipsum asininum, aqua panis grossioris cum corticibus citri destillatum, & vinum, maxime Rhenanum generosum & annosum, item verum Hungaricum. Hæc tamen præsidia alimentosa & nutrientia ad vires erigendas, non in ipso morbo, neque ubi tota massa sanguinis & humorum valde impura est, sed inclinatis morbis, & ubi a præcedenti morbo, vel animi affectu, diuturna vigilia, corporis & animi labore ac fatigatione, vel nimiis hæmorrhagiis, vires exhaustæ sunt & attritæ, optime conveniunt, quin etiam tunc perita adhibenda moderatio, eo quod celeriter admodum in sanguinem transeunt, ejusque copiam augent.

§. II.

II. De balsamicis.

Analepticis in roborantium classe succedunt BALSAMICA, quæ calidioris & acrioris sunt indolis. Comprehendunt hæc medicamenta sic dicta cephalica, nervina, aut apoplectica, antiparalytica, cordialia spirituosa, & hujus generis alia, & ex eorum censu quam maxime eminent lignum aloes, ejus resina atque essentia, agallochum album, santalum citrinum & ejus essentia, in balsamum liquidum concentrata, ambra grysea, liquidambra, opobalsamum, succinum, benzoe, styrax calamita & ejus resina, styrax alba, ladanum & ejus resina, balsamum Peruvianum, de Copaiva, Americanum rubrum, Tolutanum, cortex Peruvianus verus, costus amarus, chaccarilla, cinnamomum, caryophylli, cardamomum, cubebæ, macis nucista, satureja, thymus, ruta, serpillum, lavendula, spica, origanum nostras & Creticum, majorana, melissa Turcica & nostra, chamomilla Romana, marum Syriacum, basilicum, abrotanum, spica Indica, schœnanthum, folia lauri, myrthi, & ex his destillata olea fragrantissima vera non adulterata. Ex compositis balsamum apoplecticum Crolii, Cellense, Scherzeri, nostrum liquidum vitæ, spiritus balsami Peruviani nostra methodo paratus, spiritus succini, mastiches, aqua apoplectica Sennerti, Anhaldina, essentia ambræ vera, spiritus volatiles oleosi, cum oleo cinnamomi, macis, de cedro essentificati.

Theoremata.

Enarrata hæc simplicia & ex iis præparata tenui æthereo & subtili volatili oleo, naturæ admodum blando & amico, in fluida non minus ac solida corporis nostri agunt, virtutemque suam diffundunt, & partes sulphureas calidas & æthereas in sanguine & humoribus deficientes, restituunt, augent, atque motum intestinum calidum & spirituascentiam vitalibus humoribus fœnerant. Pollent vero etiam sale subtili acri balsamico, eodemque cordis, arteriarum & fibrarum musculosarum vim & potentiam elasticam intendendo, sanguinis & humorum progressum ac circulum egregie promovent, quo postea fit, ut humores crassi & viscidi attenuentur, obstructiones solvantur, & saluberrimum perspirationis negotium, quo optime morbi arcentur, integrum servetur ac illibatum.

Corollaria practica.

I. Igitur in omnibus morbis capitis, nervorum, spinalis medullæ, stomachi & cordis, qui a causa secundum Veteres sic dicta frigida foventur, humorum nempe spissitudine, condensatio-

ne

ne & ab atonia nervosarum & musculosarū partium, ut in apoplexia, paralysi, stupore & torpore sensuum, memoriæ debilitate, auditus difficultate, lipothymia, ingenti virium debilitate, provido, tam interno, quam externo usu, suppetias ferunt exoptatissimas.

II. Stomachi quoque & intestinorū vitiis, quæ ex atonia, copia cruditatum acido viscidarum, depravata digestione, natales ducunt, ut inflationi, item diarrhœæ, colicæ flatulentæ, vomitioni mirifice subveniunt, & maxime quidem conducunt ætate senibus & omnibus imbecillis & debilitatis, nec non qui laxioris sunt habitus & constitutionis phlegmaticæ.

III. Cum fructu etiam usurpantur, si a diuturna anni constitutione præhumida & frigida, tempore præsertim autumnali & hiemali, ac inprimis in regionibus septentrioni vicinis, tusses humidæ, diarrhœæ, asthmata pituitosa, tumores œdematosi, coryzæ, rheumatismi, intermittentes quoque febres, & a scorbutica impuritate provenientes ægritudines regnant, vel metuendæ sunt, fine potissimum præservatorio.

IV. Cavendum vero ab eorum liberaliori dosi est, quando corpora succis & sanguine plena, alvinæ sordes restagnant, juvenibus & cholericæ sensibiliori indolis subjectis.

V. Ego medicamentum liquidum balsamicum, quod vulgo vocant balsamum vitæ, ex optimis his & maxime oleis veris non adulteratis conflatum, per viginti & quod excurrit annos in usu habui, cujus tam spectata virtus, ut reliquis omnibus roborantibus & balsamicis quisque facile carere possit, si unico hoc interne & externe recte uti norit. Et hoc suavissimum efficacissimumque medicamentum, eximia roborante & restaurativa facultate toties totiesque nobilitatum, late quidem jam innotuit; sunt vero, qui assimulatum huic ex adulteratis maxime oleis non tam concinnatum, quam confusum, nefario dolo meo sub nomine incautis venditant; quod tamen virtutem & famam suam neutiquam sustinere potest.

§. III.

III. Stomachica. Sequuntur stomachi & intestinorum tonum roborantia, quæ simul carminativa complectuntur, eoque nomine laude digna ex radicibus: galanga, gentiana rubra, zedoaria, pimpinella, calamus aromaticus, arum; ex corticibus: canella alba, sassafras, citri aurantiorum & pomorum Chinensium recentes, cortex Africanus, Winteranus, chaccarilla; ex aromatibus: piper, zingiber, caryophylli, cinnamomum, cardamomum, macis; porro chamomilla Romana & vulgaris, absynthium, mentha, carduus benedictus, semina quatuor carminativa; ex præparatis, oleum de cedro, aurantiorum per expressionem paratum, oleum chamomillæ vulgaris, dauci cretici, anisi stellati, cymini & carvi verum, menthæ, absynthii, spiritus salis, nitri dulcis; ex compositis sal volatile Sylvii, elixir stomachale nostrum, Michaelis essentia carminativa Wedelii, pulvis stomachicus Birckmanni, essentia corticum aurantiorum cum spiritu nitri dulci, tinctura tartari, & olea aurantiorum per expressionem parata, essentia composita absynthii Conerdingii, aqua carminativa Dorncreilii, spiritus de tribus.

Theoremata practica.

Utut plurima ex adductis superius cephalicis & nervinis, in morbis ventriculi & intestinorum, præsertim, qui a tono eorum dejecto, vel debilitato proveniunt, egregio etiam sint præsidio; suppetunt tamen adhuc alia, quæ vitiis harum partium amovendis, pro passionum differentia, specifica quasi efficacia sunt accommodata. Scilicet ad appetitum, ob saburram viscidorum & acidorum in ventriculo cruditatum vacillantem, redintegrandum, præter amara, ut radicem gentianæ rubræ, herbam absynthii, cardui benedicti, & aro-

mata, radix maxime galangæ, pimpinellæ, canella alba, piper, zingiber, arum cum fructu usurpari possunt. Ad nauseam, vomitionem & inversionem ventriculi compescendam, nil mentha, ejus aqua spirituosa & oleo probe destillato, item mastiche & ejus spiritu, nec non qui ex balsamo Peruviano & sale tartari paratur, item liquore nostro anodyno minerali, præsentius & efficacius est. Ad doloris cardialgici, colici, & torminum atrociam levandam, cortices aurantiorum recentes, & ex iis rite extracta essentia, aqua & oleum cymini Æthiopici, oleum non adulteratum florum chamomillæ vulgaris, spiritus nitri dulcis bene præparatus, remedia sunt expeditissima. Ad intestinorum nimiam lævitatem & nimias dejectiones moderandas, cortex chaccarillæ peculiari splendet efficacia. In intestinorum inflatione ad elidendos flatus, aqua carminativa Dorncrellii, essentia carminatiua Wedelii, item spiritus de tribus cum spiritu nitri dulci nuptus, essentia & aqua zedoariæ, cardamomum, oleum carvi & cymini verum destillatum, omnibus facile palmam præripiunt.

§. IV.

IV. Viscera-lia. Proximum est ut roborantia VISCERALIA, quæ nempe visceribus sanguineis, ut hepati, lieni, utero, renibus, pulmonibus firmandis & roborandis, quo eo expeditius officio suo fungantur, dicata sunt, adeoque ad horum classem hepatica, splenetica, pneumonica, uterina, cachectica, antihydropica, antiictherica, antihysterica, antiphthisica commode referri possunt. Sunt vero hunc in usum commendabiles radices: gentianæ rubræ, aristolochiæ longæ & rotundæ, cichorii, zedoariæ, filicis, rhabarbari veri & rhapontici, curcumæ, ononidis, cortex chinæ, chaccarillæ, Winteranus, tamarisci, fraxini, capparum, cassia caryophyllata; herbæ: absynthium, centaurium minus, fumaria, carduus benedictus, trifolium fibrinum, hepatica nobilis, melissa, pulmonaria maculosa, scolopendrium, agrimonia, marrubium, cuscuta, veronica, scabiosa, epithymum, capillus veneris, pilosella. Neque minus laudanda hac virtute ex gummatibus & resinosis succinum, myrrha, aloe, bdellium, gummi hederæ, ammoniacum, olibanum, sagapenum, opoponax, asa fœtida; ex mineralibus sulphur commune purum stillatitium, limatura martis & omnia ex marte parata, & quæ Chymia suggerit varia præparata, ut salia herbarum per incinerationem parata, arcanum & terra foliata tartari, ejus cremor, sal polychrestum, nitrum antimoniatum, spiritus salis ammoniaci, tinctura martis, ex floribus salis ammoniaci cum hematite præparatis, spiritu vini extracta, tinctura tartari, antimonii alcalisata, elixir proprietatis cum lixivo paratum, essentia fuliginis, elixir nostrum viscerale cum menstruo aqueo salino confectum, antimonium martiale cachecticum, massa pilularum Becherianarum & similium. Pertinent huc quoque fontes medicati sic dicti minerales, præsertim qui subtile quoddam martiale elementum custodiunt, ut Pyrmontanæ, Spadanæ & Schwalbacenses, multo magis qui largius martiali ochra imbuti sunt, ut Lauchstadienses, Radebergenses, Bebranæ & Freyenwaldenses.

Theoremata.

Balsamica hæc viscera principio & elemento, partim sulphureo, balsamico & terreo, paulio fixioris naturæ, partim etiam sale alcalino sulphureo, sive saponaceo, item amaricante, operationem suam in viscera, quorum vasa humoribus tenacibus crassis infarcta & obstipata sunt, edunt, succos lentos incidendo, dissolvendo, & simul ipsis vasis & fibris a robore & tono dejectis vim contractilem & elasticam conciliando; adeoque in omnibus iis morbis longis, qui ab horum viscerum labe nascuntur, tum

ad

ad præservationem, tum ad curationem, polychresta & certæ efficaciæ sunt medicamenta.

Corollaria practica.

I. Licet omnia sic dicta visceralia in genere conveniant in eo, quod tonum viscerum roborent, & infarctus atque obstructiones expediant; nihilominus tamen pro viscerum & morborum differentia, eorundem discrimen & selectum probe servare necessarium. Ita exempli gratia, si hepar laborat obstructione, & inde morbi, ut icterus, cachexia, & scorbutus, propullulant, quæ amaritie quadam saponacea & detersiva vim suam exserunt, erunt efficaciora, nominatim radices quinque aperientes, rhabarbarum, curcuma, opopanax, bdellium, sapo venetus, elixir proprietatis sine acido, essentia rhabarbari cum sale tartari parata, essentia trifolii fibrini, & omnia ex marte bene præparata. Quando pulmonum nimia præsto est laxitas & infarctus, ac inde nati, vel nascuntur morbi, myrrha, gummi ammoniacum, sulphur stillatitium, herba veronicæ, scabiosæ, chærefolii, pulmonariæ, pilosellæ, marrubii, capilli veneris, magis ex usu sunt. Ubi lien magnus & sanguine farctus gignendæ impuritati sanguinis, ac præsertim cachexiæ, admodum velificatur, cortices tamarisci, capparum, fumaria, scolopendrium, cuscuta, epithymum, radix ononidis, ipsaque martialia aliis præferenda. Quum ex imbecilli & nimium remisso renum tono nephritis & calculi progignuntur, cortex radicis acaciæ & ejus infusum, item rob cynosbati & juniperi, specifica quadam activitate succurrunt. Ex labefactato uteri ejusque vasorum robore, & retardatis in debito progressu sanguine & humoribus, longæ & multiplices, præsertim post abortum, passiones pullulant, quibus utique singulari quadam efficacia medentur aristolochia, tam longa, quam rotunda, artemisia, myrrha, matricaria, galbanum, bdellium, opopanax, succinum, massa pilularum Becherianarum, & aliæ quoque ad earundem exemplar concinnatæ. Si intestina & quæ spectant ad ea glandulæ & tubuli secretorii & excretorii, biliarii, pancreatici, lactei, robore debito destituuntur, ut a copiosiori humorum decubitu fiant nimii alvi fluxus, vel subsistentes in vasis humores motibus, insultibus & paroxysmis febrilibus, fomitem & occasionem præbeant, rhabarbarum, cortex chinæ, Winteranus, chaccarillæ, martis tenuissimi croci atque essentiæ, præstabunt id, quod non facile aliis obtineri poterit.

II. Circa usum tamen roborantium id in genere tenendum est: quod longe meliorem effectum atque utilitatem præstent, quando non solum ante eorum oblationem sanguis nimis redundans subtrahitur, & congruis laxatibus primæ regionis recrementa eliminantur, sed etiam si ipsa ad meliorem humorum fluxilitatem & mobilitatem conciliandam, in decocto, vel infuso, propinantur, vel adhuc rectius, cum potu acidularum, thermarum, aut seri lactis conjunguntur, quo certe horum roborantium, quæ adstringentis naturæ, operatio egregie adjuvatur, atque intenditur, ad tollendos magnos chronicos & inveteratos morbos, inprimis quando paullo diutius continuantur, & corpus simul convenienti motu, equitatione, vectura aut ambulatione exercetur.

§. V.

VI. Adstringentia & traumatica.

Excipiunt ADSTRINGENTIA & VULNERARIA, Græcis traumatica dicta, quæ fixiori quodam leniter constringente elemento, laxas nimis, eliquatas, erosas ac læsas partes & fibras adducunt, stringunt, consolidant & conglutinant. Atque ex horum censu præcipua sunt radix caryophyllatæ, tormentillæ, bistortæ, consolidæ majoris, pentaphylli, plantaginis, rhapontici; ex herbis: vinca per vinca, sanicula, pyrola, consolida major, media, Saracenica, uva crispa, agri-

monia, hypericum cum floribus, millefolium cum summitatibus, equisetum, veronica, fragaria, verbena, pilosella, teucrium, plantaginis species, folia quercus, botrys, melissa, mentha, betonica, urtica mortua, flores rosarum, balaustiorum, cortex chinæ, granatorum, radicis acaciæ, succus acaciæ, catechu, sanguis Draconis, fructus myrtillorum, cydoniorum, ex aromatibus nucista, ex mineralibus hæmatites, alumen, & omnes terrarum & margarum species; ex chymicis flores salis ammoniaci martiales, liquor martialis ex capite mortuo florum salis ammoniaci martialium paratus; inter præparata essentia traumatica Wedelii.

Theoremata.

Species quas jam recensuimus ex principio paullo fixiori terrestri cum acido juncto agendi facultatem habent, ac dum nimis relaxatas fibras paullo strictiores reddunt, a decubitu & stagnatione nimii liquidi eas liberant, simulque coeuntibus propius fibris solutis, consolidationem & coalescentiam promovent. Differt tamen constrictiva in ipsis virtus gradu; siquidem in radice tormentillæ, bistortæ & ejus extracto, floribus balaustiorum, corticibus granatorum, foliis quercus, alumine, liquore martiali, fructibus & cortice acaciæ, fructibus cydoniorum, & baccis exsiccatis myrtillorum, longe eminentior est, quam in herbis sic dictis vulnerariis, quæ subtiliori terreo alcalino principio, quod partibus sulphureis balsamicis fixioris indolis intermixtum, imbutæ, lenius & tutius operantur, & multi ac præstantis in praxi medica sunt usus. Quod autem hæc tam vulneraria, quam adstringentia, subtilius, solubile, terreum, constringentis facultatis elementum recondant, ex eo planius facile innotescit, quod infusum eorundem paullo saturatius, ad mixturam vitrioli martis, immo omnium liquorum martialium, non secus ac cum gallis fit, nigrum & atramentosum colorem recipiat.

Corollaria practica.

I. Si ullus remediorum usus cum prudentia & exquisita providentia instituendus, certe adstringentium. Nam quum vita & integritas totius corporis omniumque ejus partium in perpetuo & progressivo circulari motu humorum tenuium & fluidorum, per compagem corporis penitus ferme vasculosam & ex minimis prorsus tubulis coagmentatam, contineatur & absolvatur; constringentium vero ea vis atque facultas sit, ut fluidis mixta, ea incressent, poros vero & tubulos solidorum coarctent atque angustent; in proclivi est, hujus virtutis remedia, naturæ animantium & vitalibus motibus minus favere atque amica esse, adeoque nec satis fida, nec secura, nisi magna cum prudentia adhibeantur. Experientia enim in dies docet, ab ejusmodi improvide datis constringentibus, in compescendis nimiis sanguinis, vel alvi fluxibus, innumera damna & noxas induci, ac perquam facile inde ægrotantes lentas febres, cachexiam, tumores œdematosos, affectus spasmodicos, colicos & hypochondriacos incurrere. Et huc etiam referendus imprudens corticis chinæ usus, in profligandis intermittentium paroxysmis, quando hujus vi, idemtidem constringente, sordes viscidæ, biliosæ, salivales, quæ tubulis viscerum primæ sic dictæ regionis inhærescunt, & excerni debebant, retentæ, ibi diutius detinentur, & deteriorem morbum excludunt.

II. Si necessitas ejusmodi constringentia postulat, non simul & semel, sed successive, atque in remissiori dosi, & cum sufficienti liquido, subjuncto etiam corporis motu, propinari debent; id quod etiam perpetuo, quando cortex chinæ, vel etiam martialia, in usum trahuntur, injungere soleo.

III. Infelix, intuta & periculi plena est cura, qua nimiæ vomitiones, mictio cruenta, narium, uteri, aut ani hæ-

hæmorrhagiæ nimiæ, item hæmoptysis, adstringentibus compescuntur, quod certe nunquam cum bonis ægrorum rebus perficitur, nisi prius spasmi, a quibus plerumque ceu causis proximis sanguinis fluxus pendet, complacati, nimia motuum ferocia sedata, & humores copiosius affluentes ad alia loca derivati.

IV. Herbæ sic dictæ traumaticæ, seu vulnerariæ, atque earum decocta, non modo in vulneribus, erosionibus, & continui solutionibus, sed & in quibusdam longis & valentibus morbis, ut phthisi, scorbuto, cachexia & calculosis passionibus, quando nempe a tono viscerum & glandularum dejecto & humorum hostili stagnatione vel stasi oboriuntur, insignem & commendabilem ferunt opem. Semper tamen cavendum, ne ubi nimia vasorum obstructio & fibrarum constrictio, ac pulmones in phthisi tumoribus ac tuberculis duris obsessi, iis utamur. Alias certe vulnerariorum & leniter adstringentium usus in infuso lõge saluberrimus, ad præscindenda calculosa in renibus concrementa molestissima, quæ ex nimis laxis vel exulceratis renibus potissimum natales ducunt, de quo lectu digna Cl. *Heucheri* dissertatio *de adstringentium usu in calculo*. Et hoc nomine infusum millefolii & ejus summitatum, veronicæ, hederæ terrestris, fragariæ, agrimoniæ, corticis radicis acaciæ, egregii usus. Pariter in involuntario urinæ stillicidio, tam in pueris, quam senibus a nimia laxitate sphincteris suborto, ejusmodi infusa expertæ & desideratæ virtutis deprehendi, admoto simul exterius spiritu vini rectificato.

V. Efficacissimæ virtutis in externis læsis & vulneratis partibus traumaticum, quod sanguinis & humorum fluxiones promte compescit, est solus spiritus vini, probe rectificatus, quo certe nihil præstantius, si partes nervosæ, tendinosæ sensibiliores cum nimia sanguinis profusione sauciatæ. Nam spirituosa non solum succos, ut videmus in sanguine & lympha, coagulant, sed etiam nimium humidum absumendo, fibras tensas & strictas reddunt, eademque arctius adducendo, & sanguinis stasin, atque stagnationem removendo, dolores atque inflammationes arcent, atque avertunt. Nec ingloria est traumatica facultate nostro tempore aqua spirituosa l'eau d'arquebusade dicta, quæ ex optimis herbis vulnerariis destillatione cum vino Rhenano in balneo Mariæ paratur, cujus tamen virtus spiritui ac vino potius, quam herbis, quarum effectus in fixiori terreo elemento reconditur, quod alembicum non transcendit, tribuendus.

CAPUT VII.

De sedantibus.

§. I.

Sedantium effectus in genere.

COnsideravimus hactenus succincte ea remediorum genera, quæ roborando agunt, ubi motus solidorum systaltici deficiunt, eorum tonus dejectus, & partes nervosæ ac fibrosæ, ipsaque vasa nimis resoluta & relaxata sunt: nunc transeundum ad eorum classem, quæ nimiis & effrenibus solidorum & fluidorum motibus componendis, sistendis, atque sedandis, & spasticis partium stricturis dolorificis remittendis & solvendis, virtute qua gaudent dicata sunt. Quumque adeo multiplex & late patens sit effectus, ad hanc classem referenda quam optime paregorica, quæ laxant blande & demulcent rigidas fibras, simulque acrimoniam obtundunt, anodyna, quæ dolorum ferociam levant, antispasmodica, quę spasticas stricturas leniunt ac solvunt, antepileptica, quæ motus convulsivos sistunt, hypnotica, quæ somnum conciliant, & narcotica, quæ conspicuum sensationibus stuporem ac motibus torporem inferunt.

§. II.

Apparatus.

Hac itaque sedativa generali & speciali facultate splendent radices pœo-

niæ, valerianæ, artemisiæ; herbæ: horminum, basilicum, solanum, paris; flores: salviæ, fraxinellæ, acaciæ, ulmariæ, sambuci, tiliæ, pœoniæ, papaveris rhœados, chamomillæ vulgaris, millefolii, rosarum, malvæ, liliorum convallium, primulæ veris, liliorum alborum, & omnia ex planta papaveris semen, cortices, flores, succus, opium, & ex hyoscyamo albo ejus semen, semen anethi, pœoniæ; cortex quoque sambuci, tiliæ & thymiamatis; ex aromatibus: crocus, nucista, macis; ex fructibus nuclei cerasorum, persicorum, amygdalæ amaræ, nux vomica. Porro asa fœtida, camphora, nitrum depuratum & artificiale, cinnabarina, nec non ex animalibus depromta castoreum, moschus, zibethum, axungia canis, humana, taxi, vulpis, lac, cremor lactis, vitellus ovi, lumbrici terrestres, rasuræ ossium, ut cornu cervi, dentis hippopotami, ungulæ alcis, unicornu animalis, eboris, lapidis manati, corii humani. Ex chymicis denique & præparatis: liquor noster anodynus mineralis, spiritus nitri dulcis, tinctura sulphuris volatilis, laudanum opiatum, Sydenhami, cydoniatum, hystericum, theriaca, diascordium Fracastorii, theriaca cœlestis, massa pilularum de cynoglossa, de styrace, pilulæ Wildeganfii, Starckii, syrupus papaveris rœados, chamomillæ, millefolii, oleum hyoscyami, lumbricorum terrestrium, pulvis antepilepticus Dresdensis, cujus basis carbo tiliæ, item artemisiæ, specificum cephalicum Michaelis, pulvis Marchionis, aqua antepileptica Langii, & aquæ ex floribus superius recensitis destillatæ, necnon unguentum populeonis.

Theoremata.

Sedantia hæc variis modis efficaciam suam tam in fluida, quam solida perficiunt. Paregorica quidem blandis, mucosis, sulphureis, tenuibus partibus, fibras a spasmo duras & strictas, ipso contactu relaxant, spicula vellicantia involvunt atque obtundunt, adeoque in doloribus, tumoribus dolentibus, acribus fluxionibus, in cataplasmate, emplastro, vel unguento apprime ex usu sunt, ut crocus, flores chamomillę vulgaris, meliloti, liliorum alborum, sambuci, malvæ, papaveris, folia hyoscyami, lac, cremor lactis, vitellus ovi, unguentum populeonis, ad ambusta, quod optime paratur ex malva, cortice arboris tiliæ, sambuci, oleo lini, ceræ.

Antispasmodica, quia plurimi morbi & symptomata, ut in sectione prima pluribus ostendimus, a spasticis stricturis & crispaturis vasorum & fibrarum nervearum tanquam causa proxima gignuntur, amplissimi in arte usus sunt, non vero una eademque ratione munere suo defunguntur. Vel enim ipsas fibras tensas, duras & constrictas immediato contactu molliunt atque remittunt, ut lac, præsertim asininum, oleum amygdalarum dulcium, emulsiones ex seminibus quatuor frigidis, amygdalis, pinguedines animantium, cremor lactis: vel blando sulphure vaporoso fluidi in nervis motum ferociorem complacant, qua virtute imbutæ aquæ ex floribus salviæ, fraxinellæ, acaciæ, tiliæ, sambuci, ulmariæ, persicorum, liliorum alborum, chamomillæ vulgaris, primulę veris, millefolii, nucleis persicorum, cerasorum, malorum Armeniacorum, cum aqua pluviali vel rore Majali destillatæ, quæ ob vim antispasmodicam, in convulsivis & epilepticis insultibus fructu adhibentur. Vel etiam quędam antispasmodica sulphure quodam tenui vaporoso ex regno animali, adeoque magis amico, effectum exsequuntur, ut lumbrici terrestres, castoreum, pulvis secundinæ humanæ, intestini lupi, viperarum, rasura corii & cranii humani, ungulæ alcis, dentis hippopotami, lapidis manati, necnon moschus & zibetum, quæ in convulsivis & epilepticis motibus ac in ipsa etiam chronica epilepsia insigni cum fructu usurpantur.

Ano-

Anodyna, & ad dolores leniendos somnumque inferendum accommoda facultate instructa sunt papaveracea, & quæ ex opio & croco, necnon cynogloſſa parantur, quæ vaporoſa ſua ſulphurea exhalatione nervorum, & membranarum tubulos pervadendo impetuoſum fluidi nervei motum compeſcunt, & ſic non modo in parte affecta, ſed & univerſo corpore motus cordis quoque & arteriarum ſedatiores faciunt. Nam uti ſub nimio motu & agitatione membranarum cerebri & nervoſarum partium vigilia præſto eſt, ita ſub earum quietiori & pacatiori ſtatu ſomnus obrepit.

Narcotica vero, quę torporem & ſtuporem ſenſibus ac profundiorem ſomnum inferunt, vapore ſulphureo ingrato & adverſo, quo motus fluidi nervei fere extinguitur, minus amice operantur, adeo ut in imbecillis lethalem ſomnum, in aliis etiam inſaniam excitent. Infamata hoc ſunt nomine omnia, quæ ex hyoſcyamo tam nigro, quam albo, ſtrammonio & ejus ſpecie datura, ſolano ipſiuſque pomis concinnantur.

Nonnulla etiam ex ſedativis ſpaſmos & dolores ſopiunt, ſomnumque conciliant, cauſas impedientes auferendo, qua virtute eminent quam maxime nitrum, purificatum vel artificiale, item cinnabarina & camphora. Nitroſa quippe tum æſtum, tum motum inteſtinum calidum partium ſulphurearum in ſanguine componunt, ſolidas partes humectant motuſque in iis exorbitantes quietiores reddunt, adeoque virtutem poſſident, refrigerantem, humectantem, anodynam antiſpaſmodicam egregiam. Cinnabarina dextre uſurpata in compeſcendis motibus epilepticis & convulſivis, qui a lympha ſubſiſtente viſcida in cerebro & ejus ac membranis ſpinalis medullæ oriuntur, egregii uſus, quia eandem longiori uſu potenter liquant. Camphora, præſertim cum nitro mixta, egregie diſcutit inflammationes, quibus ſemper vigiliæ, dolores, quandoque etiam deliria juncta ſunt, & ſic virtutem antiſpaſmodicam & ſedativam exſerit. Aſa denique fœtida & ſagapenum, quæ gummata graveolentem ſpirant vaporem, in ſpaſmis inteſtinorum ſedandis, qui fœminas in malo ſic dicto hyſterico mire excruciant & affligunt, duplici modo ſuam efficaciam exſerunt, partim quod ſpaſmos ac dolores ſopiant, partim etiam quod ſaponaceo gummoſo acri ſale humores tenaces reſolvant, & obſtructiones glandularum & minimorum tubulorum referent.

Corollaria practica.

I. Magnæ igitur ſunt efficaciæ hæc ſedativa, quæ ſubito etiam in exili mole ſua perficiunt, ob agiliſſimum elementum, dum ſulphurea vaporoſa exhalatione, penitus in interiores poros & partium ſolidarum tubulos pervadunt, & inſignem in mobiliſſima, quæ ſenſum, & motum partibus fœnerat, lympha, mutationem, ad motus effrænes complacandos, efficiunt. Sed uti in omni remediorum genere, leniora, & mitiora, ceu ſecuriora & naturæ magis amica, fortioribus magiſque activis præferenda ſunt; ita eadem cautio in antiſpaſmodicorum, anodynorum & ſedantium uſu ſolicite tenenda & ſerio inculcanda; nec unquam facile ad validiora, ut opiata, deſcendendum eſt, ubi leniora, aquæ ex floribus ſuaveolentibus hypnoticæ, vel emulſiva ex ſemine papaveris, vel etiam nitroſa, cinnabarina & caſtorina ſufficiunt.

II. Et licet opiata, per adjecta purgantia & balſamica, ut in pilulis Starkii, Wildeganſii, vel per alexipharmaca, ut in theriaca cœleſti, diaſcordio Fracaſtorii, vel per analeptica, ut in laudano liquido Sydenhamii, correcta, cum prudentia adhibita, virtute & uſu exi-

mio non deſtituantur: attamen ſi

alia suppetunt securiori modo operantia præsidia, quibuscum idem effectus obtineri potest, præstat ab illis abstinere, præsertim ubi debilia corpora, ætas senilis, infantilis, & vires variis de caussis prostratæ. Longe autem magis ab his cavendum, quibus narcotica admixta, ut sunt pilulæ de cynoglossa, præter opium etiam semen hyoscyami habentes, quibus tamen nostro tempore frequentius utuntur, quibus opiata alias mirum exosa; ego vero non semel etiam ab harum usu pessimum notavi effectum.

III. Utut olim opiatis correctis ipse quoque frequentius usus sim; ex quo tamen divina benignitas mihi concessit inventionem liquoris penetrantis & fragrantis aromatici saporis & odoris, ex ipsius vitrioli portione sulphurea, quæ etiam a veteribus Chymicis pro anodyna habita est, singulari quadam chymica encheiresi præparandi, ab omnibus aliis tuto abstinui. Hic quippe spiritus, quem liquoris anodyni mineralis nomine insignire soleo, totus sulphureus est, subito & flagrantissime ardet atque absumitur, & ocyssime a flamma candelæ, etiam tribus adhuc digitis remotus, flammam concipit, atque in calido conclavi subito in auras avolat; attactu tamen instar glaciei est frigidissimus, ac probe destillatus & rectificatus, omni aquæ instar olei supernatat. Usus vero hujus remedii ampliſſimus est, & virtus multiplex, dolores quippe egregie levat, & somnum conciliat, unde summo cum fructu in atrocibus colicæ, calculi, cardialgiæ & podagræ, capitis & dentium doloribus usurpatur. Sudorem quoque movet, ac licet ipse sit calidissimus, non tamen sanguinem commovet. Nullum præterea torporem nullamque debilitatem in capite relinquit, eamque ob caussam omnibus imbecillis, ubi vires summe prostratæ, ut in hectica febre, non sine fructu, & quod mirum, virium incremento, dari potest. Et quia ejus actio prima & præcipua in stomachum, in omnibus ventriculi morbis, nausea, inflatione hypochondriaca, asthmatica, cardialgia, incomparabilem flatibus exitum parando, edit virtutem.

CAPUT VIII.

De Specifica quorundam remediorum in certis morbis efficacia.

§. I.

RECensuimus hactenus omnis generis, quæ ad præservandum & curandum faciunt, remedia selecta & optima, eaque succincte in certas classes ratione virium, quas exserunt, & elementorum, quibus agunt, in genere redegimus. Quum vero attenta in artis exercitio observatione compertum habeamus, nonnulla sanitatis præsidia peculiarem, specialem, sive specificam præ aliis in certis affectibus possidere facultatem, eaque propter etiam usu & utilitate reliquis jam notis merito esse præferenda: utilem & gratum me præstiturum laborem judicavi, si ea, quæ longo usu exploratæ & in certorum morborum curatione spectatæ virtutis auxilia, enumerem & paullo specialius evolvam. Non autem, ut vulgi medicorum opinio fert, specifica nobis audiunt ea remediorum genera, quæ semper in omnibus subjectis certo & indubitato salutarem in morbis exserunt effectum, & nunquam medentis spem eludunt. Ejusmodi enim virtutis medicamenta nullibi sunt reperiunda, & falsa utique est persuasio, quasi operationes atque effectus formaliter insint pharmacis, & ab his tantummodo perficerentur, qui demum ex actione medicaminis, & reactione sive synergia ipsius corporis, resultant. Omnia quippe medicamenta agunt non tantum secundum sphæram activitatis suæ, verum etiam receptivitatem subjecti, ut, si idem remedium, eodem morbo decumbenti- *Dantur Specifica.*

bus

bus decem personis obtuleris, alius atque alius & differens in singulis consequatur effectus.

§. II.

Quo sensu intelligenda.

Fallax igitur, inanis & dubia est vulgaris illa de panaceis, arcanis & specificis contra hunc vel illum morbum præsidiis dolosa jactatio: & potius per specifica sic dicta medicamenta nulla alia intelligenda esse inculcamus, ac ea, quæ ejusmodi agendi viribus instructa, ut ad hunc vel illum morbum fanandum efficaciora sint magisque proficua. Nonnulla quippe ejus indolis elementa complectuntur, quorum singula ad expugnandam morbi causam aliquid conferunt, ut ex iis mixtum pluribus simul in morbo curandi indicationibus satisfaciat. Exemplo sit rhabarbarum, quod aliis laxantibus omnibus in diarrhœis palmam præripit, eo quod non modo evacuat, sed & amaritie balsamica acidos, & causticos succos cicurat atque contemperat, ac demum cessante purgatione, tonum intestinorum laxum nimis atque remissum, ob terreas subadstringentes quas recondit particulas, firmat iterumque adducit. Pariter manna in pectoris affectibus & tussi stomachali, quæ a cruditatibus acidis ortum trahit, ad repurgandam primam regionem, ob insitam, præter laxantem virtutem, ipsi dulcedinem copiosam, corrosivos, acidos & acres humores obtundentem ac demulcentem, omnia alia alvum subducentia longe antecellit. Alia remediorum hanc ob causam dicuntur specifica, quod eorum virtus in certo morbo ad certum edendum effectum, longa experientia innotuit, & abunde confirmata est. Hinc cortex chinæ specificum in sistendis intermittentium paroxysmis, opium in doloribus levandis, mercurialia in expugnanda lue venerea. Quædam specificorum nomen gerunt, quia partibus morbo affectis magis amica sunt, easdemque virtute sua quam maxime afficiunt. Sic partes nervosæ & membranaceæ cum ipsis nervis medicamenta subtili, aromatico, fragrante oleo imbuta quam optime ferunt, minus vero narcotica, opiata & constringentia. Ventriculus acidis delectatur, ut iis perfusus melius appetat & digerat; contra ea pulmonum bronchia ab iis offenduntur, & ad spasmos excitantur. Cantharides & infecta sale volatili caustico prædita, nec ventriculum, nec intestina afficiunt; renum autem tubuli urinarii, uretheres cum vesica ipsaque urethra, ab iisdem vellicantur, & spasticis agitantur strictu ris.

§. III.

In febribus intermittentibus in genere.

Sic concipienda virtus specificorum, quorum usus medico frequens, & in pretio esse debet: jam specialius paullo quę ex ipsis his vel illis vitiis dicata sint & magis appropriata dispiciemus. Et ad febres quidem intermittentes, maximeque earum paroxysmos compescendos, cortex chinæ nostro adhuc tempore quam maxime celebratur, hanc ob rationem, quia præter adstringentem, & febriles motus sistentem virtutem, quam cum aliis pluribus, ut vitriolaceis, aluminosis, radice tormentillæ ac bistortæ, communem habet, ob amaricans balsamicum elementum morbificam materiam corrigente & solida languentia firmante efficacia, splendet. Potest autem hic cortex vel in substantia propinari, vel in essentiam aut electuarium redigi, vel etiam, quod optimum, vino Rhenano infundi & leniter decoqui. Pariter ad specifica intermittentium referri solent flores chamomillæ vulgaris, a *Baglivo* mirum dilaudati, dum ob insitam amaritiem & oleum, & vim antispasmodicam in febribus quam maxime proficuam, & leniter etiam constringentem tonicam obtinent. Quod si vero pertinaces sunt hæ febres, & mirum refractariæ, in causis plerumque magnæ istius glandulæ pancreaticæ obstructio, ad quam tollendam mercurio dulci, regulo anti-

Contumacibus.

mo-

monii medicinali & sulphure antimoniali correcto, dextre ac prudenter usurpatis, nihil efficacius.

§. IV.

Quartana. Speciatim in quartana peculiari quedam efficacia splendet essentia rhabarbari & gentianæ, cum lixivio salis tartari & spiritu salis ammoniaci urinoso parata. Etenim in hac febre hepar & ejus vasa sanguine crasso, ductus biliarii spissa & lentescente bile, ac primæ viæ cruditatibus acidis eminentius confertæ sunt, eaque propter hoc medicamentum dum acidos succos contemperat & quasi dulcificat, stagnantem cruorem cum lentescente bile resolvit atque attenuat, inertem quoque bilem debita balsamica indole imbuit, & simul blande alvum vacuat, omnibus aliis merito anteponendum. Quando autem hæc febris adeo obfirmata, & contumax est, ut omnia alia remedia eludat, mercurius dulcis, vel diaphoreticus rite præparatus, efficacissimæ virtutis medium, necnon antiquartium Riverii, quod pariter mercurio virtutem debet. Ac licet mercurialia exhibita etiam salivationem moveant, eadem tamen non pertimescenda, aut periculosa est, sed potius ipsa succedente febris sæpe conquiescit.

§. V.

Inflammatoriis. Inflammationibus omnibus, quæ semper febre stipantur, nunquam periculo carent, & plerumque in partibus nervoso-membranaceis, pleura, bronchiis pulmonum, singulari quadam efficacia medentur nitrum purificatum cum momento camphoræ permixtum, demulcentia, leniter anodyna, emulsiva & diaphoretica fixiora. In primis nitrum in omni æstu febrili restinguendo omnia alia antecellit, eo quod præter virtutem, qua motum intestinum partium sulphurearum in sanguine figit ac complacat, obhærescentem quoque in vasorum angustiis spissescentem sanguinem ac lympham solvit & fluxilem reddit, & simul fibras rigidas & tensas humectando relaxat, adeoque antispamodicam exserit virtutem.

§. VI.

Malignis. Ubi maligna, hoc est in putredinem prona, humoribus inest dispositio, vel eti am per contagium ejusmodi miasmata illata, quæ ad inducendam corporis succis putridam corruptionem aptissima, in acutis non minus, quam chronicis, ego quidem camphora, præsertim nitro nupta, nihil deprehendi præstantius. Hæc quippe balsamica sua vi, crasin & mixtionem conservat atque tuetur, vim fermenti infringit, & perspirationem sine sanguinis exæstuatione intendendo, eliminationem sordium per cutis spiracula egregie promovet. Quod si febris, vel inflammatio malignitati complicata, camphora nunquam sola, sed semper nitro remixta exhibenda. Ad vires autem in omnibus fere, ac potissimum malignæ indolis morbis, penitus prostratas, refocillandas, cortice citri, ob oleum, quod complectitur, vix datur præstabilius, nec non cinnamomo ejusque aqua, non tamen spirituosa, sed cum succis fragrantibus, ut fragorum, rubi idæi & cerasorum, destillata. Ubi febris abest, oleum cinnamomi & cum eo artificiose confectum elæolaccharum, ad reparandas vires egregii usus. In ipsa peste, *Ipsa peste.* morborum maxime maligno, summum alexiterium dici meretur acetum, vel simplex, vel cum radicibus alexipharmacis & cordialibus artificiose præparatum. Succus quoque limonum, item pomorum citri, syrupus acetositatis citri, cum oleo de cedro conditus, ut acida, potenter resistunt putredini, cujus matrix & fomentum est principium alcalino-sulphureum exaltatum, ad humorum & proportionis mixturæ in iis dissolutionem corruptivam tendens.

§. VII.

Accedunt dolores, qui si ex spastica stri-

strictura oboriuntur, ut cardialgia, colica & ex calculo, liquor noster anodynus mineralis omnibus palmam præripit, utpote qui non solum blande anodynam & discutientem, sed etiam, quod aliis sedantibus plane negatum, roborantem egregiam facultatem custodit. Ubi flatus restagnant & incarceratis iis nervea ventriculi, & intestinorum tunicæ cum exquisitis torminibus distenduntur, corticibus aurantiorum, floribus chamomillæ, carvo & cymino, salubri discutiente effectu nihil superius, eo quod propter subtile vaporosum quod recondunt oleum, anodynum & mitigantem, ac propter amarum, aromaticum, acre, fragrans elementum, roborantem & tonicum effectum exsequuntur, quo fit, ut postea flatuum causa & minera, cruditates scilicet, commodissime possint ejici.

§. VIII.

Rheumatismis, arthritide. Neque etiam in aliis dolorum generibus probatissimæ virtutis auxilia deficiunt. Sic cruciatus artuum scorbuticos, rheumatismos, arthritidem vagam egregie levant lumbrici terrestres, vel succus ex ipsis expressus, vel pulvis illorum, præsertim cum absorbentibus, cinnabari & nitro remixtus, ac cum lacte asinino, vel sero lactis, largius & diutius usurpatus. Pulvere quoque antimonii crudi, si successive a minori ad majorem dosin ascendendo, a granis circiter decem ad drachmę dimidię pondus, quotidie assumatur, interposito leniori ex temperatis lignis decocto, diuturnas rheumaticas passiones & tractiones artuum molestissimas vidi sanatas. Ad podagram porro expugnan-
Podagra dam commendabilis quam maxime lactis asinini usus, priscis etiam teste *Plinio & Dioscoride* frequentissimus. Neque minus podagricos egregie solatur decoctum ex radice artemisiæ, scorzoneræ, sassaparillæ, chinæ, liquiritiæ, polypodii & hermodactylis, liberalius
Odontalgia. & aliquandiu haustum. In odontalgia rob sambuci interius ad unciam unam cum jusculo ad diaphoresin proritandam assumtum, & exterius in cerevisia solutum, qua cum os subinde colluitur, specificam certe & præsentaneam opem vexatis confert.

§. IX.

Pathematibus hypochondriacis & hysterici. Pathemata hypochondriaca & hysterica multum affinitatis alunt, & atrociam suam exserunt maxime inflando & spasmodice contrahendo intestina, ac demum universum nervorum systema in consensum pertrahendo: habent tamen spectata & experta quibus complacantur præsidia. Hæc inter præter thermas & acidulas, cum balneis & motu corporis, tanquam potissima, connumeranda etiam gummata & medicamenta inficeti odoris, ut asa fœtida, sagapenum, opopanax & castoreum, quę vel sola in pilularum formam compacta, vel melius cum purgantibus, ut aloe correcta, extracto rhabarbari, hellebori nigri, myrrha etiam & croco remixta, & crebrius, moderate tamen, usurpata, mirifice obvios spasmos complacant, tonum nervearum partium firmant, & simul viscidos, tenaces humores colliquant & blande evehunt.

§. X.

In affectibus capitis & nervorum In affectibus capitis & maxime nervorum, qui ex imbecillitate cerebri & totius systematis nervosi viriumque lāguore ortum trahunt, in hemiplexia scilicet, paralysi, sensuum imminutione, torpore & stupore actionum animalium, auditus difficultate, aurium tinnitu, syncope, vertigine, ventriculi & intestinorum debilitate, necnon diarrhœa & vomitu, nullum certe præstantius & præsentius mihi innotuit remedium, quam quod ex oleis cephalicis & aromaticis genuinis concinnatur balsamum liquidum, vitæ dictum, usu tam interno, quam externo, longe spectatissimæ facultatis.

§. XI.

Insaniæ Præterea insaniæ, tam furibundæ, quam

quam melancholiæ, præter sanguinis missiones, acidularum & thermarum usum, necnon emetica, nonnulla speciali quadam efficacia dicata celebrantur. Prisci, ipseque *Hippocrates* hunc in finem utebantur quam maxime helleboro albo, cujus virulentiam, *Alpino lib. de method.* teste, ita cicurabant, ut eundem cum oleo vel etiam oxymelite decoquerent, & antequam propinarent, lac largius potui præberent: sed exolevit jam penitus hic helleborismus, hanc forsan ob causam, quod recentiores helleborum colligendi & exhibendi genuinum modum ignorarint, de quo videatur *Schulzii dissertatio de helleborismis Veterum*. Neque tamen negandum, quod in helleboro lateat adversus deliria ipsamque insaniam virtus, in primis si ejus usus venæsectione & balneis ex aqua dulci, in omni amentia proficuis, secundetur. In ea vero mentis emotione, quæ potius ab animi affectuum vehementia, quam hypochondriorum obstructione oborta, lac asininum, nitrum & sanguis asininus, in pulverem tritus, eximiam demulcentem, effrenes nervearum fibrarum stricturas sedantem possident facultatem, & inter initia saluberrimam præstant opem, eo certiorem, si clima mutetur, & occasiones ad animum exæstuandum solicite evitentur.

§. XII.

Epilepsia. Epilepticum malum quo truculentius, & vel aspectu horribilius, eo magis medentes soliciti fuerunt de præsidiis ad abigendum illud. Et certe quamplurima passim quidem circumferuntur specifica antepileptica, sed an meliora ac certiora suppetant pulvere lumbricorum terrestrium, cinnabari, pulvere secundinæ humanæ, rasura cranii humani, ungula alcis & corio humano, ego quidem vix crediderim. Hæc autem licuti in epilepsia idiopathica & chronica conducunt; ita in symptomatica, palmam utique fert liquor noster anodynus mineralis, epilepticos egregie componens insultus.

§. XIII.

Asthmate. Ubi vesicularis & vasculosa pulmonum compages crassa, tenaci pituita firmiter inhærescente farcta & obstipata in asthmate, gummi ammoniacum, balsamus Peruvianus, crocus, opoponax, vel in pilularum consistentiam, vel cum tinctura tartari in essentiam redacta, usum atque utilitatem præstant incomparabilem. Quando autem *Phthisi.* pulmones phthisica labe affecti, si qua salutis spes, eadem quam maxime a lacte asinino, vel solo, vel fonti Selterano, qui idemtidem pulmonum vitiis apprime proficuus, confuso, exspectanda. Neque minus hoc nomine commendationem meretur sulphur stillatitium purum, in primis si cum pinguedine animantium, ut axungia humana, vel pinguedine canis recenti, item spermate ceti dissolvatur, & ad stomachum roborandum aliquot balsami de Copaiva, olei ligni sassafras & fœniculi guttulæ adjiciantur. Ea quippe sulphuris facultas, ut non modo partibus languentibus robur addat, sed simul dissolvat & discutiat spissescentes succos, qua certe in pulmonum affectibus, exulcerationibus, tuberculis, vomicis, ex stasi & condensatione viscosi & caseosi mucilaginosi, ex chylo præcipitati succi, obortis, egregie opitulatur.

§. XIV.

Hydrope. Præter phthisin hydropes difficillimis & fere insanabilibus morbis annumerantur, si tamen sanationem adhuc admittunt, elaterium certe apud Veteres magnæ famæ medicamen, quod per superiora & inferiora, si recte adhibeatur, aquas educit, & corpore prius rite præparato humoribusque fluidis redditis, præmissis quoque & sub ejus usu exhibitis emollientibus ac oleosis, vix efficacia par obtinet. Quia vero etiam urinæ fluxu hydropicus tumor absumitur atque abigitur, pulvis cantha-

ridum cum sale tartari mixtus, additis aliquot ad arcendam inflammationem nitri depurati granis, & uno camphoræ; diuresi movendæ largissimæ apprime inservit, modo humores ad hanc
Ictero. disposiri sint excretionem. Icterus quoque malum sæpe valde contumax est, sed præter emetica, quæ efficaciter in ductus biliarios agunt, congrua dosi & opportune adhibita, rhabarbarum, radix curcumæ & rubiæ tinctorum, præsertim si in aqua & vino, adjecto nitro & sale tartari, decoquantur, in regio morbo singularem prorsus edunt effectum, quem etiam infusum corticis medii sambuci, nisi corpus nimis debilitatum, viscidam bilem colliquando, & calculos ex canalium biliariorum alveis eliciendo, exsequitur.

§. XV.

Calculo In calculosa renum dispositione spectatissima infusi summitatum millefolii est facultas, quando quis eo crebrius, & diutius utatur. Nec eximia deneganda virtus fragis exsiccatis, fructibus alkekengi, cynosbati, semini dauci, ac potissimum cortici radicis acaciæ, si vel cum infuso ex aqua, vel cum spiritu juniperi temperatiori, sumantur. Inest enim ipsis virtus quædam traumatica, leniter balsamica & subadstringens, qua remissum tubulorum renalium tonum egregie firmant, substantiam renum exulceratam, & ex parte dissolutam conglutinant atque percurant. Amygdalis autem amaris, ob anodynum oleum, necnon oleo amygdalarum dulcium, sub ipso cruciatuum paroxysmo demulcens, & mitigans longe eximia inest virtus.

§. XVI.

Mensũ. Affectus sequiori sexui solennes, ex uteri & maxime mensium vel lochiorum vitio, præter aloen correctam, myrrha, croco, succino, castoreo & aristolochia rotunda, debita ratione in pilularem formam redactis, optime excipiuntur, eamque ob causam in iisdem nostro jam tempore maximam hocnomine adeptæ sunt famam pilulę Becherianæ, & omnes ad earum exemplar paratæ. In virili autem sexu ad corri- *Et hæmorrhoidũ vitiis.*
genda hæmorrhoidum vitia, post mannam, infusum vel decoctum summitatum millefolii saluberrimi effectus; eo quod hæc planta subtile spasmos leniens atq; demulcens oleum recondit, quod multum ratione saporis, odoris, & maxime coloris cærulei, convenientiæ alit cum oleo chamomillæ.

§. XVII.

Intestinorum canalem graviter exa- *Dysenteria.*
gitat, ipsumque corpus innumeris pene sedibus ferme exhaurit dysentericus morbus, contagio infestus, & ingentem sæpe stragem edens, qui pariter non quibusvis in alvi fluxibus proficuis, sed singularibus plane abigitur penitusque exstirpatur auxiliis. Nimirum radix illa Americana ipecacuanhę, experientia teste maximum antidysentericum, si modo initiante adhuc morbo, justa dosi, semel, vel bis, aut ter exhibeatur. Postea vero præter alia acrimoniam obtundentia, blanda diaphoretica & temperantia interne & externe adhibita, itemque rhabarbarum, ceu optimum laxans, cortici chaccarillæ certissima flaccidas intestinorum fibras roborandi & motus effrenes sedandi inest efficacia.

§. XVIII.

In intestinis quoque vermes varias *Vermibus.*
ludunt tragœdias, & horrenda sæpe excitant symptomata, quibus exstirpandis nonnulla peculiari quadam dicata sunt virtute, Græcis ob id anthelmintica vocata. Sed licet horum eximius circumferatur apparatus, non omnia tamen æque exspectationi respondent, & nulla magis probatæ efficaciæ sunt ipsa asa fœtida & sagapeno, præsertim si hæc cum purgantibus, ut mercurio dulci & extracto rhabarbari, in pilularum forma dentur, hac cum cautione.

quo

quo ante & post hujus virtutis pilularum usum, aliquot cochlearia olei olivarum, vel amygdalarum dulcium ingerantur, quod certe vermibus, ut omnia oleosa, quam maxime infensum, & fibras intestinales a vermium arrosione spastica strictura affectas, egregie mulcet, ac efficit, ut verminosa progenies per ani secessum exturbetur. Asa quippe fœtida & sagapenum nidore suo quem dispergunt adverso, vermes fugant, haud secus ac de allio domesticis & agrestibus experimentis constat. Semen autem cinæ, item santonici & herba tanaceti, utiliter etiam contra vermes quidem usurpantur, sed non aliter agunt, quam quod putredinosæ colluviei, quę vires frangit, lentumque infert calorem & languorem, resistant & simul tonum intestinorum firmando expulsionem facilitent ac juvent.

§. XIX.

Nimiis hæmorrhagiis. Quando nimium sanguinis, ubicunque sit, ex apertis vasorum osculis effunditur, promta ope & præsentaneis remediis opus est, ne graves insequantur passiones. Ac tum quidem ad compescendum cruoris stillicidium nitro in aqua communi soluto & successive oblato, necnon ad arcendam novam hæmorrhagiam, pulvere dentis hippopotami, repetitis maxime vicibus, vix quicquam præstabilius. Prodest tamen etiam massa pilularum de cynoglossa, ad grana sex vel octo, oleum & semen hyoscyami narcotica virtute pollet, ac sensum solidorum exquisitiorem obtundendo, efficit, quo minus per spasmos sanguis impetuose ad certum quendam locum urgeatur, ibique exprimatur. *Seminis fluxu.* In seminis fluxu, præsertim virulento, vix melius & præsentius suppetit præsidium terebinthina Veneta, ejusque oleo æthereo, vel loco hujus balsamo de Copaiva aut Mecca, quæ si cum vel sine camphora, in emulsione ex seminibus quatuor frigidis, lacte, vel sero lactis, post congruorum purgantium, præsertim mercurialium usum, propinantur, incomparabilem præstant efficaciam.

§. XX.

Scorbuto. Excipiunt morbi ex humorum impuritate oriundi, quæ maxima in scorbuto. Est hoc malum maxime endemium, a pravo victu, sub cœlo frigido, & humido, prognatum, & a vita sedentaria atque mœrore maxime exacerbatur; longa tamen experientia comprobata adversus illud remedia sunt sic dicta antiscorbutica, trifolium fibrinum, cochlearia, beccabunga, nasturtium, radix armoraciæ, quorum effectus eo magis exoptatus certusque, quum succus ex ipsis expressus cum sero lactis ex nostra præparatione dulci, vel etiam lacte caprillo, disposito prius corpore, assumitur. Quod si scorbutus jam inveteraverit, & doloribus stipetur, strobilos pini in sero lactis decoctos, addita medulla & pinguedine ex ossibus boum & vitulorum, continuato aliquandiu usu, eximie suppetias tulisse novi.

§. XXI.

Lue venerea. Truculentus ille luis venereæ nomine qui insignitur morbus, vix funditus ex interioribus quibus insidet partium latibulis eradicari poterit, nisi admissis specificis, inter quæ argentum vivum, lignum guajacum cum cortice, ipsumque antimonium rite præparatum primas tenent. Nullum enim in toto rerum naturalium censu suppetit pharmacum, quod tam potenter universam lymphæ & humorum massam in motum cieat, & largissimum salivæ ad aliquot interdum hebdomades durantem fluxum cieat, quam ipse mercurius, qui corpus subiens, ob specificam in minimis etiam moleculis omnibus succis superiorem gravitatem, ad intima corporis pervadit & per angustias tubulorum strenue eluctans, obstructiones in iis solvit, simul quoque humorum corporis crasin penitus immutat, eisdemque intestino quodam motu putredinosam quasi inducit colliquationem, & hac ratione, licet non sine

fum-

ſumma moleſtia, & quandoque etiam periculo, graviſſimum hunc morbum aliaſque chronicas contumaces, ex ſeri ſpurcitie ortas paſſiones, expugnat. Tutiſſimum autem ex mercurialibus ſalivandi ſcopo uſitatis eſt ipſe mercurius dulcis, ſi abſorbentibus nuptus per aliquot dies exhibeatur, aſcendendo a minori, ut quinque granorum doſi, ad majorem, duodecim ſcilicet granorum, donec ſaliva liberaliter fluere incipiat, obſervato ſimul convenienti diætetico regimine. Guajacum ſale ſubtili acri reſinoſo, quo aquam cui incoquitur imbuit, fibras vaſorum & tunicas vellicando, totam humorum, & lymphæ maſſam ad auctiorem progreſſum adigit, quo tenaces ſucci reſolvuntur, & obſtructiones referantur.

§. XXII.

Cutis deſedationibus. Ad lepram, herpetem & ſcabiem mali moris, necnon alias cutis defœdationes & ulcerationes, optimum auxilium ex viperis earumque decocto, nec non antimonio, ac præcipue ejus ſulphure diaphoretico, peculiari enchireſi confecto, ſperandum. *Plica Polonica.* Plica quoque ſic dicta Polonica, reſtitans aut præpoſtere abſciſſa, gravia invehit pathemata, ad quæ abigenda laudata virtus decocti herbæ & ſeminis lycopodii, quo caput ſæpius tepide abluendum; quandoquidem hac ratione ſerum illud viſcidum excrementitium, cerebrum & caput moleſte afficiens, per cutis qua caput tegitur tubulos ipſoſque crines ſalutariter ejicitur. *Epiphora.* Oculos ſi infeſtat falſa & calida defluxio, cui rubedo juncta, in ſic dicta epiphora, & noctu præſertim palpebræ a viſcoſo humore conglutinantur, pauxillum, & vel unum granum, vitrioli albi, cum butyro recenti ſubactum & orbitæ oculi majori inditum, admirabilem fert opem & promte vitium abigit. *Pelliculla & gutta ſerena.* Pelliculam viſum intercipientem recens viperarum pinguedo oculo inſtillata promte abſtergit; & guttam ſerenam incipientem egregie diſcutit ſulphur antimonii interius aſſumtum.

§. XXIII.

Contractura. Quando partes contractura & rigiditate afficiuntur, nihil præſentius eſt, quam membra afflicta crebrius in animalia recenter diſſecta, & adhuc calentia immittere, quo blando, oleoſo & naturali calido vapore foveantur fibræ tenſæ & molliantur. *Sanguinis congumatio.* Ubi poſt lapſum aut gravem contuſionem ac percuſſionem partium externarum, ſtagnantes, & coeuntes humores & ſanguinis varia creant incommoda, decoctum vel infuſum arnicæ omne fere curationis punctum abſolvit, ob ſingularem qua pollet incidentem, reſolventem & diſcutientem efficaciam.

§. XXIV.

Ad longævitatem. Ultimo loco dum de ſpecificis ſermo eſt, non prætermittendum laudatiſſimum illud & admirandæ prorſus ad valetudinem tuendam & longævitatem conſequendam præſidium diæteticum, Veteribus tantopere celebratum, lac aſininum. De hujus efficacia longe ſaluberrima peculiari egi diſſertatione *de mirabili lactis aſinini uſu in medendo*, in qua pluribus, quibus morbis debellandis ejus potus proficuus ſit atque accommodus, & rationibus & exemplis expoſui. Quam ſingulari autem virtute ad prolongandam vitam polleat, luculentum eſt *Patini* teſtimonium *tomo 2. epiſt. pag. 213.* & dignum quod totum verbis latine redditis tranſcribatur; *precor*, ait, *Summum Numen, velit conjugi Tuæ perfectam largiri ſanitatem. Elapſo decendio, lac aſininum erit admodum ſalubre, quod ut ipſi ex voto proficiat, opto. Si ipſam ad ſanitatem reducere poſſem, eras ſtatim Lugdunum properarem, quod vero nimis procul remotum. Galenus quidem ad Scabiam montem ægrotos ſuos ablegabat, unde ſani redibant, id quod confirmatum habeo nummo Imperatoris Getæ, quem Carolus meus aſſervat, ſignato imagine vaccæ, quæ hujus montis accolæ lactis præſtantiam indicare voluerunt. Suppetit etiam nobis Lutetiæ lac aſininum optimæ*

mæ notæ. Socrus mea, quæ octogesimo quarto anno apoplexia interiit, hoc per integros sexaginta annos usa est. Pariter a vigesimo secundo ætatis anno hoc lac potavit Domini consiliarii Laurentii mater, elapso anno, octogesimo septimo anno denata. Hujus soror vidua Andreæ Laurentii Anatomici, idem fecit, & ad octogesimum quintum annum pervixit. Et certe apud nos egregiam præstat opem, vere maxime & autumno, in primis ad arcendos morbos. Ego tamen ejus usum nemini suadeo, nisi viscera clementi, & accommoda purgatione depurata prius fuerint ac præparata.

§. XXV.

Specifica non promiscue juvant.

Atque hæc sunt selectissima & usu comprobata ex omni remediorum censu. Monendum tamen, quod quum hæc ipsa, ut supra jam inculcavimus, neutiquam viribus polleant absolutis, sed relativis, & certis conditionibus ac circumstantiis limitatis, in eorum usu harum in primis exquisita habenda sit ratio, quo speratus respondeat effectus. Deinceps singularis efficaciæ hæc quidem recte usurpata sunt remedia, sed nihil certe juvant, nisi prius corpus probe fuerit præparatum, & obstacula, quæ virtutem infringere aut impedire possunt, remota. Hinc quando sanguis in venis redundat, & primæ viæ sentina sordium obsessæ, necesse est, ut sanguis prius subtrahatur, & prima corporis regio a crudorum, bilioforum, & recrementitiorum succorum saburra repurgetur ac depleatur.

Et corpus præparandum.

§. XXVI.

Materia vitiosa corrigenda.

Neque etiam existimandum, specificis usurpatis, nullis plane aliis internis vel externis mediis, ad corrigendam humorum vitiosam qualitatem & evacuationem destinatis, opus esse. Etenim hæc specificæ virtutis medicamina, efficacia sua non tam materiã, quę in vitio est, quam potius ipsum motum afficiũt, eumque ad naturalem successum reducendo juvant, quod tum demum quam optime perficitur, quando caussæ morbificæ materiales sublatæ, & præmissis, quæ temperando, resolvendo, discutiendo & obstructiones expediendo humorum corrigunt vitia, appropriata debita proportione, opportuno tempore & modo convenienti in usum vocantur. In primis eo cura dirigenda, quo primæ viæ vacuæ sint succis viscidis impuris, quibus oblati medicamenti vis quam maxime obtunditur, vel plane suffocatur, quum his expurgatis, integra & salva sua textura ex voto agat, & in ventriculi ac intestinorum substantiam nervosam virtutem suam edat, eodem modo ac de emeticis, purgantibus, opiatis, analepticis, omnibusque, quæ exili mole magnum edunt effectum, constat.

Primæ viæ repurgandæ.

§. XXVII.

Et congrua methodus servanda.

Denique in specificorum usu accommoda servanda methodus, ita quidem, ut artifex non solum tempus, dosin, ac regimen teneat, sed etiam quamdiu iisdem insistendum, & quæ victus ac vivendi ratio simul injungenda, exacte calleat. Etenim methodus medendi specialissima, quæ unice in medentis prudentia, judicio, diligenti attentione, meditatione & observatione naturæ ęgrotantis consistit, tanti ad ipsum effectum est momenti, ut ipsis specificis & appropriatis solis longe sit anteponenda, & sine ea remedia, quantumvis egregia, alienæ & infructuosæ sint operationis, nec quicquam solidi in arte præstari queat. Et hæc quicunque studiose observat omnia, is certe desiderato potietur fine, quantum scilicet malo plus valet ars nostra salutaris.

CAPUT IX.

De venæsectione aliisque sanguinem subtrahendi modis.

§. I.

POsteaquam igitur plura & selecta remedia, quæ interno usu, cum in præcavendis, tum sanandis morbis, rite adhibita egregium præstant usum

uſum atque utilitatem, fuſius expoſuimus: ordo rerum dicendarum exigere videtur, ut jam etiam de illis agamus præſidiis, quorum uſus legitimus externus plurimum in medendo valet. Inter hæc vero primum atque præcipuum locum jure obtinet ſanguinis ſubtractio, ſive per venam ſectam, ſive alios modos facta. Et venæſectionis quidem tanta certe eſt efficacia atque utilitas, ut ſi effectum celerem, & egregium, quem præſtat, ſpectemus, revera omnia interna in morbis, tam avertendis, quam ſanandis, longiſſime exſuperet. Neque ullum remedii genus eſt, quod & operationis celeritate & tolerantiæ facilitate ſe ita commendet, & quod a primis fere Medicinæ incunabulis tam frequentis & laudati fuerit uſus, quam ſanguinis per venam ſectam evacuatio. Antiquiſſimus artis noſtræ parens *Hippocrates* eam nullo fere in morbo intermiſit, & Veteres fere omnes æque ac recentiores Medici, qui non vanis & inanibus in praxi præceptis innutriti, ea carere nequeunt, ut adeo merito inter heroica & ſummę virtutis remedia locum prȩcipuum mereatur. Sed quemadmodum nullum efficax remedium niſi provide & dextre uſurpetur juvat, imprudenter vero adminiſtratum nocet: ita etiam hoc ipſum auxilium cautionem, obſervationem & prudentiam in uſu exigit atque deſiderat. Quare e re utique erit, ut quæ tam de venæſectionis, quam reliquarum ſanguinis miſſionum, genuino ac ſalutari uſu tenenda, ediſſeramus, & quidem conciſis theorematibus, per ſubjecta ſcholia illuſtratis.

Theorema I.

Non excellentius, non præſentius, plurimos morbos, & acutos & longos, arcendos, ſuppetit auxilium, ipſa ſanguinis prudenter inſtituta miſſione.

Scholion.

In priori jam ſectione ex inſtituto docuimus, quam graves & periculoſæ paſſiones, ex nimia ſanguinis redundantia, item ex evacuationibus ejus criticis, quæ fiunt in feminis per uterum, & in utroque ſexu, maxime virili, per venas hæmorrhoidales, deficientibus, vel etiam ſuppreſſis, proveniant. Evidenter namque deduximus, quod plethora, tũ ad vaſa, tum ad vires, liberum & æquabilem ſanguinis circulum retardando & impediendo, ad colligendas impuritates humorum, ad hoſtiles ſtagnationes, infarctus, obſtructiones & funeſtas ſtaſes, imo extravaſationes & vaſorum ruptiones, occaſionem & cauſſam præbeat efficaciſſimam. Scilicet dum ſanguis copia ſua virtuti contractili & elaſticę cordis, arteriarum & reliquorum vaſorum fortiter obnititur, non modo progreſſivum per univerſum corpus motum remorando, ut cruor ſpiſſus & ad infarctus, obſtructiones, fęcundas morborum chronicorum matrices, aptiſſimus, evadat, efficit, ſed & in ſenſibilioribus ſubjectis atque in locis valde nervoſis, ſpaſticas ciendo ſtricturas, inæqualitatem in ſanguinis progreſſu, & magnas ac impetuoſas congeſtiones ad has vel illas nobiles partes cauſſatur, quæ graviſſimos in pectore, capite, & præcordiis morbos inducunt. Hos igitur omnes ancipites afflictiones venæſectio, tempeſtive & prudenter inſtituta, in iis præſertim corporibus, quæ ſanguine abundant, vaſa plena & ampla habent, & quibus ſanguis, nec per hæmorrhoides, nec menſes fertur, præſentiſſime prævertit. Quumque copia collecti ſanguinis vere, & quidem circa tempus æquinoctiale, ubi ob ſolis propiorem ad noſtrum clima ſitum, aer tenuior & rarior majorem in ſanguine expanſionem efficit, quam maxime periculum minetur, & morbos a plethora oriundos, teſte etiam *Hippocrate*, proferat, utique convenientiſſimum eſt, ante illud tempus decenti ſanguinis emiſſione ipſius redundantiam imminuere, & ſic futuris imminentibus morbis opportune occurrere eoſdemque præſcindere. Ne-

que vero semper opus est, ut adeo accurate illud æquinoctiale tempus observemus. Nam quando congesti sanguinis copia citiorem, & celeriorem vacuationem desiderat, vel quando mox sub finem Februarii & initium Martii serenum & tepidum cœlum expansionem ac turgescentiam sanguini, motui progressivo infensam, infert, non adeo rigorose constitutus æquinoctii terminus exspectandus, sed præstat tum anticipare eundem. Aliquot mihi nota sunt exempla eorum, qui ne a recepto discederent more, ad æquinoctium usque distulerunt hoc auxilii genus, sed increscente nimis plethora, apoplectico insultu ante illud tempus perierunt. Neque etiam audiendi sunt illi, qui vel lunam decrescentem, vel certam siderum constellationem, ut plurimum fallacissimam, quoad tranquillos & salutiferos in aere effectus, opperiuntur, sed mittendus est sanguis urgente plethora quocunque tempore, maxime si cœlum serenum & tranquillum, sub quacunque lunæ phasi, vel siderum conjunctione. Pari ratione pro valetudine eorum, qui sanguinem copiosum in venis alunt, est, ut circa æquinoctium autumnale iterum sanguinis detractionem admittant, ne cruor, accedente frigida hyemali aura, nimis spissescat & excretionum successu ob aeris varietatem & inclementiam feriante, sordescat, morbisque ex humorum impuritate & stagnatione oriundis occasio suppeditetur. Quin nonnullis eminentius sanguine repletis conducit, quoter quotannis venam incidi patiantur, initiante scilicet Martio, adulto Majo & Septembri, & sic corpus a morbis defendant.

Theorema II.

Uti copia sanguinis ejus detractionem exigit; ita ejus inopia & virium defectus eam interdicit.

Scholion.

I. Sanguinis copiam vasorum repletio pulsuumque magnitudo, victus solennis lautus & vinosus, quietum & tranquillum vitæ genus, & intermissio vel naturalis criticæ aut artificialis consuetæ evacuationis luculenter produnt; & hæc ubi præsto sunt, tuto & confidenter sanguinis detractio admitti potest. Contra ea quando corpus infirmum, emaciatum, pulsus debilis, ex inopia maxime sanguinis & virium, penitus est interdicenda, nisi præsentaneam noxam inferre velimus. Nam pulsuum in arteriis robur dependet maxime a copiosiori & vegetiori sanguinis ex sinistro cordis ventriculo in magnum arteriosum tubum impulsu; robur vero illud cordis ad expulsionem, a libero & sufficienti sanguinis per vasa coronaria in cordis substantiam, nec non fluidi nervei in fibras cordis influxu, proficiscitur; ideoque ubi pulsus parvus, debilis, ac languidus ex fluidi nervei sanguinisque boni parciori influxu, & ex ventriculis in arterias impulsu, nocentissimum est venam pertundere in quocunque subjecto & morbo, quia plus sanguinis & virium, quæ tamen jam tum deficiunt, exhaurit atque absumit.

II. Peccant subinde in eo medici, qui vel in morborum declinatione, vel si morbis præcedentibus, ut febribus aut enormibus hæmorrhagiis, alii morbi superveniunt, promti ad sanguinem emittendum sunt. Nil frequentius occurrit in praxi, quam quod fœminis, superato qui sanguinem, & vires consumsit morbo, mensium fluxus subsistat; quibus certe pessime consulunt, qui ad eum provocandum, vel pellentia, vel sanguinis evacuationes administrant; quum potius in id incumbendum sit, quo & analepticis, & lautiori diæta, sanguis & laudabiles humores prius de novo ingenerentur.

III. Virium dejectio quandoque non a defectu, sed nimia copia sanguinis

nis ſit. Obſervamus ſæpius in plethoricis juvenibus & viris pulſuum, qui antea fuerunt celeres; tarditatem & debilitatem; videmus quoque univerſi corporis & animi languorem inſuetum & ſomni defectum, ſub magna tamen arteriarum expanſione. Hæc autem ubi ſubeſt cauſa, ſuperfluum & arteriarum ſyſtolen ac motum mole ſua impedientem cruorem ſubtrahere omnino expedit; & hoc facto, pulſus illico crebrius atque validius micat. Sed prudentis utique & periti eſt medici, talem virium oppreſſionem a copia ſanguinis, etiam morbo præſente, probe diſcernere ab ea, quæ virium & ſanguinis inopiæ ortum debet.

Theorema III.

Poſt venæſectionem, ſæpe excretiones ſalutares ſanguinis, imo alvi, ſudoris, urinæ vacuationes melius, & liberius quam ante eam ſuccedunt.

Scholion.

I. Quia ſalutiferæ omnis generis excretiones ſanguinis circulum, prout ille celerior vel tardior, vegetior vel languidior eſt, ſequuntur; facile patet, ſi ob nimiam ſanguinis copiam ipſius motus progreſſivus una cum excretionibus fuerit retardatus, imminuta vaſorum plenitudine, augeri ſanguinis circulum, ipſum hac ratione reddi fluidiorem, excretoriorum & colatoriorum vias ab obſtructionibus liberari, & cruorem liberius & largius ad emunctoria pro ſubeundis excretionibus appelli.

II. Hinc ſæpiſſime annotavi, ſuppreſſum in fœminis menſium fluxum, brevi poſt venam in pede fectam ſponte repetiiſſe. Plura etiam mihi nota ſunt exempla, pertuſa paullo ante vena ſanguinem ex ani venis profluxiſſe, qui antea vel plane nunquam prodierat, vel per longum tempus reſtiterat.

III. Frequenti porro obſervatione compertum eſt, in plethoricis non modo, ſed & iis, qui ſpaſticis detinentur affectibus, urinam difficulter reddi, valdeque aquoſam & limpidam mingi, ſed protinus poſt emiſſum ſanguinem urinoſum laticem copioſiorem ſtillare magiſque tinctum. Idem jam pridem notavit antiquiſſimus *Cous Sect. 6. aph. 36.* inquiens: *difficultatem urinæ phlebotomia ſolvit, ſecare vero oportet interiores*; id quod etiam confirmat *Riverius Cent. I. obſ. 1. item obſ. 45. & 89.* ſidem faciens, admiſſa venæſectione, urinas, quæ antea prorſus aqueæ, redditas fuiſſe coloratiores.

IV. Neque minus experientia aliquoties edoctus ſum, in hypochondriacis, quibus alvus ſolenniter tarda atque compreſſa, poſt ſanguinis miſſionem, eandem eſſe ſolutam, & ad officium rediiſſe. Ratio hujus effectus procul dubio hæc eſt: in paſſione ſic dicta hypochondriaca ob difficiliorem ſanguinis per meſenterium & hepar tranſitum, vaſa nimium cruore replentur, ob diſtenſionem in eorum tunicis fit ſpaſmus & motus periſtalticus læditur, quo læſo nec flatus, nec excrementa, per alvum rite ſecedunt ac evehuntur; a vena autem tempeſtive in pede pertuſa, vel etiam quod non ſemel, ſed ſæpius obſervavi, evocato per hirudines ex ani venis cruore, reſtituto inde libero per tunicarum inteſtinalium vaſa tranſitu & progreſſu, & reddito inteſtinis debito motu ac robore, melius alvina quoque ſuccedit evacuatio.

Theorema IV.

Venæſectio ſæpius ſenibus utiliſſima, imo ad longævam vitam confert.

Scholion.

I. Communis, ſed peſſimus error eſt, ætatem ſenilem plane non ferre ſanguinis ſubtractiones; quaſi vero in grandævis non redundaret ſanguineus latex, ut potius ejus & virium defectu laborarent. Jam lubens equidem concedo non omnes ſenes eſſe plethoricos, & hinc ſanguinis detractione indigere,

nec etiam ætas per se ad repletionem vasorum quicquam confert. Verum sunt utique senes valentes, sani, firmi, vasis capacioribus instructi, qui bene appetunt, comedunt, & non tantum concoctu faciles, sed & difficiles cibos probe ferre & digerere possunt, ideoque neutiquam etiam dubitandum, quin ex bene concoctis alimentis copiosum chylum & copiosum sanguinem gignant & colligant, cujus florida facies & vasa sanguine turgida luculenti sunt indices. Accedit, quod non modo in virili, sed & in extrema ætate constituti, non raro modicum sanguinis per sedis venas profluvium cum constanti virium duratione commodissime ferant, ac ipse aliquot octogenarios novi, qui copiosum mictu sanguinem sine notabili virium decremento emiserunt. Quin potius quum senectus non adeo ad labores, exercitia & motus corporis apta sit & proclivis, eaque propter non æquali mensura & proportione egesta ingestis respondeant, sanguisque motu & calore minus consumatur, necessario nimia humorum succrescit abundantia, viscerum infarctus vasorumque plenitudo, quæ, nisi mature solvatur, morbos senibus familiares fecundo gignit germine, marasmos, tusses, coryzas, raucedines, artuum dolores, renum & vesicæ calculos, paralyses, urinæ difficultates, pruritus, scabiem ficcam, quæ afflictiones, utut proxime non a copioso sanguine, sed potius ab impuritate seri proveniant, hæc ipsa tamen a succorum copia, qua excretiones impuritatum intercipiuntur, natales trahit.

II. Complura certe memoria teneo exempla senum, qui ad nonagesimum annum fere, salvi, incolumes & a morbis ætate provectis familiaribus immunes vixerunt, solo venæsectionis remedio, bis per annum admisso. Et quod senectuti non adversa sit sanguinis per venam vacuatio, universa Helvetiorum gens testatur, qui vel octogenarii, immo nonagenarii, singulis adhuc annis venæsectionem patiuntur: quam in rem *Wepferus lib. de apoplexia* legi potest. *Primerosius* etiam *lib. 4. de vulg. error. cap. 23.* tribus exemplis confirmat, quod senes octoginta annorum sanguinis e vena missionem commode ferre possint, in gravibus, tam ab internis, quam ab externis causis pendentibus vitiis, id quod etiam a me in peculiari dissertatione, *de magno venæsectionis ad vitam sanam & longam remedio*, assertum est ac demonstratum. Neutiquam tamen ex his eliciendum, senibus debilibus & languentibus, qui appetentia ciborum carent, magnaque debilitate ventriculi & intestinorum laborant, suadendam vel commendandam esse venæsectionem, minime omnium vero, si cum morbo diuturno chronico conflictantur.

Theorema V.

Venæsectio in febribus continuis & acutis utplurimum & necessaria & utilis admodum est.

Scholia.

I. Miror sane haud exigui nominis viros venæsectioni alias eximie patrocinantes, confidentius tamen asserere, eandem in omnibus febribus acutis, benignis & malignis, exanthematicis, vel minus talibus, nunquam esse necessariam, sed semper fere noxiam unica tantum synocha excepta, nec in hac etiam absolute, sed tum demum, quando eminens plethora orgasmo stipata eandem exposcat. Dicunt quidem: frequentius observatum esse, admissa sub initium hujus febris sanguinis missione, periculosas circa statum sanguinis metastases & congestiones ad caput esse consequutas, lethalem phrenitidem cum convulsionibus inducentes. Autumant quoque, naturam corporis humani œconomiam magna semper cum sapientia regentem, his in febribus non sanguinis mole peccantis vacuationem, sed potius ejusdem per inten-

tenſiorem calorem in ſerum excrementitium reſolutionem cum materiæ noxiæ ſequeſtratione, intendere ; eaque propter contra naturæ inſtitutum ac finem ſanguinis eductionem adornari, & naturam in ſaluberrimo ſecretionis negotio turbari. At vero, & ratio, & conſtans experientia huic aſſerto refragatur. Plures certe novi juvenilis & virilis ætatis vegetos & ſanguine plenos hiſce febribus correptos, qui omiſſa venæſectione, intra paucos dies phrenitide, inflammatione ventriculi, faucium, vel etiam peripneumonia obierunt; ubi poſt mortem totum corpus mirum intumuit, & ipſe ichor ſanguineus largiter e naribus manavit, fœtor quoque mox graviſſimus cum putredine ſucceſſit, nullam aliam ob cauſam, quam ob inflammatoriam ſanguinis in partibus ſtaſin. Viciſſim multiplici obſervatione confirmatum habeo, unicam vel etiam repetitam ſanguinis in acute febrientibus miſſionem, non modo anxietates, ſed & alia ſæva ſymptomata imminuiſſe, vel plane ſuſtuliſſe. Ut taceam Gallorum morem, qui in omnibus febribus non ſemel, ſed bis vel aliquoties, venam cum bonis ægrorum rebus pertundunt. Metaſtaſes vero ſanguinis ad caput circa tempora critica venæ ſectionem ciere, fallacia cauſæ ut cauſæ videtur. Nam licet phrenitides & convulſiones malo ſucceſſu febre acuta laborantibus ſæpe accidant, eodem tamen modo, immo frequentius id evenit, ubi venæſectio omiſſa, quam ubi admiſſa. Et quum omnes fere in febribus acutis, phrenitide & convulſione pereant: certe ſi venæ ſectio horum cauſa, intermiſſa eadem, non facile quemquam acute febricitantem interire, prona fluit conſequentia.

II. Ego potius neutiquam aſſeverare dubito, ſanguinis miſſionem in febribus acutis ſæpiſſime utilem eſſe admodum ac neceſſariam. Etenim qui acutis corripiuntur, omnes plus ſanguinis & humorum abundantia, quam defectu laborant. Jam vero in comperto eſt, febris eſſentiam maxime in intenſione toni & ſpaſtica quadam conſtrictione univerſi generis vaſorum & fibrarum, a qua etiam & progreſſus ſanguinis & caloris ac æſtus incrementum dependet, conſiſtere, notum porro eſt, ſpaſmo vaſorum alveos anguſtari, calore autem ſuccos expandi majuſque ſpatium affectare; ideoque redundans & exæſtuans cruor libero per ſanguifera vaſa tranſitu excluſus, non poteſt non impetuoſe huc & illuc agi, & ad vaſa minoris diametri, quæ ſanguinem ſecundum naturam non admittunt, tanquam loca incongrua pelli inque eorum anguſtiis obhæreſcere ac ſtaſin concipere, unde periculoſæ inflammationes, nonniſi tempeſtiva ſanguinis detractione feliciſſime præſcindendæ. Uberius hoc patet peritiſſimorum in arte virorum teſtimoniis. Ipſe artis parens *Hippocrates de vict. acut.* §. 5. in acutis ſanguinis miſſionem ſerio commendat. Quin Veteres in ejuſmodi præcipitis periculi morbis ſanguinem ad animi uſque deliquium ſubtrahebant, uti potiſſimum auctor eſt *Galenus lib. 1. de rat. vict.* perhibens, hujuſcemodi miſſionem ſanguinis non tentandam eſſe niſi in acutiſſimis morbis, iiſque, in quibus robuſtæ vires, florens ætas, plurimus ſanguis, regio, aer & anni tempus bene temperata, quales morbi exiſtunt febres ardentiſſimæ, dolores ſæviſſimi, maximæ viſcerum inflammationes, carbunculi, ſynochus, laſſitudo phlegmonoſa, dolores articulorum vehementiſſimi. In his enim omnibus multo ſanguine ſemel vacuato, ſtatim quieſcit calor, quibuſdam alvus cietur, aut ſudores moventur, & ita ſolvitur, aut ſaltim minuitur morbus, teſte *Hollerio Comment. ad aphor. 3. ſect. 1. Hippocr.*

Theorema VI.

In febribus etiam exanthematicis, petechialibus, purpuratis, variolis, morbillis, quin ipſa peſte, venæſectio non prorſus intuta, ſed prudenter adhibita,

bita, magno interdum præsidio.

Scholia.

I. Haud levis momenti inter medicos viget dissensus: an in iis febribus, ubi pernicialis materia ad cutis superficiem appellitur, sanguis utiliter possit subtrahi? Complures affirmant, alii prorsus pernegant, utrique experientiā in partes advocant. Sed distinctio utique facienda, & circumstantiarum rationi hujus remedii usus accommodandus. Nimirum ubi succi deficiunt, vires statim in principio elanguescunt, pulsus debilis, durus & parvus, vasa copiosa, sed angusta, vel etiam robur per animi afflictionem dejectum, verbo: ubi malignitas humorum, ut cum scholis loquar, præsto est, damnosum magisque ad perniciem, quam salutem ægri vergens molimen est, sanguinem evocare. Etenim ad materiam non tam mole gravem, quam causticam, subtilem & virulentam, nervosis partibus infestam, eliminandam, valida cordis & arteriarum motrix vis requiritur, quæ a sufficienti sanguinis & fluidi nervei influxu exspectanda. Deinde ipsa hæc pernicialis materia expellenda nonnisi beneficio sanguinis, & humorum ad superficiem corporis advehitur, ubi vasa minoris diametri sunt, facile concidunt & nonnisi vegeto appulsu replentur. Quod si igitur quis succos & sanguinē, ubi jam deficiunt, & robur languet, adhuc subtrahere vellet: is certe grave afferret damnum, & nihil aliud efficeret, quam ut materia hostilis intus remanens, instar veneni solidorum & fluidorum motum perverteret, ipsamque mortem inferret.

II. Longe alia ratio est, si ob nimiam sanguinis copiam ejusque ab æstu febrili rarefactionem, cordis & arteriarum tunicæ tam vehementer distenduntur, ut systole earum imminuatur, ac sufflaminetur, eaque propter sanguis non vegete ac libere ad minimos cutis tubulos appelli, ibique materia quæ in vitio est se- & excerni queat. Tunc utique ipsa ratio dictitat, evocata quadam sanguinis portione, residuo ad validiorem circuitum viam pandi, resistentiam tunicarum succorum impulsui æquabilem, ipsumque systalticum & diastalticum reciprocum motum revocari, quo fit, ut sequestratio, & evacuatio noxii quam optime & ex voto succedat. Obvium hoc est sæpissime in corpore juvenili & plethorico, sanguineæ constitutionis, sub dieta lauta & vinosa, tranquillo etiam & quieto vitæ genere, aut ubi etiam ob intemperantiam animi affectuum excretiones imminutæ succorum abundantiam genuerunt. Hujus habitudinis corpora, quando purpura, petechiis, catarrhali benigna aut maligna febri, vel etiam variolarum morbo laborant, intermissa venæsectione certo in discrimen adducuntur; contra ea omnia ex voto succedunt, si plethora demta, liberior sanguini conciliatur progressus.

Theorema VII.

Non pernicioſa, sed quandoque admodum proficua est sanguinis missio in febribus, apparentibus jam in cute exanthematibus.

Scholion.

Per manus quasi tradita est opinio, efflorescentibus jam in corporis cortice petechiis, purpura, variolis & morbillis, nec sanguinem mittendum, nec alvum subducendam esse, ne maligna ad habitum corporis relegata materia irreparabili cum damno ad interiora retrahatur. Quamvis vero hęc observatio non exigui sit momenti, ipsaque experientia nitatur, non tentandam esse sanguinis subtractionem, ubi natura, ut sic dicam, in opere excretionis occupata, & ubi exanthemata non longam & fixam sedem in cute habuerunt: nihilo minus tamen dantur casus, ubi venę sectio comparentibus etiam efflorescentiis utilis est ac necessaria. Observavi enim in iis, qui purpura, sive primarius, sive secundarius morbus fuerit, variolis vel morbillis perierūt, vehemētes spasmos, tam in artubus & partibus extremis, quam etiam abdomine, quos ob ea-

tim

tim contractam, non modo exanthematum retroceſſio, ſed & ſumma anxietas, corporis jactatio, & ſæpius delirium cum animi deliquio fuerunt inſequuta; quę omnia lethifera ſymptomata non tam, ut vulgaris fert ſententia, a materia exanthematica interiora repetente, quam potius a ſanguinis impetu & congeſtione ad cor ac cerebrum facta, acceſſerunt. Hinc ſola ratione ductus, quatuor intra anni ſpatium puerperas, purpura laborantes, conclamatis propemodum rebus, ſola ſanguinis e vena brachii emiſſione, per DEI gratiam a præſentaneo mortis periculo vindicavi. Simul ac enim ſanguini exitus conceſſus, protinus præcordiorum anxietas animique defectio evanuerunt, & melius ſeſe habuerunt ægrotantes, ſumma cum Chirurgi & adſtantium, mortem ſub ipſa operatione præſagientium, admiratione. Eadem ratione in juvene, periculoſe variolis laborante, cum imminens delirium & ingens præcordiorum anguſtia mortem prænunciarent, venæ ſectionem in brachio ſummo cum ſanitatis emolumento inſtitui juſſi. Neque hæc aſſertio clariſſimorum medicorum deſtituitur conſenſu, quos inter primo loco memorandus ſummus venæ ſectionis patronus, *Cotallus*, qui *lib. de venæſect. pag.* 150. *ſeq.* teſtatur, ſe in bubonibus peſtilentialibus & aliis exãthematibus, ſi febris non remiſerit, ſummo cum fructu ſanguinis miſſionem ſuaſiſſe; ut *Muraltum*, qui *Dec.* 2. *An.* 7. *obſ.* 115. *M. N. C.* venæ ſectionem in febre epidemia, papulis per corpus ſparſis, ſalutarem annotavit, alioſque prætereamus.

Theorema VIII.

In morborum & febrium paroxyſmis atque exacerbationibus veneſectio non ſine periculo, die autem intercalari vacuo utiliter inſtituitur.

Scholion.

In paroxyſmis febrium intermittentium, in epileptico, hyſterico, necnon hypochondriaco inſultu, & quandocumque extrema frigent, vel interni calores & anxietates ęgrum exagitant, admiſſa veneſectio ſymptomatum vehementiam non modo acuit, ſed & mortis periculum arceſſit. Ratio hujus phænomeni in proclivi. Etenim morborum & ſymptomatum exacerbationes nunquam non ſpaſmi partium, præſertim externarum, ventriculi quoque & inteſtinorum comitantur, quibus ſanguinis liber curſus intercipitur, iſque majori impetu ad vaſa majora, pectus præſertim & cor urgetur. Si quis itaque in brachio vel pedibus, ubi omnia ſpaſmo conſtricta ſunt, ſanguinem evacuare inſtituat; is certe vehementiã ſpaſmorum his in partibus augebit. Nam quo largius atque uberius ſanguis his partibus ſubtrahitur, eo plus incrementi capit ſpaſtica fibrarum contractio; quum nihil ſit, quod ſpaſticæ huic criſpaturæ & regurgitationi ſanguinis ad interiora magis reſiſtat, quam validus cordis & arteriarum impulſus & liberalis ſanguinis renitentis ad partes affluxus. Hinc utique differre oportet ſanguinis ſubtractionem in diem intermiſſionis, vel remiſſionis, quo ſpaſmus conquievit, & liberior ſanguinis ad partes affluxus reſtitutus. Eſt tamen ubi etiam ipſo in paroxyſmo ſpaſtico venã aperire inſigniter conducit, non quidem in partibus ſpaſmo affectis, ſed iis, ad quas ſanguis maximo impetu graſſatur. Sic ſæpiſſime contingit, ut a ſpaſmo partium abdominis, immo pedum, qui frigore horrent, ob incuſſum terrorem, aut aliam cauſam, ſanguis ad pectus & caput impetuoſe agatur, ipſamque apoplexiam vel ſuffocationem minetur; quo in caſu utiliſſime & cum præſentaneo levamine vena non partium inferiorum, ſed ſuperiorum in brachio, pertunditur.

Theoremæ IX.

Datur levior apoplexiæ ſpecies, quam ſola tempeſtiva ſanguinis miſſio diſcutit.

Scholia.

I. Quando vel ex vehementiori animi affectu, præſertim terrore, vel graviori inferiorum partium ſpaſmo, ſanguis cum impetu ad caput latus, vaſa

membranarum cerebri arteriosa copia ita distendit, ut motus eorum systalticus sufflaminetur, species fit apoplexiæ levioris. Est hic affectus fœminis sic dictis hysterieis, sanguine plenis & sensibilioris corporis ac animi admodum familiaris, & a vulgo & imperitis medicis pro animi deliquio venditatur, a quo tamen longe multumque differt. Etenim sub animi defectione cordis & arteriarum pulsus silet, facies pallida est, & spiritus plane intercluſus: in apoplectico autem hoc leviori insultu, omnis, sensuum tam internorum, quam externorum, usus perit, membra immota jacent, cor vehementi palpitatione concutitur, pulsus magnus & celer micat, & facies intumescit, ac rubore suffunditur. Neque tamen mitior hæc apoplexia oritur a disruptis vasis, quod incurabile malum, neque a seri secessu, qui in paralysin terminatur, sed a sola stagnatione sanguinis in canalium nimis distentorum alveis subnascitur. Compertum enim ex anatomicis est, arterias carotides & vertebrales etiam, quam primum calvariam subeunt, & per cerebri membranas excurrunt, crassiores suas tunicas, quibus alias in toto corpore arteriosa vasa vestita sunt, deponere: eaque propter non mirum est, a copia & impetu sanguinis ad cerebrum delati, vim eorum contractilem elasticam, cujus beneficio sanguis ulterius in venosos capitis sinus protruditur, minui & solvi, sicque sublata carotidum systole, cruorem in vasis membranarum cerebri plexuque choroideo nimium distentis stagnare & hinc sequestrationem atque influxum liquidi nervorum, a quo motus & sensus, intercipi, istudque in motu sisti. Quæ quum ita sint, jam facile liquet, ad restituendam systolen, sanguinis per caput liberum progressum, & liquidi in nervos influxum revocandum, vix præstantius & aptius dari auxilium, sanguinis sufficiente, ex aperta amplo foramine brachii vena, detractione; ita enim intra breve temporis spatium mens, sensus, motusque corporis ad officium redeũt.

II. Perperam autem ægrotantium ita affectorum rebus & saluti consulunt, qui ob minus perspectas hujus mali causas, venam in extremitatibus inferioribus aperire suadent, quia hę partes plerumque in ejusmodi accessione spasmo constrictæ, frigidæ, & a loco affecto nimis remotæ sunt, quo ipso impeditur, quo minus sanguis commode derivari queat. Quin aliquoties observavi, in corporibus, ubi totum nervorum systema ad spasticas contractiones valde proclive, & extrema semper erant frigida, a venæ sectione, eaque parciori, intra aliquot horarum decursum vehementiam spasmorum in inferioribus magis increvisse; qua postea sanguis ad caput impetuose propulsus, insultum, quem descripsimus, apoplecticum peperit, adeo subinde invalescentem, ut nisi tempestiva sanguinis missione fuerit discussus, ægrum jugularit, aut minimum paralysi memoriæque debilitate affecerit.

Theorema X.

Morbi capitis a sanguinis congestione vasorumque distensione oborti exigunt venæsectionem, in vicinis tamen partibus instituendam.

Scholia.

I. Vehemens & contumax capitis dolor, narium frequens stillicidium, insania, melancholica, vertigo, ophthalmia, capitis erysipelas, necnon laryngis & pharyngis inflammationes, sæpissime ortum trahunt a spasmis, nimia sanguinis ad superiora congestione & gravi vasorum distensione, præsertim in hypochondriacis, vel ubi ventriculus cum intestinis flatibus & scybalis turgent, vel spasticis constrictionibus laborant, quibus liber & æquabilis sanguinis circuitus intercipitur, ut magna copia & impetu ad alias partes, maximeque caput ruat, ibidemque morbos hos inducat. Et tum quidem ad derivandum sanguinis impetum omneque arcendum periculum, in loco capiti vicino, fronte scilicet, temporibus, sub lin-

lingua, item in collo, ſecare expedit.

II. In gravi quidem cephalalgia, ophthalmia, angina, venæ ſectio ſub lingua ſemper utiliſſima; in phrenitide vero, melancholia & capitis a cauſa interna dolore, vena jugularis externa commodiſſime aperitur, aut ſi hæc ab imperito Chirurgo inveniri non poteſt, vena ſecundum longitudinem frontis exporrecta, quæ jugularis externæ ramus, collo prius ſub mento conſtricto & ſpiritu retento, pertundenda. Solennis jam fuit hujus frontalis venæ inciſio antiquiſſimis temporibus, teſte *Hippocr. Sect. 5. aph. 68.* ſic perhibente: *parti capitis poſteriore laboranti in fronte excurrens vena inciſa prodeſt.* Confirmat hoc *Hollerius comm. in h. a. conſtat*, inquiens, *experientia, quod hac phlebotomia multi derepente a capitis dolore liberantur. Alexander* quoque *Trallianus l. 1. c. 13.* mirifice in phrenitide ſanguinis e vena frontis miſſionem commendat, eademque phreniticum momento ſe curaſſe teſtatur: & *c. 16. de melancholia* ſcribit: *ſi humoris ſanguinei materia cerebro impacta fuerit, tunc audacter vena in fronte ſecatur: nam ob totius corporis vacuationem, ſi loco jam remedia adhibeas, nihil nocebit.*

III. Licet ſectio venarum capitis, in fronte, pone aures, jugularis externæ, ſublingualis, in morbis, qui caput gravius offendunt, experientia teſte, eximiam conferat opem; id tamen non univerſale eſt, neque omnibus omni tempore convenit, ſed ſimul cõſideranda eſt ipſius corporis conſtitutio. Nam ſi ejuſmodi capitis morbis magna vaſorum plenitudo juncta, vel etiam ſpaſmi vehemẽtiores in inferioribus, ſanguinem ἀθρόως & cum impetu ad caput urgent, verendum eſt, ne dato per apertam ibi venam vacuo ſpatio, major cruoris copia eo invitetur. Quapropter Veterum peritiſſimi, unanimi ſuffragio, ut vena ſimul in brachio vel pede ſolvatur, ſuadent. Sic *Trallianus l. 1. c. 16. ſi*, præcipit, *circa caput aliquid moliri cogites, priuſquam totum corpus recrementis liberum reddideris, offendes magis, quam juvabis, copioſiorem materiã ad locum affectum attrahens.* Neque minus *Hollerius comment. in aleg. aphoriſm. ſi dolor eſt*, ait, *in capite cum corporis plenitudine, oportet primum cubiti venam aperire, deinde ſecare venam frontis; ſi nulla adeſt plenitudo, tuto venam frontis ſtatim ſecabimus; ſique dolor capitis eſt per conſenſum; v. g. a ſuppreſſis menſibus, primum ſecanda eſt vena malleoli, deinde cubiti, tum frontis; ſi cœperit dolor a diaphragmate aut hepate, aperienda vena cubiti, poſt veniendum ad frontem;* & quas plures adhuc de inciſione ipſa tenendas cautiones ſubjicit.

IV. Ad ſectionem venarum, quæ linguæ ſubſtratæ ſunt, in angina, quod attinet; pariter notandum, & eandem cum periculo in corpore plethorico tentari, niſi plethora prius per apertionem venæ in brachio ſoluta fuerit. Obſequendum itaque eſt conſilio *Tralliani*, quod *l. 4. c. 1. de angina*, proponit: *ego* inquiens, *ſane novi, cum uſus valde urgeret, me venam cubiti mane aperuiſſe, diluculo linguæ ſubjectas ſetuiſſe, & veſperi ex cremore ptiſanæ lacrimam ſcammonii exhibuiſſe, atque ita anginam percuravi.* Pergit deinde: *novi etiam jugulares venas a me ſectas eſſe, cum linguæ ſubjectas non invenirem, ac plurimum adjuviſſe.*

Theorema XI.

In morbis pectoris, ut pleuritide vera & peripneumonia, inciſio venæ in brachio ſæpe ſumme eſt neceſſaria.

Scholion.

Utut pleuritis ſpuria, quæ rheumatiſmi, ſive doloris arthritici ſpecies eſt, a ſero acri intra membranam pleuræ, coſtas cingente ſuborta, non ſemper ſanguinis miſſionem poſcat, ſed ſæpe ſola diaphoreſi feliciſſime tollatur; lõge tamen alia ratio eſt pleuritidis veræ & peripneumoniæ, quarum illa nonniſi levior, hæc profundior pulmonum inflammatio eſt, a ſtaſi ſanguinis firmius impacti pulmonum vaſis

pro-

prognata. In his enim utique sanguinis subtractione, quin non una, sed quandoque si corpus sanguine diffluit, & plethora urget, reiterata opus est, ad incrementum inflammationis impediendum, quod fit, quando sanguis nimium in vasis congestus, stagnans, & progressu libero excluſus, per proximum locum ad meliorem derivationem ex incisa vena evocatur, & quidem facta paulo ampliori incisione, quo eo citius & promtius impetu acquisito descendere & a pulmonibus derivari possit.

Theorema XII.

Triplex venæ sectionis eximius usus, evacuatorius nempe, revulsorius, & derivatorius.

Scholia.

I. Evacuatorius venæ sectionis usus dicatus est minuendæ sanguinis plenitudini, & hoc proposito, nihil interest ex quacunque parte ipsum detraxeris. Derivatio ex usu est ad sanguinis fluxum ex parte affecta in alia loca opportuna adducendum & invitandum, quo ibi evacuetur. Sic in affectibus, qui abdomen excruciant spasticis, flatulentis, & qui a fluxu mensium & hæmorrhoidum impedito vel suppresso eveniunt, tutius secatur vena pedis, quām brachii, ad derivationem. Hinc recte *Hipproc. lib. de nat. hum.* §. 20. inculcat: *oportet venæ sectionem in doloribus dorsi & coxendicum in poplitibus & malleolis efficere*. Et *Severinus de efficaci Medic. c. 26. pag. 62.* tradit: in dolore nephritico præcavendo, in promovendis hæmorrhoidibus, purgatione lochiorum, in ani inflammatione & prolapsu, in sanguinis vomitu, in ischiatide venam pedis secari quam felicissime. Contra ea in affectibus capitis, apoplexia, lethargo, mania, melancholia, phrenitide, catarrho suffocativo, asthmate sanguineo, hæmoptysi, pleuritide, peripneumonia, inflammatione hepatis spuria, sanguis mole & influxu peccans ac cito derivandus felicius & utilius ex proximiori loco, brachio nempe, exantlatur. Revulsio vero, seu potius avulsio, fit, quando sanguinis impetus ex partibus inferioribus ad superiores, sursum quasi retrahitur, sive revellitur. Ita in nimio mensium vel hæmorrhoidum fluxu utiliter vena secatur in brachio. Idem commode fit in gravidis ad abortum præcavendum, si vasa uterina a sanguine nimium infarcta & distenta sunt, ut pondus uteri deorsum tendentis, inferioribus quodammodo molestum fiat & onerosum.

II. Usus venæ sectionis derivatorius & revulsorius caute atque prudenter administrandus. Nam si obstructiones vasorum a sanguine impacto submovendæ, non adeo largam, sed parciorē ex loco vicino portionem subtrahere expedit, quod reliquus ad partē laborantem majori impetu ruat, & obhærescentem in minimis vasculis elidat; eo quod a parciori sanguinis missione restitans in venis majorem a celeritate vim acquirit. Hinc est, quod apertio venæ saphænæ non raro mensium fluxum in momento restituat, & hæmorrhoidale stillicidium segnius incisione venæ in pede promoveatur & expeditius reddatur; quum contra subtracto in manu vel etiam in pede nimio sanguine, sæpe effectus obtinēdi deficiant. Si morbus vero est inveteratus, & tanta vasorum obstructio, ut tolli nequeat, tum in corpore plethorico apertio saphænæ plus nocet, quam prodest, quia sanguinem versus uterum uberius allicit, ut major vasorum obstructio inde nascatur. Neque in hemicrania, seu capitis dolore contumaci, vertigine chronica, melancholia, venæ sectio in fronte quippiam adjumenti afferre potest, quia major inde sanguinis ad caput affluxus proritatur, & vasa membranarum cerebri obstructa magis infarciuntur, sed præstat tunc sanguinem ex inferioribus ducere. In malo ischiatico recenti venæ sectio in pede præsentaneum sæpe conciliat levamen, in diuturno vero malo neutiquam, sed incremento favet. Tutius itaque, si corpus succis & sanguine farctum, cum

Hol-

Hollerio Commentar. in Sect.4.aph.36. primum venam ſecamus in brachio, deinde iſchiaticam, ut non in uno, ſed in diverſis locis ſanguis revellatur. Ac ibidem apprime ad veritatem hic auctor ſcribit; quod in dyſuria, ſi fit ab infarctu renum a ſanguine, item in inflammatione veſicæ, primum incidenda ſit vena brachii, deinde etiam ſtatim ſubjungenda ſaphæna in malleolo, aut poplite. Ex quibus omnibus plenius innoteſcit, in loco admodum vicino ſectionem fieri poſſe, ſi morbus eſt recens, & cauſa mobilis, neque adeo magna vaſorum plenitudo; ubi vero diutius traxit ægrum, vel corpus nimium ſanguine redundat, tum prius in remotioribus partibus, deinde in vicinis, venas aperire convenit.

Theorema XIII.

Multum intereſt, ut juſta ſanguinis quantitas evacuetur, & quandoque reiterata venæ ſectione opus eſt.

Scholia.

I. Ætate adoleſcentes, vel tenerioris texturæ homines vaſiſque tenuioribus prædiți, & feminæ quæ facile incidunt in animi deliquium ob largiorem ſanguinis miſſionem, abſtinere ab ea debent, ſed potius, ſi venæ ſectione opus anguſtiore foramine, neque ſimul & ſemel, ſed plaga aliquoties digitis compreſſa, gradatim ſanguis mittendus his eſt. Fœminæ vero poſt annum quinquageſimum, quo ordinario menſium fluxus deſinit, largiorem poſtulant ſanguinis extractionem, quod etiam valet in viris robuſtis, qui magna habent vaſa, & ubi ſub lauto vitæ genere conſuetus hæmorrhoidum fluxus ceſſare incipit. Vernali tempore, præſertim Majo, corpora largiorem ſanguinis e vena fluxum ferre poſſunt, quam tempore æſtivo, vel autumnali: parcius vero ſanguis venis eximendus eſt, in nimiis hæmorrhagiis, ut hæmoptyſi, in enormi menſium vel hæmorrhoidum fluxu; neque etiam ante menſium ordinarium tempus multo ſanguine corpus ſpoliare conſultum, ne ſubſequuntur fluxus, vel plane ceſſet, vel imminuatur.

II. In febribus omnibus inflammatoriis, item exanthematicis, ſi ob nimiam ſanguinis copiam opus eſt ejus miſſione, curatius paullo circumſpiciendum eſt, ut juſta emittatur quantitas. Nam ſi ſub nimia ejus abundantia tantum parva portio educitur, ad unam vel alteram unciam, expanſione ſanguinis orgaſtica inde magis ſæpe increſcente, nihil juvat, ut potius plus obſit, inflammatio inde augeſcat & exanthematum eruptio minime promoveatur; ſi vero ſupra modum & magis quam par eſt ſanguis e vena hauritur, tunc pariter plus detrimenti, quã emolumenti affert; ſiquidem expulſio exanthematum, quę per ſanguinem ad ſummam cutim delatum fieri debet, impeditur, ut materia corrupta ſumma cum pernicie intus maneat. In peripneumonia & pleuritide nimia ſanguinis detractio impedit expectorationem & diſcuſſionem inflammationis, quæ etiam mediante ſanguine fieri debet. In rheumatiſmis, eryſipelate, doloribus arthriticis vagis & fixis, etiam hæc obſervatio, ut juſta ſanguinis quantitas ad morbum curandum relinquatur, neceſſaria, id eſt, ne vel nimium vel adeo exiguum evacuetur.

III. Si plethora, tam ad vaſa, quã ad vires, nimis urget, magna ſæpe ſanguinis portio, interdum ad libram unam medicam, ex venis exantlanda eſt; ſi vero parum extrahitur, ſanguine majus ſpatium inveniẽte, plus ejus elater intenditur, magis expanditur, & ſæpe majori cum impetu in affectam partem irruit. Obverſantur adhuc animo noſtro exempla, ubi in eminenti plethora per parvum foramen duabus tãtum circiter unciis eductis, intra paucas horas inſultus apoplecticus ſequutus fuit, qui largiori venæ ſectione in brachio, ad uncias octo, feliciter ſublatus. Memini quoque a fluxu hęmorrhoidali, vehementia frigoris ſuppreſſo, in Principe plethorico ſummas prę-cordiorum anxietates fuiſſe ſubortas,

ubi

ubi secta fuit vena in pede, qua non ultra quatuor uncias sanguinis emissum, consequente symptomatum exacerbatione, anxietatis scilicet præcordiorum, vigiliarum, inquietudinis, spirandi angustiæ, quæ tamen omnia repetita ad septem uncias sanguinis missione, & quidem in altero pede, protinus conquieverunt.

Theorema XIV.

Rheumatismos, catarrhos, coryzam, tussim, venæ sectio improvida sæpe gignit; tempestive autem admissa egregie arcet.

Scholia.

I. Observatio in praxi medica attenta sæpius nos docuit, a vena secta, præsertim vere & autumno, tempestate non adeo placida & serena, complures post aliquot dies in graves catarrhos, coryzas, tusses, passiones rheumaticas & febres catarrhales incidisse, idque familiarissime, si non probe vestiti, corpus auræ frigidiori & humidiori, maxime vespertinæ, objecerunt. Id enim fere perpetuum est, sub paullo largiori sanguinis missione perspirationem minui, adeoque humores per tubulosum cutis corticem sub forma vaporis evehi solitos in interioribus quodammodo remanere: id quod frequentius evenit, si corpora sunt spongiosiora, & vasis exilioribus prædita. Neque ratio hujus effectus adeo latet. Nam detracta notabili sanguinis portione, vascula, præsertim minora & extrema, antea sanguine distenta, nunc detumescere & vacua fieri incipiunt. Et quum exquisitus admodum & sensibilis tonus in subcutaneo integumento vigeat, fit, ut sub auræ frigidioris accessu, fibræ cutis elasticæ contrahantur, ipsique tubuli sudoriferi sic occludantur, unde recrementa sudoris non modo in corpore remanent, sed & ab exterioribus ab interiora, præsertim faucium & bronchiorum loca glandulosa, vel etiam ad articulorum glandulas mucilaginosas, vel ad eorum ligamenta glandulosa, feruntur, ubi serum valde acre, salsum, stagnans, molestas irritationes vasorumque constrictiones efficiens, cursum liberum impedit, unde secessiones seri, dolores, ardores, & copiosi humoris affluxus suscitantur.

II. Quemadmodum vero ex improvida, vel nimia sanguinis emissione catarrhorum fons & origo promanat, ita crebriori observatu constat, venæ sectionem prudenter vere & autumno institutam, & quotannis repetitam, complures a coryza, gravedine & tussi anniversaria liberasse; maxime eos, qui antea sanguinis copia laborarunt, nunquam tamen venæ sectionem admiserunt. Vernali enim tempore ob majorem aeris rarefactionem & elasticitatem, turgent maxima sanguinea vasa propter sanguinem a subtilioris ætheris accessu magis expansum. Si itaque omittitur sanguinis, vel a natura, vel arte facta vacuatio, sanguinis & humorum in locis maxime laxis, mollibus, glandulosis promtæ ac faciles fiunt stagnationes, decubitus & seri secessiones; quæ omnia mala per opportunam sanguinis ventilationem præscindi possunt.

Theorema XV.

Colica flatulenta uti a venæ sectione nonnunquam exacerbatur: ita convulsiva & hæmorrhoidalis eadem sæpe levatur & abigitur.

Scholion.

Origo flatuum, qui intestina obsident atque molestе distendunt, pendet frequentissime ab intestinorum atonia, sive labefactato eorundem peristaltico motu. Nam sicut vigore hujus motus, & flatus, & alia in intestinis contenta, inferiora versus pelluntur: ita imminuto, vel destructo eo, ingens flatuum, præsertim in flexuris coli, circa hypochondria, proventus fit atque stagnatio. Hæc vero intestinalis atonia maxime originem suam ducit a defectu laudabilis fluidi nervei & sanguinei, quare senes, itemque a morbo convalescentes, vel affectu animi diuturno debilitati, nec non homines phlegmate abundantes, & infrigidantibus ad-

admodum cibis veſcentes, colica frequentiſſime laborant, quæ non ſanguinis imminutione, ſed medicamentis carminativis, balſamico & aromatico elemento inſtructis, quam feliciter ſanatur. Alia vero ratio eſt colicæ ſic dictę ſpaſmodicæ, ſive convulſivæ, quæ a ſanguine inter tunicas inteſtinales hærente eaſdemque cum vehementia diſtendente naſcitur, ubi ſanguinis tempeſtiva e pede miſſio, non modo ab hoc calamitoſo malo præſervat, ſed & illud ipſum præſentiſſime mitigat, quod etiam *Riverius* jam *Cent. 1 obſ. 44.* recte annotavit.

Theorema XVI.

Tam ante, quam poſt venæ ſectionem quædam utiles tenendæ cautiones.

Scholia.

I. Non facile, niſi ſumma neceſſitate urgente, in ipſo æquinoctio vel ſolſtitio, in plenilunio etiam & novilunio, vel die pluvioſo & turbido, venarum ſectio celebranda eſt; ſed conſultius eſt, aliquot dies ante hæc tempora & die ſereno præſervationis cauſa hoc inſtitutum perficere, hanc maxime ob rationem, quia circa hæc tempora menſium fluxus ordinario incidũt, & plures ex morbis ſpaſmodicis, paroxyſmi epileptici, & qui hypochondriacis & melancholicis ſunt familiares, redire ſolent, ante quorum acceſſionem corpus a ſuperflua ſanguinis redundantia per venæ ſectionem liberare præſtat.

II. Conſultius ſemper eſt, præſertim ſi quis facile animo deficiat, non ventriculo vacuo, ſed juſculo ſumto, factoque paullo anguſtiori foramine, venæ ſectionem adminiſtrare.

III. Poſt ſanguinis per ſectam venam deceſſum, nec potu, nec cibo onerare ventriculum oportet, multo minus ſe inebriare, aut corpus frigido, vel humido aeri objicere. Crebra enim docuit experientia, plures hac ratione, Martio præſertim & Octobri, inprimis ſi corporis habitus fuit ſpongioſus, in coryzas, tuſſes, rheumatiſmos, febres catarrhales & pleuritidem ſpuriam incidiſſe; utpote per ſanguinis miſſionem eamque largam, perſpiratio non parum minuitur, eo quod ſubcutaneos & ſudoriferos tubulos fluidum eximie exhauſtum tanta mole non amplius accedens, eos non ita patulos atque apertos ut antea ſervat. Hinc aer frigidus accedens eos facile claudendo, humorumque curſum a ſuperficie corporis ad inferiora reflectendo, jam memoratos morbos inducit.

IV. Magis pro ſanitate eſt, primas vias ipſumque ventriculum a cruditatum copia & ſentina humorum, non per forte purgans, ſed laxativum, ante uſum venæ ſectionis liberare. Cavendum vero maxime in plethoricis a fortibus purgantibus tanquam veneno, eo quod operationem ſuam vehementiori inteſtinorum ſpaſmo exſerunt, eoque liberiorem ſanguinis progreſſum valde turbando, perniciales congeſtiones hinc inde in partibus ſæpe efficiunt.

V. In fœminis ob menſium fluxum, & viris hæmorrhoidum ſtillicidio obnoxiis, præſtat ſemper venam pedis aperire, ne ſanguis ab his emunctoriis divertatur: viri vero hæmorrhoidibus vacui, venæ ſectioni in pede non in totum aſſueſcant. Non ſemel enim obſervavimus hæmorrhoides inde cœtas ſine fluxu fuiſſe proritatas, ad quas removendas venæ ſectio in brachio debuiſſet inſtitui.

VI. A miſſo ſanguine exquiſitior victus ratio tenenda eſt, neque protinus æger ad priſtinam diætam, perinde ut canis ad vomitum, redeat. Hinc majorem in modum deteſtandus eſt mos Germanorum, qui nunquam lautius edunt ac bibunt, quam ubi venæ ſectione perfuncti ſunt.

Theorema XVII.

Cucurbitulæ cum ſcarificatione vicariam ſæpe præſtant venæ ſectionis operam.

Scholion.

Placet inſignem locum ex ipſo

Coil-

Celso l. 2. c. 10. de usu cucurbitularum cum ferro adducere, sic habentem: *usus cucurbitulæ præcipuus est, ubi non in toto corpore, sed in aliqua parte vitium est, quam exhauriri ad confirmandam valetudinem satis est. Idque ipsum testimonium est, etiam scalpello sanguinem, ubi membro succurritur, ab ea potissimum parte, quæ jam læsa est, mittendum; quod nemo cucurbitulam diversæ parti imponit, nisi cum profusionem sanguinis eo avertit, sed ei ipsi, quæ dolet, quæque liberanda est.* Quare in rheumatismis, præsertim quæ dorsum, scapulas & brachia occupant, in doloribus quoque artuum utiliter scarificatio fit sat profunda, & ubi dolor pressorius & constrictorius frigidus occupat, sed quod notabile est, parcior semper sanguinis quantitas ex læsa, quam ex sana parte educitur. Ad dolores podagræ avertendos, nonnulli singulis mensibus, non sine utilitate, scarificationem in planta vel dorso pedis admittunt. In efflorescentiis & deformitate faciei etiam utiles sunt scarificationes cum cucurbitulis, ad eliciendum & derivandum sanguinem a facie. In cutis defœdationibus, scabie, non inutiliter in obesis & spongioso corporis habitu præditis, idem tidem adhibentur.

Theorema XVIII.

In acutis, ubi vires non patiuntur sectionem venæ & celerem sanguinis emissionem, præstat paullatim & successive eum, si opus est, per scarificationes & cucurbitulas evacuare.

Scholion.

Præclara sunt hanc in rem monita apud *Celsum qui l. 2. c. 11. opus est*, inquit, *cucurbitula in acutis quibusdam, si & levari corpus debet, & ex vena sanguinem mitti vires non patiuntur. Idque auxilium, ut minus vehemens, ita magis tutum, nec unquam periculosum, etiamsi in medio febris impetu, etiamsi in cruditate adhibeantur; ideoque ubi sanguinem mitti opus est, si incisa vena præceps periculum est, aut nobili in parte corporis vitium est, etiam huc potius confugiendum est; cum eo tamen, ut sciamus, hic, ut nullum periculum ita levius præsidium esse, nec posse vehementi malo, nisi æque vehemens auxilium succurrere.* Ego in experientia fundatum quâ maxime egregium hoc *Celsi* monitum deprehendi. Non semel enim, sed sæpius observatum a me est, morbos capitis, ut epilepsiam, vertiginem, insaniam, motus artuum convulsivos, a secta vena ac celeriori & paullo largiore sanguinis emissione, incrementum cepisse, & paroxysmos sequentes graviores redditos, idque maxime annotavi in sensibilioribus corporibus, juvenibus; contra vero eductionem sanguinis per cucurbitulas quam optime ferre potuerunt, & cum levamine malorum. Ratio mihi hæc videtur: quod vehementia spasmorum in partibus affectis, cui valde sanguis interius in vasis resistit, increscat, si subito ipsis detrahatur. In acutis febribus, quando a congestione sanguinis in capite metuenda est phrenitis, consultius etiam est per cucurbitulas occipiti appositas sanguinem detrahere, quam per venam cubiti sectam. Ægyptiis medicis olim, ut refert *Alpinus de Medic. Ægypt. pag. 79.* frequenti in more positum erat, in omnibus acutis febribus, ubi ex rubore in facie, assiduis vigiliis, phrenitidem metuebant, venas intra nates scarificare, maxime in diebus criticis, atque ab iis tepido aquæ dulcis balneo educi. Ubi vero in morbis celeri opus est auxilio & derivatione sanguinis a parte laborante, v. g. in insultu apoplectico, peripneumonia, inflammatione uteri, syncope cardiaca, quæ ab infarctu sanguinis in corde fit, aut suffocationis periculo, parum opis præstant cucurbitulæ, sed potius circa locum affectum propius infligenda est plaga paullo amplior & sanguis celeriter educendus.

Theorema XIX.

Cucurbitulæ locum habent, ubi a sanguine vel sero in parte quadam externa stagnante dolores, tumores, inflammationes, vel alia vitia fiunt.

Scho-

Scholion.

Hanc veritatem quoque egregie confirmat *Celſus l.c.* dum ait: *uſus cucurbitulæ præcipuus eſt, ubi non in toto corpore, ſed in parte aliqua vitium eſt, quam exhauriri ad confirmandam valetudinem ſatis eſt.* Uſus enim ſcarificationis duplex eſt, vel evacuatorius, vel derivatorius, ille ad minuendam plethoram, hic vero ad extrahendam materiam corruptam & infixam utilis. Multi ex Veteribus & præcipue Ægyptii negabant, cucurbitularum uſum ad ſolvendam plethoram aptum eſſe remedium, ſed certis tantum locis & partibus affli&is imponebant cucurbitulas. Verum quando illæ ipſæ omnium regionum partibus, dorſo, brachiis, femoribus, cruribus apponuntur,&paullo profundiores ac repetitæ fiunt inciſiones, ad uncias ſæpe duodecim educi poteſt ſanguis, ejuſdem ponderis, conſiſtentiæ, quam qui e vena extrahitur. Nam aliquoties fecimus experimentum, ſiccando ſanguinem per cucurbitulas elicitum, & invenimus tres partes ut in ſangnine per venam emiſſo fluidi, ad unam partem ſolidi, ut adeo vulgaribus in Medicina erroribus id accenſendum ſit, ſanguinem tenujorem per cucurbitulas, craſſiorem autem per venas evacuari. Interim ad exhauriendam & divertendam materiam vitioſam, cucurbitulæ præ venæ ſectione eximiorem habent uſum. In mentem mihi veniunt aliquot exempla, ubi in dolore vehementi ſcapularum, in oculorum doloribus & fluxionibus acribus, gutta roſacea, tumore capitis eryſipelaceo, venæ ſectio in in pede vel brachio admiſſa, nihil profuit, ſcarificatio vero in collo, occipite & pone aures, item appoſitio cucurbitularum in dorſo, egregium attulit levamen. Ægyptii in capitis, oculorum, aurium doloribus & fluxione, ophthalmia, lippitudine, item ad procurandum ſomnum, occipiti, collo & pone aures cucurbitulas applicabant, & profundioribus ſcarificationibus ſanguinem eliciebant, ut refert *Alpinus l. c.* ſed prius ſemper venam cubiti juſſerunt aperiri; quod conſilium utique in plethoricis non ſpernendum, ſed magni æſtimandum,etiam tunc ubi venæ faciei aut narium ſcarificandæ,in capitis vehementibus doloribus, vel inſania, ne ſcilicet major dato ſpatio ad has partes proritetur affluxus. Ad dolores podagricos avertendos ſcarificatio ſingulis meſibus in planta pedũ egregie ex uſu eſt, ut vel in ipſa podagra ſcarificationis utilitatem *Cardanus lib. de art.parv.p.*113. & *Platerus lib.2.prax. med.p.*717.aliquot hiſtoriis curatorum confirmet. Cæterum ad ſphacelum abigendum, ne ulterius ſerpat, ulcera quoque peſſima curanda,quam optime adſtruit *Severinus de efficac.Medic.l.*1. ſcarificationis uſum. In menſibus & hæmorrhoidibus ſuppreſſis, etiam crurum ſcarificationes *Galenus de ſangu. miſſion.* plurimum commendat, quæ locum habere poſſunt in iis, qui averſantur venæ ſectionem, vel ob vires cordis languidas, diſpoſitionem ad lypothymiam, & teneritudinem ætatis ſanguinis celerem ex aperta vena extractionem ferre non poſſunt.

Theorema XX.

Alius adhuc datur ſanguinem extrahendi modus per hirudines, ſive ſanguiſugas, a quibuſdam medicis mirum æſtimatas.

Scholion.

Antiquiſſimis medicorum hic ſanguinem per hirudines evocandi modus minus cognitus fuiſſe videtur; meminit tamen ipſius *Plinius hiſt. nat. lib.*32,*cap.*10.*diverſus*, inquiens, *hirudinum, quas ſanguiſugas vocant, ad extrahendum ſanguinem uſus eſt, quippe eadem ratio earum, quam cucurbitarum medicinalium, ad corpora levanda ſanguine, ſpiramenta laxanda judicantur.* Ex Arabibus quoque *Rhaſi* ſanguiſugarum uſus innotuit, & ex iuperioris ævi medicis *Zacutus* maxime *Luſitanus*, nec non *Amatus Luſitanus* & *Mercatus* earundem appoſitio-

sitionem mire collaudarunt, inprimis in morbis, qui caput infestare solent, ut gutta rosacea, pustulis faciei, capitis doloribus, præcipue rheumaticis, in vertigine, melancholia, angina & dentium dolore, in quibus easdem occipiti, & collo, & pone aures apposuerunt. Neque etiam ipse de salubritate evacuationis sanguinis per hirudines dubito, sed an major ab his, quam cucurbitulis scarificatis exspectanda sit utilitas, ego quidem non sine ratione dubito.

Theorema XXI.

Hirudinum applicatio orificio ani in hæmorrhoidibus suppressis ac inde pullulantibus morbis, valde commendari solet.

Scholia.

Hic modus sanguinem eliciendi ex venis ani per appositionem hirudinum, aliis mittendi sanguinem methodis in morbis, qui ab hæmorrhoidibus suppressis proveniunt, ut pathematibus hypochondriacis, & quos secundū Hippocratem hæmorrhoidum fluxus solvit, ut phreneticis, melancholicis, hypochondriacis, nephriticis, ischiadicis, his a quibusdam præfertur de causis, quod hi morbi a stagnante in vasis intestinorum, quorum exitus est in hæmorrhoidalibus, oboriantur sanguine, qui longe facilius & propinquius evacuari possit, & pars affecta liberari & levari per hirudinum ex ani venis suctum, ac si sanguis in aliis locis mittatur. Neque etiam ego negaverim, quod hirudines dictis in morbis præstiterint quendam usum, præsertim si *Zacuti Lusitani*, nec non *Amati Lusitani & Mercati* observationibus fides habenda; an vero a sanguisugis effectus præstantior exspectari possit, quam vena secta in pede, vel scarificationibus profundis in cruribus, ego experientia destitutus certa fide asseverare nequeo. Nam vidi multoties in vehementibus & inveteratis hypochondriorum spasmis, hirudines sine effectu applicatas, vidi easdem levamen tantum ad tempus attulisse, vidi quoque ab earum appositione ad hæmorrhoides cœcas mali moris ulcera & fistulas procreatas. Deinde ingens ratio dubitandi, quod ex parte affecta sanguinem hauriant hirudines, hæc est: quod ipsę ex hæmorrhoidalibus externis, quum internæ lateant, sugant, quæ exiguum, vel plane nullum commercium cum vasis intestinalibus, mesaraicis, & portæ ramis, in quibus tamen sedes pathematum spasmodicorum & hypochondriacorum, habent: in fluxu vero hæmorrhoidali, hæmorrhoides internæ sanguinem stillant, & ob id convenienti modo & tempore fluunt, vitiis ex stagnatione in ramis venæ portæ oriundis, apprime opitulantur.

CAPUT X.

De balneorum, pediluviorum & clysterum usu medico.

§. I.

Aqua simplex optima medicina.

TAnta est divini Numinis in procuranda hominum afflictorum salute benignitas, ut inter alia innumera, quæ in auxilium promta sunt remedia, simplicissima & ubivis fere obvia prostent, quæ & securitate, & efficacia, tum in morbis avertendis, tum expugnandis, aliis pretiosis, rariis, arte etiam chymica operose elaboratis arcanis, longe superiora sunt; id quod omnes ingenui & periti in arte nostra viri ultro confitebuntur. Exemplo sit aqua communis. Hæc certe pura, omnis etiam materiæ salinæ vel terræ expers, longe magis quam ullum aliud medicinæ universalis meretur nomen, utpote quæ in omnibus individuis, omnibus morbosis afflictionibus, tam internis, quam externis, acutis & chronicis, tam incomparabilem affert opem, ut nulla alia medicina huic æquiparari possit. Ipsi fontes calidi & frigidi salutiferi, quos provida & benigna natura nobis sponte largitur, laudatissimam suam, quam exferunt in morbis, præsertim chronicis, debellandis efficaciam, humo-

moris aquei bonitati, subtilitati & largiori hujus potui potissimum debent. Illa vero varii generis salia, quæ in sinu suo recondunt, tam neutra, quam alcalia, cum tenuissimo martis principio, vix aliud quippiam efficiunt, quam ut stimulum addant solidis corporis nostri partibus & tubulis, quo liquidum ingestum expeditius per vasa minima & excretoria ferri, humores tenaces, spissos dissolvere, & excrementitias impuras salino-sulphureas partes temperare, diluere, & e corpore evehere possit. Infusa quoque theiformia ex appropriatis pro ratione morbi speciebus confecta, quæ nostro tempore familiaris usus sunt, nec non lignorum & radicum decocta ex aqua, quæ in expugnandis longis & rebellibus morbis plurimum valent, præcipuam certe suam efficaciam ad fluidũ illud aquæ elementum referunt, eo quod nec radices, herbæ & ligna in pulvere vel sub alia forma assumta, nec ipsa decocta, nisi diluta satis & diutius usurpata, salutarem exserunt effectum. Pariter ptisanæ, quas olim *Hippocrates* maximi fecit in morbis acutis, & lactis vel seri lactis cura in iis morbis, qui ex acrimonia succorum proveniunt, egregii omnino sunt usus; præcipuam autem suam virtutem a diluente suo humore unice mutuant.

§. II.

Etiam externo usu. Quod quidem quemadmodum de interno aquæ usu in propatulo est; ita eadem hæc aqua non minus externe etiam adhibita mirabiles plane & maxime salutares exserit effectus. Testatum id faciunt balnea & pediluvia, quorum præcipuum ingrediens & basis est simplex quidem aqua; nihilominus tamen hæc sola, sine ullo alio additamento, modo aqua sit pura & levis, medicinalem longe saluberrimam præstant virtutem. Et certe balneorum aquæ dulcis usus in morbis præcipue internis & gravissimis, priscis jam tum temporibus fuit quam maxime solennis, ut ex *Hippocratis*, *Galeni*, *Cœlii Aureliani*, *Aretæi*, *Celsi* & *Tralliani* scriptis luculenter patet. Potissimum in gravissimis capitis morbis, ut insania, sive cum tristitia, sive cum furore juncta, in atroci capitis dolore. Veteres summo cum fructu his utebantur balneis. Et *Alexander* quidem *Trallianus lib. 1. pag.* 107. sic prodidit: *aquarum dulcium balneum, si quid aliud, melancholicis opitulatur, sed diutius in eo morentur atque desideant, si etiam æstus fuerit.* Idem confirmat *Aretæus lib. 7. pag.* 134. qui melancholicos in aquis sponte calidis sæpe commorari jubet, hanc subjungens rationem, quia raræ & molles carnes ad hujus ægritudinis remissionem maxime faciunt, quæ tamen siccæ & tensæ in melancholia laborantibus sunt. *Cælius* quoque *Aurelianus lib. 1. de morbis chronicis pag.* 134. maniacis aquarum naturalium usum plurimum commendat. Et *Prosper Alpinus de Medicina Ægyptiorum pag.* 115. commemorat: melancholicos plurimos tepidis balneis perfecte sanatos esse. Pariter in renum calculo *Alexander Trallianus pag.* 543. 547. *it. Aretæus pag.* 118. si dolores valde urgent, insessus ad umbilicum usque mirifice commendant.

Veterum testimonio.

§. III.

Et auctoris experientia. Ipse etiam multiplici experientia edoctus, plena testari possum fide, quod in morbis capitis gravissimis debellandis, ut mania, melancholia, mentis stupore & torpore, somno inquieto cum terrificis insomniis, in hemicrania, vertigine, scotomia, dentium quoque atroci dolore & in gravioribus aliarum nervosarum partium doloribus, ut ventriculi cardialgicis, intestinorum iliacis & colicis, & qui a calculo renali proveniunt, balnea aquarum Tœplicensium, item insessus in aquam puram temperate calidam, etiam sub ipso paroxysmo & pathematum afflictione, præsentissimum attulerint levamen. Tam efficax enim balneorum in complacandis doloribus & relaxandis spasticis strictu ris est efficacia, ut quamdiu iis-

Ob virtutem spasmorelaxantem.

dem afflicti insident, omnes cruciatus & spasmi sileant, relictis autem illis, iterum accedant. Neque minus Veteres, teste *Celso*, & Ægyptii teste *Alpino l. c. pag.* 114. in omnibus febribus, tam continuis, quam intermittentibus, exceptis pestilentibus, familiariter & utiliter adhibuerunt balnea, non tamen in principio & statu, sed declinante impetu. Ipse quoque in quartana senum, diebus vacuis, emollientibus & nervinis balneis non semel sine fructu usus sum.

§. IV.

Humores derivantem. Perspirationem movent.

Præter hanc autem fibras frigidas, tensas & spasmo constrictas emollientem & humorum ac sanguinis motum a capite & partibus superioribus ad alia loca determinantem & derivantem virtutem, balnea aquæ dulcis etiam egregie circulum sanguinis & humorum atq; perspirationem per summam cutim promovent. Nam humiditate relaxant fibras & poros cutis, & calore suo expandunt sanguinem, majorem quoque cordis & arteriarum diastolen, quam in eadem proportione & gradu sequitur systoles, efficiunt, unde pulsuum & magnitudo & celeritas crescit, & circuitus humorum acceleratur, hoc aucto, sanguis fluxilior fit & tenujor, ad extimos tubulos corporis summamque cutim promte fertur & diffiatio atque exhalatio subtilissimarum sordium promovetur, quæ adhuc largior succedit, si quis statim a balneo concedit in lectum; eo quod circumfusæ aquæ gravitate vapores per spiracula exituri in balneo quodammodo coercentur ac reprimuntur, hac autem remota & absersa, in lecto ex apertis atque expansis tubulis magna seri copia prorepit, ut universum sæpe corpus sudore perfundatur.

§. V.

Et heroicorum operationem secundantem.

Porro balnea sive semicupia in eo peculiarem sibi vindicant efficaciam, quod usum & virtutem medicamentorum sic dictorum generosorum, in persanandis gravibus morbis, mirifice secundent. Notissimum enim est, thermarum, acidularum vel aliarum aquarum salubrium in longis & valentibus morbis potum, longe feliciorem effectum & successum sequi, quando interposito usu balneorum, quam si solus instituitur. Non minus, mirabilis thermarum Carolinarum & acidularum Egranarum indies conspicitur in affectibus, præcipue spasmodico-hypochondriacis & ubi systema nervorum valde imbecille & afflictum est, efficacia, quando finito potu, in thermas Tœplicenses laborantes concedunt, & iis temperatis convenienti modo & tempore utuntur. Sunt enim hæ valde leves subtiles & puræ, quod partim per explorationem cum instrumento statico, partim etiam per evaporationem, qua nihil fere solidi relinquitur, innotescit, eaque propter ob insitam hanc puritatem atq; subtilitatem, magnam vim penetrandi in intima solidarum partium & fibrarum, quæ tensæ & constrictæ sunt, habent, easdemque relaxando & emolliendo ad naturalem statum reducunt.

§. VI.

Ut mercurialia.

In atroci lue Gallica ejusque immanibus symptomatibus abigendis, præparato prius per venesectionē, laxantia & sanguinem edulcorantia corpore, ex mercurio bene præparata & dextre applicata medicamenta, sive ad salivæ fluxum, sive ad sudorem movendum data, miræ sunt efficaciæ, quando sub eorum usu laborantes in balneum aquæ dulcis indies fere descendunt, postea lecto se committunt, & sudorem exspectant. Decocta etiam radicum, lignorum & sanguinem depurantium ex aqua, in morbis cutaneis, doloribus, exulcerationibus & qui ab enormi humorum acrimonia oriuntur, longe felicius & citius desideratam exhibent operationem, si balneis interpolantur. Et certe dici vix potest, quam copiosas, crassas, pingues aquæ innatantes sordes mali odoris sæpenumero balnea ex intimis cutis tubulis eliciant. Si validioribus forsan etiam opus est purgantibus,

Decoctorum sudorifera-rum.

Purgantium.

bus, vel etiam acrioribus urinam cientibus, tutius omnia illa præmissis balneis usurpantur. Veteres quidem in rebellibus admodum morbis multum ellebori albi usu præstitisse constat, sed nunquam eum facile adhibuerunt, nisi prius in balneum corpus fuisset demissum. Hoc enim modo non solum succi fluidiores & magis mobiles fiunt tubulique excretorii relaxantur, ut eo melius & minori cum molestia peccans materia educatur, sed etiam remissis solidorum fibris, omnis noxa drastici ejusmodi vehementes spasmos & strictura inducentis pharmaci arcetur. Idem ex usu est assumtis vomitoriis, quibus Ægyptii, teste *Alpino de med. meth.* singulis mensibus ad præservationem, sed nonnisi in balneo, utebantur.

Eremeticorum.

§. VII.

Quando morbi ex uteri vitio & ejus vasorum nimia atonia ac distensione orti curādi sunt, ut fluor albus, vel præcavendus abortus, vel concrementa carnea, polypum referentia, vel molæ, quæ crebrioris abortus causæ sunt, expelli debent, vel etiam si menses sufficienter fluunt ideoque in ordinem reducendi, certe ego nunquam non congruis internis remediis uterinis, emmenagogis, balsamicis & purgantibus, frequentem balneorum jungendum usum suadeo, cum exoptato semper successu. Medicamenta ex marte dextre præparata, liquida præsertim, item chinæ cortex, in infuso, vel decocto cum vino, leni sua balsamica adstrictione, tonum partium roborando in cachexia, in inveteratis intermittentibus febribus, in malo hypochondriaco, si ex motus peristaltici intestinorum debilitate provenit, eximium & saluberrimum præstant effectum; longe tamē tutior, longe felicior ab iis expectanda erit operatio, quando corpus sub eorum usu movetur, aut crebrius balneo immissum mulcetur. Et hæc omnia multiplici experientia edoctus scribo.

Uterinorum.

Martialium.

§. VIII.

Ad ejusmodi vero balnea non adhibendæ fontanæ, asperæ, graves & calcarea terra onustæ, sed leves, subtiles aquæ, cujus indolis est pluvialis, nec non fluvialis, post imbres maxime hausta. Optimæ quoque ad instruenda balnea aquæ censendæ, quæ promte sub lotura maculas ex linteis abstergunt, ex quibus legumina & olera facile penitusque mollita coquuntur, quæ parum vel nihil materiē post evaporationem relinquunt, & herbę thee aliisque fervide infusæ easdem expedite recludunt & extrahunt. Quod si vero tales haberi nequeunt, utique arte illas corrigere & molles efficere oportet, id quod optime fit, adjecta portione lixivii, vel saponis Veneti, aut affusa quantitate lactis, aut quando decoctum furfurum triticeorum, item florum chamomillæ, nec non foliorum, florum & radicum liliorum alborum, ipsis commiscetur. Veteres, uti patet ex *Cælio Aureliano pag.* 575. olea adjiciebant, & ad sopiendos dolores, item ad ischuriam curandam, quæ fit a spasmo & strictura orificii sphincteris vesicæ, ejusmodi balneis utebantur. Et sic concinnata emollientia balnea egregiam profecto opem ad facilitandum partum, præsertim in primiparis, ætatis paulisper adultæ & siccioribus, ultimis gestationis mensibus adhibita, contulerunt. Pariter in atrophia dorsali infantum, item in rachitide eximia splendent facultate, eo quod, tubulos partium obstructos & constrictos adaperiunt, succum nutritium fluidiorem ac ut ejus æquabilis & liberior fiat ubique dispensatio, efficiunt.

Balnea ex aqua simplici quomodo paranda.

§. IX.

Alia illorum naturalium balneorum est ratio, quæ ob principium martiale subtile, quod recondunt, non emolliunt, sed potius partes roborant ac firmant. Innotescunt jam passim in Germania ejusmodi martiatę aquę, eoque nomine haud exignam celebritatem nactæ sunt Freyenwaldenses in Marchia, Bebranæ in Thuringia, Radebergenses & a nobis detectæ Lauchstadienses in Misnia, Eppacen-

De balneis roborantibus nativis martialibus.

ſes & Weiſſenburgenſes in Franconia. Omnes hi fontes levem quidem atque ſubtilem aquam vehunt, ob tenuiſſimum tamen martis ſulphureum crocum, quem etiam ſi diutius quieſcunt deponunt, & cum quo lintea in balneis, nec non injecta ova, flavo colore imbuunt, ſaporis ſunt paullo adſtrictivi & interne etiam in iis morbis, in quibus martialia locum inveniunt, a perito medico cum fructu poſſunt uſurpari. Longe tamen magis externus eorum uſus in balneo celebratur, quam maxime proficuus iis, qui corpora habent phlegmaticę conſtitutionis, ſpongioſi fibrarum ſunt habitus, vaſaque copioſa & exilia gerunt. Sunt quoque ex uſu ubi humores ob lentiorem ſanguinis curſum facile ſpiſſeſcunt, ſordeſcunt & ſcorbuticam impuritatem contrahunt, unde languores, dolores rheumatici, arthritici, item tumores œdematoſi, contracturæ quoque, & imbecillitates ac refrigerationes artuum, fœcundo pullulant germine, quibus omnibus hæc roborantia balnea, ob principium tenue ſulphureum martis, quo tonum ac robur languentibus partibus addunt & fibras laxas nimis adducunt, egregie opitulantur. Et licet ea adſtringentium horum martialium balneorum natura ſit atque conditio, ut nonniſi tepida & admodum temperata adhiberi debeant, & calore intenſiori corpus mirum offendant, ſanguinem commoveant, & dolores capitis partiumque languores inferant; nihilominus quando corpus poſt tepidum ejuſmodi lavacrum, in quo ſuperior ejus pars plus friget, quam calet, illico lecto committitur, incaleſcit, pulſus validius vibrat, & ſæpe ex toto corpore, cum inſigni virium incremento & externarum partium robore, ſudor diffluere ſolet.

De balneis roborantibus artificialibus.

§. X.

Accedunt balnea mitius roborantia artificialia, quæ nempe injectis & incoctis aquæ levi ac puræ ſpeciebus cephalicis, & nerveis amicis concinnantur & pariter eximia ſplendent efficacia. Uſurpantur ad hęc balnea conficienda, inprimis folia lauri, herba meliſſæ, abrotani, majoranæ, origani, ſerpilli, thymi, roriſmarini, hyſſopi, hormini, menthæ criſpæ, nepethæ, pulegii, matricariæ, flores chamomillæ vulgaris & Romanæ, quæ omnia ſacculo incluſa, adjectis aliquot ſalis communis & cinerum clavellatorum manipulis, cum aqua leniter decoquuntur. Medicata ejuſmodi corporis in ſolio lavacra ſaluberrima ſunt in affectibus paralyticis, impotentia atque imbecillitate artuum, corporibus imbecillioribus, cachecticis, frigidis, ſenibus, ubi vires a morbis fractæ & nervi, & ligamenta artuum quadam laborant atonia. Neque minus inſigni cum fructu uſurpantur in omnibus uteri morbis, qui poſt abortum, partum difficilem vel etiam puerperium impetunt, necnon quando uterina compages nimia humiditate diffluit, vel plane liquor viſcidus albus ex muliebri ſinu ſtillat, & inde ſterilitas eſt; promovent quoque egregie cohibitum menſium, & in viris hæmorrhoidum fluxum.

Et vaporoſis.

§. XI.

Aliud genus balneorum eſt, quæ audiunt vaporoſa, ſive Laconica. In his vapores, ſive ſicci calidi, ex accenſo vini ſpiritu halantes, ſive calidi humidi, ex decoctis herbarum cum vino vel aqua ſurgentes, immediate ad univerſum corpus, vel ad certas duntaxat ipſius partes, admittuntur. Eſt autem calidorum ejuſmodi halituum maxima vis ad eliciendum ſudorem, tubulos ſubcutaneos aperiendos, partes duras emolliendas rigidaſque ac tenſas laxandas, nec non tenaces viſcidos humores diſſolvendos, & ſolis calidis aqueis tantum vaporibus duriſſima animantium oſſa, & cornua emolliri poſſe, vel coquis & pharmacopœis notum eſt. Hinc vaporoſorum balneorum uſus longe eximius in frigidis morbis, anaſarca, tumoribus œdematoſis,

mem-

membris paralysi tactis, atque etiam lue sic dicta Gallica, item in tumore testium, ad prolapsum uteri, vel ani reprimendum, & pro diverso morbi statu & conditione ex variis concinnantur speciebus. In molestissimo illo dysenteriæ fere perpetuo comite, tenesmo, vapores ex lacte & floribus sambuci præsentaneum afferunt levamen. Utiles quoque sunt ejusmodi vapores, seu fotus ad hæmorrhoidum fluxum proritandum, ante hirudinum appositionem necessarii. Et quia egregie orificia venarum uterinorum muco obsessa expediunt, ubi menses difficulter exsolvuntur, summo cum fructu adhibentur.

§. XII.

Cautelæ in balneorum usu.

Quemadmodum vero unumquodque, quantumvis præstans remedium, imprudenter minusque circumspecte usurpatum, salubri destituitur effectu; ita etiam balneorum improvidus & sine exquisita cautione administratus usus, plus nocet, quam prodest. *Galenus* quidem tria hanc ob causam in balneis observāda præcipit, ne qui balneantur aliquo pacto horreant, ne ullū viscus imbecille habeant, & ne multitudo crudorum humorū in primis viis adsit. Potiora autem in balneorum usu tenenda momenta huc redeunt. Nimirum antequam eadem administrantur, semper prius solvenda est plethora alvusq; libera reddenda; alias ab æstu lavacri gravia damna a congestionibus sanguinis ac humorum ad pectus & caput inde metuenda. Deinde cavendum maxime, ne nimio lavacri calore corpora adeo exæstuentur, & quasi elixentur, ut sudore prorsus diffluant; hoc enim facto, ingruit animi deliquium, capitis dolor, lassitudo totius corporis, mentis torpor, oris siccitas & sitis, quam si quis frigida potione restinguere velit, facile gravius malum sibi poterit arcessere. Tempus balneo commodissimum est matutinum, post somnum, concoctione peracta & vacuo ventriculo, præsertim si alvus ante soluta. Expedit etiam corpus in balneum non statim totum immittere, sed successive, primo pedes, deinde femora, postea abdomen usque ad cordis scrobiculum, augendo etiam paullatim aquæ calorem. Neque nimis diu in balneo calido, præsertim martiali, commorandum est, ne vires debilitentur. Post balneum corpus committendum est lecto, quo sudor proliciatur, qui cum jusculo, vel decocto, aut infuso appropriato promoveri potest. In balneis vero nativis temperatis, ut sunt in Misnia Wolckensteinenses & Wisenbadenses, per aliquot sæpe horas desidendum est, præsertim si morbus est gravis, & contumax ex vitio nervosarum partium spasmo constrictarum, si mens ex hypochondriorum vel uteri vitio laborat, si contracturæ adsunt partium, ex nimia rigiditate ligamentorum & nervorum.

§. XIII.

A balneis quibus cavendū?

A balneis caveant, quibus caput debile, qui catarrhis & coryza affliguntur, qui ad asthmata & ad animi deliquia proni, vel lento hectico calore tabescunt, tanto magis a vaporosis, præsertim quæ cum spiritu vini accenso apparantur, quippe quæ valde commovent sanguinem & plethoricis atque cacochymicis infensissima sunt, ac ut experientia constat, imprudenti usu morbos capitis, affectus soporosos, apoplexiam, epilepsiam, scotomiam, guttam serenam inducunt. Simili ratione detrimentosa sunt balnea iis, qui ira graviter excanduerunt, & ipse aliquot memoria teneo exempla, quod usurpatis tum iis, febres hecticæ, immedicabiles partium dolores & paralyses accesserint. Et quia dolor colicus sæpe a sanguinis per ani venas exitum molientis intra intestinorum tunicas stagnatione oboritur, sæpe etiam sub immanibus a calculo doloribus præsto est plethora, hoc casu, cautissime utique mercandum est cum ejusmodi calefacientibus balneis, quæ nonnisi plenitudine subtracta, adhibenda sunt.

§. XIV.

De pediluviis eorumq; operatione.

Balnea universi corporis sequuntur pediluvia, quorum quoad ingredientia eadem ratio, minor apparatus & ob id frequentior usus & balneorum vicarius. Vel enim ex sola aqua levi & pura, sine aliorum additamento magnoque apparatu, parantur, vel ad corrigendum aquarum gravium & asperarum vitium, lixivium, aut furfures triticei & chamomillæ flores adjiciuntur, vel etiam lac ipsis confunditur. Licet autem pediluvia tantum infimis & extremis corporibus admoveantur, eorum tamen virtus longe lateque se diffundit, & graves in remotis etiam partibus morbos levat. Dum enim humore illo calido fovenţur pedes, nervosæ, tendinosæ ac musculosæ in iis fibræ, ex quibus intercurrentibus vasis coagmentati sunt, laxantur, remittuntur, pori & tubuli antea constricti ampliantur, sanguini aditus humoribusque debitus redditur commeatus; quo fit, ut impetus aliis partibus incumbens divertatur, ac cum insigni levamine ad inferiora derivetur. Deinceps pediluvia etiam temperato suo calore agunt in sanguinem, & humores sub eorum usu per pedum vasa transeuntes, eosdemque tenuiores ac dilutiores reddunt, quo longe expeditius per omnis generis in corpore tubulos cursum conficiant, & quaquaversum promtius excurrant, quo etiam fit, ut si paullo calidiora adhibeantur, arteriarum pulsum augeant, & sudorem per universum corpus eliciant. Ad hæc ingens est pedum, ceu partium exquisitæ sensationis nervoso-tendinosarum, cum omnibus nervosis universi corporis, maximeque in inferiore ventre sitis partibus, consensus, adeo conspicuus, ut si tantum perfrigerentur, illico dolores colici exoriantur, alvus stringatur, cutis horreat, perspiratio intercipiatur, & mensium ac hæmorrhoidum fluxus sistatur. Quare non dubitandum, quin, si tepido humore mulceantur & spastica in iis strictura tollatur, salubris effectus ad remotiora ipsis annuentia organa propagetur, ibidemque sese exserat.

§. XV.

Quibus conveniant?

Et certe pediluvia laudatissimi ad derivationem usus sunt in morbis, qui a congestionibus ad caput & pectus, per spasmos inferiorum maximeque hypochondriorum factis, subnascuntur, ut præter soporosos affectus omnes fere capitis morbi sunt, insania, mania, melancholia, cephalæa, hemicrania, clavus hystericus, vertigo, odontalgia, otalgia, gutta rosacea, ophthalmia, defluxiones oculorum salsæ, narium hæmorrhagiæ nimiæ & diuturnæ vigiliæ, nec non quæ pectus affligunt asthmata convulsiva, dyspnœæ a copia sanguinis, cordis palpitationes, tusses siccæ, hæmoptysis. Porro ob insignem qua pollent spasmos remittentem ac solventem efficaciam, egregie opitulantur in morbis spasmodicis convulsivis & doloribus, in cardialgia, dolore colico, præsertim hæmorrhoidali, torminibus ex calculo, ventriculi inflatione cum præcordiorum anxietate. Præterea etiam excretiones saluberrimas, perspirationis nempe, urinæ, alvi & sanguinis quoque sinceri, per menses & sedis venas, efficaciter pediluvia promovent, sanguini liberum commeatum conciliando, eundem attenuando, & ad excretoriorum tubulos alliciendo. Neque minus graves capitis pectorisque affectus arcent & præscindunt, maximeque eos, qui per periodos accedunt, quin quotidianum eorum usum truces periodicas cephalalgias abegisse, ipse expertus novi. Sunt quoque qui in febribus intermittentibus pediluviorum usum suadent, die quidem intercalari vacuo, nec sine salubri effectu, uti patet ex *Obs.* 144. *Dec.* 2. *An.* 6. *Misc. nat. curios.* de quartana pediluvio sanata, & quæ *Kozack de salib. Sect.* 12. *c.* 10. plura hanc in rem habet.

§. XVI.

§. XVI.

Cautelæ in eorum usu.

Monendum tamen, quod longe felicius succedat pediluviorum operatio, si plenitudo sanguinis per venæ sectionem in pede prius imminuitur, si circa tempus somni administrantur, nec pedes post eorum usum refrigerantur, sed calidi servantur, & in lectum transferuntur, eoque facto, auctior per universum corporis ambitum redditur perspiratio. Cavendum vero est, ne pedes lavacro immittantur eo tempore, quo mensium fluxus imminet, aut jam exsolvitur, eo quod divertendo ab utero & ad inferiora invitando sanguinis appulsum, ut ipsum profluvium vel sistatur, vel intercipiatur, efficiunt; contra ea aliquot ante statam menstruam periodum dies, ad promovendum fluxum egregie faciunt, præsertim si temperata emmenagoga, vel pilulæ ad mentem Beccheri paratæ, simul in usum trahuntur. Abstinendum quoque quam maxime a pediluviis constringentibus, aluminosis, sulphureis, ad reficcandum molestum pedum sudorem, œdemata discutienda, ulcera abigenda, item si doloribus podagricis pedes exercentur; siquidem iisdem non sine periculo materia illa virulenta ad interiores nobiliores partes retropellitur. Et quoniam communis fervidus in Carolinis fons, vulgo *der Prudel*, virtutem quam maxime repellentem possidet; providus utique lavacri ex eo usus esse debet in omnibus passionibus, ubi materia vitiosa externo corporis cortici incumbit, ac præsertim in doloribus arthriticis, & podagricis.

§. XVII.

Clysteres affines balneis.

Inter remedia externa, domestica & facile parabilia connumeranda etiam clysmata, sive enemata, quæ nihil aliud sunt, quam decocta ex certis speciebus confecta, & per syringam ano pro vario scopo & usu infusa. Habent hæc multum cum balneis affine atque commune. Balnea quippe lavacra sunt partium externarum, clysteres vero intestinorum, quæ crassa vocantur, quæ eluunt, abstergunt, & a contentis repurgant. Balnea vel emollientia sunt, vel roborantia, clysmata pariter pro varia ingredientium ratione, solidas, rigidas, tensas & strictas partes molliunt & laxant, vel flaccidas & a tono dejectas firmant atque adducunt. Deinceps sicuti balnea sola applicatione externa toti sanguinis & humorum massæ virtutem insinuant, ut liberiorem & expeditiorem eorum progressum faciant simulque salutares excretiones facilitent: ita etiam enematum operatio non solum in sanguinis & humorum circuitum, ex immutatione pulsus, sed etiam ad excretiones movendas, præter alvi subductionem ex perspirationis & urinæ uberiori successu, luculenter patet. Balnea porro vi pollent insigni antispasmodica, eandemque in dissitas spargunt partes: clysteres non minus hac pollere virtute, qui artis exercitia tractant quam optime norunt. Et denique quemadmodum immisso in lavacrum corpore, congesti præter naturam & non sine periculo in certa loca humores, ad alias externas & inferiores partes derivantur, quo æquabilis ipsis reddatur ubique commeatus: sic etiam clysmata ad divertendas a pectore & capite sanguinis congestiones, gravium pathematum genitrices, insigni & laudatissimo usu plurimum valent.

§. XVIII.

Et sunt:

Solent vero clysteres pro diverso medicationis scopo ex variis concinnari speciebus. Et sicuti indicationes in medendo ad quatuor potissimum fines directæ sunt, alterantem nempe, evacuantem, roborantem & sedativum: ita eadem etiam clysterum ratio, ut iisdem vel indurata stercora emolliantur, aut qualitate infesta acria, acida & salsa recrementa attemperentur, vel contenta in crassorum canali evacuentur, vel languentes intestinorum fibræ & delassatus peristalticus in iis motus roborentur,

vel denique spasmi tunicarum intestinalium remittantur, & fibræ strictæ nimis laxentur. Quod si igitur intentio est duras fæces & stercora arida humectandi, vel etiam succos acres, salsos, corrosivos, acidos, bilioſos in crassis obhærescentes obtundendi, clysteres optime parantur ex emollientibus & demulcentibus, cujus generis sunt lac animantium, decoctum rasuræ cornu cervi, pedum vervecinorum & vitulinorum, avenaceum, juscula carnium pinguia, pinguedines animantium, butyrum insulsum, decoctum ficuum, mel, manna, saccharum, decoctum radicis altheæ, liliorum alborum, seminis lini, fœnu græci, florum chamomillæ, verbasci, meliloti. Quæ quidem ingredientia, quum simul eximiam spasmos relaxandi virtutem obtineant, in omnibus affectibus spasmodicis, doloribus, febribus, sanguinis congestionibus, & ubi alvus sive propter spasmos obstipata, sive stercora indurata obstructa, commodam & utilissimam locant operam.

vel alterantes.

§. XIX.

Ubi alvum simul evacuare & fæces atque humores stagnantes subducere constitutum est, salia ejusmodi decoctis adjecta omne ferunt punctum, ut sunt sal commune, gemmæ, Ebshamense, Sedlicense, digestivum Sylvii, nec non ammoniacum. Et certe dimidia salis uncia clysteri adjecta in evacuando majoris efficaciæ est, quam aliquot unciæ electuariorum ex purgantibus concinnatorum. *Celsus* jam hunc in finem muriam alvo infundendam suadet, id quod etiam cum nostra muria, quæ & pota & per clysterem injecta potenter purgat, nec non cum Sedlicensi aqua, optime succedit. Huc quoque referenda enemata, quæ ex urina humana, vel animantium parari solent, ad educendas alvo viscidos ac lentos succos. Neque minus sapo Venetus solutus egregie pro clysteribus inservit, tum maxime, quando acida, viridis & corrosiva bilis tenellorum adhuc lactantium infantum intestina gravius exagitat. Quando vero fortiori stimulo opus est, tutius emetica, quam drastica & acriora cathartica clysteribus commiscentur, eamque ob causam *Derebeque in observ.* vinum emeticum clysmatibus in hydrope & apoplexia indendum commendat.

vel evacuantes.

§. XX.

Roborantes clysteres virtute sua non modo intestinis, sed & aliis partibus atonia laborantibus dicata sunt, & ob id varia etiam recipiunt. Quum quidem tunicæ intestinorum languentes roborandæ, carminativa sic dicta ex usu sunt, quæ flatus discutiunt & recrementorum evacuationem secundant, & ex his maxime semina quatuor carminativa majora & parata ex ipsis olea, baccæ lauri & juniperi. In gravioribus capitis morbis, ut apoplexia, paralysi, affectibus soporosis, auditus & visus debilitate, utiliter herba rutæ, majoranæ, rorismarini, saturejæ, thymi, salviæ, flores lavendulæ, spicæ adjiciuntur. Ubi passiones ex uteri vitio, maximeque ejus atonia oriundæ, affligunt, ob peculiarem & specificam quasi facultatem cum fructu adhibentur herbæ pulegii, artemisiæ, matricariæ, sabinæ, menthæ, flores cheiri, calendulæ, radices aristolochiæ, nec non myrrha & galbanum, & ex his concinnati clysteres crebrius injecti in restituendo mensium fluxu & expellendis molis eximia pollent efficacia.

Vel roborantes.

§. XXI.

Ego quoque experientia edoctus in chronicis ex succorum impuritate, viscerum prava constitutione, infarctu humorumque stagnatione, affectibus, præsertim cachexia, scorbuto, malo hypochondriaco, mensium vel hæmorrhoidum suppressione, maximi facere soleo clysteres, quibus admixta amara & balsamica, cujus generis sunt trifolium fibrinum, summitates centaurii minoris, carduus benedictus, radix gentianæ, scolopendrium,

Varii generis.

dium, rhabarbarum, essentia rhabarbari, elixir proprietatis, essentia fuliginis alcalisata, spiritus cornu cervi & massa pilularum balsamicarum. Et solo ejusmodi clysterum usu, desperatos se ad sanitatem reduxisse hypochondriacos testatur *Hercules Saxonia lib. 1. prax. cap. 16.* Neque minus roborantia apprime proficua clysmata confici possunt ex vino, quibus etiam ubi vires admodum languidæ nec corpus nimis sensibile, addi potest balsamum nostrum vitæ dictum. Hinc in *Actis Anglic. pag. 598.* mentio injicitur clysteris ex vino Hispanico, pipere & vitelle ovi, egregiæ virtutis, quod tota nocte retentum, viscera calefaciat & aliquot horis post sudorem moveat. Quin tam conspicua clysmatum ad corroborandum universum nervorum systema est virtus, ut ipsos febriles in intermittentibus insultus compescant. Etenim *Helvetius* in peculiari tractu, de methodo febres sine interno medicamentorum usu curandi, perhibet; febres sola clysterum injectione ex decocto corticis chinæ cum aqua, vel etiam addito tantillo vini, optime posse persanari, id quod etiam *Albrecht, in Misc. nat. cur. Dec. 3. An. 3. obs.* 127. quinque confirmat exemplis. Et Ægyptii in quartana pro secreto habent clysterem ex decocti majoranæ libra una & tribus olei laurini unciis, uti auctor est *Alpinus de Medic. method. pag.* 189. addens: *hoc clystere, & in meipso olim quartana vexato summa cum utilitate usus sum. & nonnullos tribus solummodo hisce clysteribus usos, sanatos fuisse, vidi.*

§. XXII.

vel sedantes. Supersunt denique clysteres sedantes, doloribus complacandis & spasmis solvendis inservientes. Horum in numero sunt clysteres ex meris oleis, pinguedine animantium & butyro insulso conflati, qui, ubi tunicæ coli a vehementi spasmo obsidentur, ut ipsius cavum angustetur, flatus retineantur, & dira oboriantur tormina, uti obvium l est in colica convulsiva spasmodica, præsertim hæmorrhoidali & quę ab inhærente acri caustica a superficie corporis repulsa materia suscitatur, laudatissimæ sunt virtutis. De his magnifice admodum ex Veteribus sentit *Ætius*, qui *lib. 9. c. de colica* clysterem antispasmodicum parari jubet, ex butyro recenti, adipe anserina, gallinacea, medulla cervina, adipe ursina, cumino, foliis rutæ, nardo Celtica, castoreo & oleo rutaceo, addito hoc præcepto: *utere hoc ipso in vehementibus doloribus, evacuatione tamen prius per alium clysterem facta, & post horæ spatium mensuram unam mediocris poculi tepefactam infunde & jube quiescere ac aliquandiu pharmacum retinere, atque ita divinam ejus videbis facultatem.* Quod si vero spasmis nimius æstus sanguinisque orgasmus jungitur, ut in doloribus capitis, articulorum, hæmorrhagiis, clysteres cum sero lactis, vel lacte ex emollientibus & anodynis quam optime injiciuntur, floribus scilicet chamomillæ vulgaris, sambuci, verbasci, meliloti, necnon croco, nitro depurato & oleo amygdalarum dulcium. Non minus in pathematibus spasmodicis, epilepticis & convulsivis motibus, ut specifica addantur ex usu est. In hystericis quidem pathematibus sagapenum, asa fœtida & castoreum accommoda sunt. In epileptico & convulsivo insultu, radix, semen & flores pœoniæ, succus lumbricorum terrestrium, liquor cornu cervi succinatus, utiliter commiscentur; cujus generis clystere ex antepilepticis & tinctura castorei parato primiparam epilepsia tentatam egregie esse levatam testatur *Harderus in Misc. nat. cur. Dec. 3. A. 2. obs.* 100.

§. XXIII.

Hi itaque clysteres pro varia medentis intentione ampliſſimi in praxi medica sunt usus, quem *Celsus lib. 2. c. 12.* sic in compendium sistit: *alvi ductio per lotiones semel vel summum bis non omittatur, si caput grave est, si oculi caligant;* *Clysteres usus varius.*

gant; si morbus majoris intestini est, quod Græce κόλον nominant; si in imo ventre aut in coxa dolores sunt; si in stomachum quædam biliosa concurrunt, vel etiam pituita eo se, humorve aliquis aquæ similis confert; si spiritus difficilius redditur: si nihil per se venter excernit; utique si juxta quoque stercus est & intus remanet, aut si stercoris odorem nihil dejiciens æger ex spiritu suo sentit; aut si corruptum est, quod excernitur; aut si prima inedia febrem non sustulit; aut si sanguinem mitti, quum opus sit vires non patiuntur, tempusve ejus rei præteriit; aut si multum ante morbum aliquis potavit; aut si is, qui sæpe, vel sponte aut casu purgatus est, subito habet alvum suppressam. Præter ea autem, quæ in superioribus de enematum in variis morbis utilitate passim inserui, tenendum adhuc; quod in genere quam maxime conducant his, quibus venter ægrius descendit & stomachus imbecillis medicamenta ad subducendum efficacia sustinere nequit. Pariter in febribus continuis, & exanthematicis præstat semper clysteribus & venæ sectione, si opus est, curationem auspicari, & sub eadem etiam si alvus clausa, clysteribus insistendum. *Christianus* quoque *Langius* in *Misc. natur. curios.* omnibus vulneratis serio commendat clysmatum usum, ne alvi suppressio inflammationes, vel sanguinis stagnationes augeat. Possunt etiam clysteres aliis adhuc quam quorum meminimus usibus, pro varia morbi ejusque causæ conditione, adaptari, quo in primis referendi illi, qui in diarrhœis, dysenteriis, & intestinorum erosione, tam ad acrem humorem contemperandum, quam exesas partes consolidandas summo injiciuntur cum fructu, conficienda ex decocto pedum vitulinorum, vitello ovi, sevo hircino, bolo Armena, tragacantha, succo cancrorum fluviatilium, spermate ceti, balsamo de Copaiva & sulphuris therebinthinato.

§. XXIV.

Et licet clysteres efficacia sua proxime afficiant intestina & in substantia, & materia crassorum limites non transcendant; nihilo minus tamen eorum virtus, non modo ex intestinis, tanquam partibus nervosis, & quæ cum reliquis nervosis corporis partibus exquisitum consensum alunt, ad alias & remotas etiam propagatur, sed & ipsi sanguini ac lymphæ insinuatur. Prius ex eo patescit, quod clysmata, si nimis acria, teste *Avicenna can. med. lib. 1. Sect. 4. cap. 17.* febrem accendant, emeticis imbuta vomitum moveant & dolores vel in suprema corporis regione complacent; posterius vero nutriens, confortans & stupefaciens eorundem facultas testatum facit, & quod, ut quidem fidem faciunt *Act. Angl. pag. 598.* spiritus vini per inferius os injectus, longe magis inebriet & infatuet, ac si eadem mensura per œsophagum ingurgitetur. Potissimum tamen conspicuus est clysterum in intestinis tenuibus doloribus & spasticis constrictionibus laborantibus effectus, hanc maxime ob causam, quod illud crassorum amplissimum colon tenuia cingat iisdemque ubique sit circumvolutum, eaque propter infusum eidem emolliens & paregoricum clysma, blando tepore suo, contigua tenuia simul afficiat, & penetrante per tunicarum poros vapore, iisdem facultatem insinuet, haud secus ac vesica decocto emolliente repleta extrinsecus apposita, in magnis internarum partium doloribus, spasmis & inflammationibus levamen affert præstantissimum.

Et latepatens virtus.

§. XXV.

Ut autem salubberrimus clysterum effectus eo certius obtineatur, utique in eorum, haud secus quam in aliorum sanitatis præsidiorum usu, circumspectio adhibenda & necessariæ quædam cautiones tenendæ. Nimirum sunt quidam adeo sensibilis naturæ; ut intestina clysteres plane ferre nequeant, & ipse viderim, colicos aliosque dolores eo magis increvisse, quo plura clysmata injecta, qui postea solo interno conveni-

Cautelæ in ipsorum applicatione servandæ.

enti

enti laxante eximie levati. Et sicuti in his clysterum injectio non urgenda, ita etiam acres non statim applicandi, quando alvi excrementa diutius retenta, ne plus trahant ad infarcta intestina & obstructionem obfirment, sed potius præmittenda his enemata, quæ laxant, lubricant, stercora emolliunt, & evacuationi viam pandunt, uti perite monet *Mercatus lib. 1. pag. 64.* Post pastum quoque clysterum usus tempestivus minusque proficuus, eo quod ciborum concoctionem atque digestionem interturbat, chyli elaborationem & extractionem impedit, ac nimis celerem ingestorum evacuationem proritat.

§. XXVI.

Et monita. Neque etiam alvum crebro nimis, & jugiter clysteribus solicitare expedit; tum quia virtutem intestinorum expultricem sequiorem reddunt, ac ut natura iis assuefacta officii spontaneæ excretionis obliviscatur faciunt, tum etiam, quod subita & repetita crebrius liquoris clysmatici vel nimis calidi, vel perfrigerati infusione, ordinata illa & naturalis fibrarum intestinalium tensio lædatur, & inordinati motus provocentur, ac quum nullum enema applicari possit, quocum non simul flatus intrudatur, flatuum metuendus sit proventus. Præterea quia intestina etiam crassa partes sunt ad modum nervosæ, omnia quæ nervis sunt inimica, frigida scilicet, acida, austera, drastica virulenta & salia acriora, opiata, narcotica, item adstringentia, penitus ex clysteribus debent excludi, ne motus intestinorum peristalticus inde lædatur, vel destruatur, quo salvo, ciborum digestio cum saluberrimis secretionibus & excretionibus ex voto succedit, quo destructo, intestina spasmis, flatibus & fecibus multis cum molestiis obsidentur. Quibus denique addi etiam merentur præclara *Celsi l. c.* monita, *servanda*, in quientis, *illa sunt, ne ducatur ulla cruditate substante; ne in corpore infirmo, diuque in adversa valetudine exhausto; neve in eo, cui satis alvus reddit quotidie, quive eam liquidam habet; neve in ipso accessionis impetu, quia quod tum infusum est, alvo continetur, regestumque in caput, multo gravius periculum efficit.*

CAP. XI.

De aquæ frigidæ potu salutari.

§. I.

IN hac de salubritate frigidi, in primis aquæ puræ, potus, disquisitione, duplex potissimum nobis agitandum est argumentum. Unum, quo demonstremus, quid ab humido potus, utilitatis, ad sanitatem, vel integram conservandam, vel labefactatam recuperandam, sit exspectandum. Alterum, ut evictum demus, potum ejusmodi, ob id etiam quod frigidus est, peculiares saluberrimas exserere virtutes, & medicinæ præstabilis gerere vicem.

§. II.

Utilitas humidorum in corpore humano demonstratur. I. ex structura corporis. Sane perutile ac necessarium esse, humidum ac diluens potus elementum, ad conservandos vitales machinæ animalis motus, comprobant multa. Omnis enim corporis humani structura fibrosa est & vasculosa. Singulæ ipsius flexiles partes ex innumeris majoribus, minoribus, minimis & tantum non infinite parvis canaliculis coagmentatæ. Atque per horum alveos fluida perpetim feruntur, progrediuntur, & circumaguntur. Docent hæc omnia uberius anatomicæ, maximeque immortalis nominis RUYSCHII, injectiones & observationes exquisitæ. In hoc autem fluidorum per solida progressu continetur vita, atque illo per tenuissimos tubulos cursu absolvitur nutritionis, secretionum atque excretionum negotium; sine quo nec sanitas, nec partis ullius functio potest consistere.

§. III.

§. III.

Eandem probat II. naturam sanguinis.

Quod igitur per tubulos adeo exiles in corpore vivo, & sano decurrit fluidum; utique esse debebit valde tenue. Atque etiam sic esse evincit experimentum nostrum, quo constat, sanguinem sani hominis e vena missum, libratum & in vase amplo fornaci calidæ impositum, facta successive humidi exhalatione, tres partes amittere, restitante tantum una sicca & solida. Neque tamen venosus sanguis genuinum de subtilitate & fluiditate omnis in corpore sanguinis fert testimonium, sed is, qui corde & majoribus arteriarum ramis continetur, longe tenuior, eundemque vel triplo majorem humidi quantitatem habere, haud est improbabile. Nam si quis potum & cibum, a sano & operoso homine assumi solitum, ad siccitatem reducet, computatione facta, novem circiter liquidi partes, ad unam solidi, inesse, patebit. Lac quoque, quod nihil aliud, quam extractus ex alimentis succus, ex quocunque fere animali depromtum, per destillationem, minimum septem liquidi partes largitur, relicta duntaxat una solidioris massæ parte. Lymphaticus quippe & chylosus liquor, qui subclaviæ venæ successive copiose infunditur, sanguinem diluit insigniter. Sanguis autem humido sic imbutus pergit ad dextrum cor, ex quo mittitur in pulmones, in quorum vasculis & vesiculis, hausto per inspirationem aere, conquassatur, atteritur, & quoad minima intime miscetur. Quo floridus, & fluidissimus redditus, venit in sinistrum cor, & ex hoc in universum corpus diffunditur, pro subeundis secretionibus & excretionibus obeundisque functionibus variis, quibus factis, per venas tandem iterum confluit in cor.

§. IV.

Ulterius evincitur III. ex excretione gravissimorum.

Patescit jam, quam necessarium sit ad mixtionem & vitalem sanguinis motum, humidi elementi, multis modis solidum superantis connubium. Ex quo porro facile colligitur, non tam adversum esse vitalibus humoribus humidi, per potum, nisi fuerit insalubris, assumti excessum, quam illum, qui in cibis solidioribus admittitur. Vicissim expedita est ratio, quare ex defectu potus, fœminis & vitæ sedentariæ addictis, multæ longæ, & graves passiones, a succorum spissitudine & facta inde minimorum tubulorum obstructione, accidant. Innotescit quoque, cur ad arcendas & persanandas acutas æque ac chronicas passiones, non certius, tutius & magis præsens, sit remedium, quam humectantia, & diluentia. Quorum in numero sunt Veterum ptisanæ, serum lactis, aquæ minerales & medicatæ, thermæ & acidulæ, decocta & infusa vegetabilium cum aqua. Neque minus in promtu est causa, qui fiat, ut pharmaca maximarum virium, ex minerali regno petita, in gravibus rebellibus & diuturnis passionibus nihil fere eximii præstent, nisi accesserit humidum sufficiens, virtutem in venas omnes diducens.

morbarum per aquam

§. V.

Pluvialis aquæ ceteris præstat

Permoverunt me hæc omnia, cum aliis rationum momentis, ut jam ante viginti & quod excurrit annos peculiari dissertatione assererem: aquam esse medicinam universalem. Non tamen omnem. Sunt enim variæ, sæpe non salubris indolis aquæ. Sed quæ panaceæ nomine digna, levissima est & purissima, heterogeneis, terrestribus & salinis particulis destituta. Quibus dotibus splendet potissimum pluvialis, ruri in aere libero, non ex stillicidiorum compluviis collecta, necnon destillata. Talis enim subtilis, pura & levis aqua subit expedite corporum intima, quæ dura & rigida mollit atque mulcet, firmioremque ipsorum compagem eliquat atque dissolvit. Unde, uti œconomis notum est ac coquis, ad promtiorem, ciborum, qui cõpactioris texturæ, coctionem, item ad eluendas maculas abstergendasq; sordes, adhibetur utiliter. Neque ea propter dubium est, quin in humano corpore, rigidas præ-

præter naturam fibras mulceat atque adeo adversus inde oriundos multos & difficiles morbos, præsidium sit certe probatissimum.

§. VI.

Damna potus frigidi. Quæ quum ita sint, de salubritate potus aquosi dubitabit quidem nemo; sed quod etiam actu frigidus conducat & ipsis in morbis sit præsidio, certe arbitrabuntur non omnes. Grave de noxa potus frigidi est artis nostræ parentis, HIPPOCRATIS, jam testimonium, quod *libr. de intern. affect.* §. 18. sic habet: *frigido potu, si quis inconsiderate utitur, spasmos & rigorem inducit. Nam exitu inquinamenta prohibet, & ossibus & cerebro bellum indicit.* Et sane calidi sunt in omni animante humores. Frigus autem, vitæ ipsique servientibus motibus, censetur infensissimum. Nam succos densat fibrasque & ex his coagmentata tenuissima vascula constringit. Quo secretionum & excretionum successus interturbatur, ipsique libero sanguinis progressui, in quo maxime vitæ sanitatisque ratio est posita, ponitur obex. Docet præterea experientia: graves, immo funestas, multas, chronicas & acutas passiones, a frigido potu fuisse inductas. Inflammationes scilicet ventriculi, intestinorum, & pulmonum, morbos spasmodico convulsivos, asthmata, phthisin, hydropem, hecticam, hypochondriacum malum, menstrui & hæmorrhoidalis fluxus suppressionem, indeque ortas gravissimas totius systematis nervosi passiones, & quæ id genus plura.

§. VII.

Usus frigidorum in corpore humano. Licet autem hæc negari omnino nequeant; neutiquam tamen ea propter frigidum potum penitus esse damnandum censemus. Dabimus potius rationis, & experientiæ suffragio evictum: eundem quandoque medicinam præbere, efficacem non minus, quam salubrem. Frigus enim ipsum naturæ humanæ non adeo adversum est ac inimicum, uti vulgo putatur. Observamus certe, homines & animalia frigidarum septentrionalium regionum, frigus non modo fere innoxie, sed & longe robustiora, vivaciora & fœcundiora esse iis, quæ sub calido cœlo vivunt, & aluntur. Tempore hiemali, sub constitutione aeris quantumvis gelido, epidemici morbi gravissimi, necnon anomalæ febres, rariores sunt minusque infestæ, quam æstate & cœlo regnante æstuoso. Experti sumus id jam per aliquot annos, quibus ob æstatis fervorem nimium insolitamque siccitatem, ubivis fere, varii generis anomalæ febres, acutæ & chronicæ, necnon dysentericæ, populares habuerunt circuitus, & stragem ediderunt haud levem. Atque etiam huic insalubri aeris & temporum constitutioni siccæ nimisque calidæ, illud haud immerito videtur tribuendum, quod ab aliquo tempore, major semper mortuorum fuit numerus, quam natorum. Nemo porro non novit, sub cœlo sereno frigido, spirantibus ex oriente & borea ventis, vires esse vegetiores, ciborum appetentiam cum digestione promtiorem ipsumque somnum suaviorem, ac æstate & sub atmosphæra levi ac calida, cujus indicium fert mercurii in barometro descensus. Frigidus enim aer elasticus est & expansivus, fibrasque stringendo, robur ipsis addit, eaque propter cordis omniumque vasorum systalticum motum intendit. Cujus in confirmationem facit præterea domesticum, sed curiosum experimentum, quo exemtum carpionis majoris cor adhuc palpitans, simulac aquæ tepidæ injicitur, illico motum intermittere, in frigidam projectum eundem repetere, iterum calidæ commissum, amittere, & in frigida postea aliquandiu adhuc concuti cernitur. Ne dicamus, pisces in aere frigido aliorsum delatos, diu vitam servare, in calido autem brevi exspirare.

§. VIII.

Potus aquæ frigidæ salubritas. Ad ipsum frigidum aquosum potum quod

quod attinet; est is utique, uti antiquissimus & communissimus, ita etiam saluberrimus. Non levis enim hanc in rem momenti est observatio, quod qui potibus spirituosis, cerevisiis inebriantibus, vino & aquis sic dictis vitæ liberalius utuntur, graviſſimis morbis frequentius afficiantur, apoplexia scilicet, paralysi, suffocativo catarrho, capitis doloribus, phthisi, hæmoptysi, peripneumonia, hydrope, calculo, podagra, hæmorrhoidum turbis & inde oriundis pathematibus, necnon internorum æque ac externorum sensuum vitiis. Illi vero, qui frigidum & simplicem aquosum potum bibunt; longe rarius omnibus his diris malis sunt obnoxii, sed corporis & animi vires habent integras, appetitu pollent meliori, albos etiam & compactos, nec exesos dentes gerunt. Nec ea propter ratione caret illud Turcarum præceptum, quo vini potus ipsis serio interdictus, tum, ut occasio præscinderetur ebrietatis sensusque interni sibi constarent semper, tum etiam, ut in calido, sub quo degunt cœlo, vita & sanitas servaretur integra. Atque etiam in Italia & Hispania, ubi calidior atmosphæræ habitudo, solennis est frigidus, quin glaciatus, potus, quo æstum restinguunt tam utiliter, ut, sine eo, vix sanos esse incolas, optimates præsertim, vini potui simul indulgentes, per experientiam constet. De quo testis gravis est RAMAZZINI, de *tuend. princip. valetud. cap.* 5. perhibens: *pro singulari beneficio a divina bonitate, ad repellendam aeris æstuantis violentiam, nix est accipienda, in regionibus præsertim calidioribus, ut in Sicilia, regno Neapolitano ac tota fere Italia, tum pro sanis, tum pro ægris corporibus. Ubi enim, uti aliquando evenit, cum per hiemem vel paucæ nives, vel nullæ delapsæ fuerint, ac propterea nivalis annonæ caritate laboretur, annus ille pro nefasto habetur. Nec observatione caret, quod in hujusmodi casu, longe plures & graviores morbi vagati fuerint, quam ceteris temporibus.*

§. IX.

Probatur hæc amplius modusque operandi indicatur.

Quod si autem in modum, quo frigus in potu salutarem exsequitur effectum, inquiramus; præterad, quod motum intestinum partium in sanguine, intensiorem, cum inde pendente calore attemperat, a roborante facultate eundem potissimum repetendum esse censemus. Enim vero robur, & imbecillitas in genere, quæ partibus corporis vivi & sani insunt, non secus ac in universo, ad virium motricium quantitatem, vel auctam, vel imminutam, referri debent. Deinceps robur animantium vitale, certam in fluidis & solidis dispositionem requirit. Quo magis quippe solidæ partes tensæ, strictæ & compactæ, quo copiosior liquidi tenuissimi, quod in sanguine præsertim arterioso, & poroso nervorum contextu continetur, est in partes influxus: eo validior solidorum, eoque expeditior liquidorum crassiorum per canales est motus. Contra ea, quo remissiores fibræ, solidas corporis partes componentes, quo parcior fluidi mobilissimi arterioſi & nervosi influxus, eo major ad motum imbecillitas & in circumagendis liquidis defectus. Plurimi porro morbi vel a stasi, sive quiete perfecta, vel a stagnatione, sive lentiore humorum progressu, & ingignuntur, & sustentantur. Et hæ morbificæ causæ pendent ab elatere & motrice solidorum vi imminuta. Frigoris autem in universum is in corpore effectus, ut fibras stringat atque adducat. Igitur, quando potus corpus subit frigidus, laxatas solidas partes moderate constringendo firmat, quo dum non modo vasorum diameter minuitur, sed & impensior fibris conciliatur resistentia, humorum etiam motus partim liberior redditur, & expeditior, partim quoque alio determinatur. Ex quibus utique fit planum, frigidum potum, ob roborantem hanc suam facultatem ad præscindendas humorum stagnationes & excutiendam,

quæ

quæ in vitio est materiam, adeoque morbos & arcendos, & persanandos, usus esse longe salubertimi.

§. X.

Frigidæ aquæ ad curandos morbos præstantia.

Jam, ut propius accedamus ad scopum, omnis medicatio eo dirigenda, ut non tantum temperata mixtio in humoribus, verum etiam symmetria & legitima proportio in vitalibus motibus, conservetur. Ad hanc autem obtinendam, transeundum interdum ad extremum contrarium. Et ipsa illa generosa remedia, quibus magna juvandi virtus inest, a temperie desciscunt & ad extremum quoddam inclinant. Nam scite non minus, quam vere, tradidit MARTIANUS *Comment. in Hippocr. de humid. usu, pag.* 128. *mediocritas*, inquiens, *in calefaciendo & fr.* [illegible] *faciendo, sicuti extra noxam est, ita etiam parum prodesse potest. Quippe remedium temperatum, ut aliquando* CELSUS *dixit, æque tutum, æque debile est. Quæ vero extra mediocritatem sunt, ea, ut lædunt, quibus non conveniunt, ita opem ferunt, quibus convenientia existunt.* Et is etiam sensus est prisci illius canonis medico-practici: *similia similibus conservantur, & contraria contrariis curantur.* Etenim sanitati, cujus ratio in humorum temperie motuque æquabili reposita, amicissima similia, quæ temperiem hanc servant atque tuentur. In morbis autem, quia ab intemperata humorum qualitate nascuntur, & motus ab æquabilitate deflectunt, desiderantur in curatione contraria, quæ excessum, aut defectum ad legitimam proportionem, temperiem & symmetriam reducant. Sic ubi redundans sanguinis & humorum copia morbos ingenerat, tollenda hæc est contrariis, fame, sanguinis missione & evacuantibus. Vicissim, quum succorum laudabilium roscidorum sit defectus, necessaria nutrientia, quæ sanguinem & humores resarciunt. Calor excedens, exigit refrigerantia, humiditas nimia, exsiccantia; motuum languor roborantia; impetus motuum, sedantia.

§. XI.

Specialius monstratur.

Inde nunc etiam patescit, quando, & qua ratione, frigus in potu salutarem edere possit effectum; de quo specialius porro agendum. Atque ut initio dicamus de illa corporis humani præter naturam constitutione, in qua æstus impensus ferviduque intestinus partium sulphurearum motus præsto est, uti potissimum accidit in febre: tum certe ad æstum rest inguendum & calidum motum componendum, potus apprime ex usu est frigidus. Citabimus hujus in confirmationem aliquot probatissimæ fidei testes. Ille artis nostræ dictator. HIPPOCRATES, *epid. lib. 6. Sect. 4.* sic præcipit: *calidæ naturæ refrigeratio confert, aquæ potus & quies.* GALENUS ad ardorem in febribus temperandum, præbuit aquam frigidissimam ad satietatem. CELSUS *in præfatione* meminit medici cujusdam CASSII, qui febrici tanti cuidam & magna siti affecto, frigidam aquam ingessit, eoque, protinus febrem somno & sudore discussit. PRIMEROSIUS *de vulg. error. lib. 1. cap. 40. in febre*, inquit, *si julepi aut denegentur, aut parcius exhibeantur, corpus a calore febrili emaciatur ac marcescit, unde non parum damni ægrotantibus imminet. Sed potius talibus febribus laborantibus copiosius & sæpius præberi debent, ad calorem febrilem temperandum, naturam recreandam; eoque audacius, si coctio præcesserit. Naturales enim evacuationes criticas, per sudorem, alvum vomitumque adjuvant.*

§. XII.

Varia de hoc remediorum testimonia.

Potissimum in ardente & biliosa febre, ceu præstantissimus commendatur frigidus potus. Sic HIPPOCRATES jam *lib. 2. de morb. §. 36.* tradidit: *in febre biliosa, quæ hominem quotidie corripit, & os amarum jungitur, & vomitio juncta, & ad lumbos cruraque gravitas, ea die qua febris desinet, quantum quis bibere volet, aquam fri-*

gi-

gidam sumere oportet. Et *lib. de affect. intern.* §. 2. idem auctor ptisanæ succum bis de die frigidum assumere suadet. Neque minus in ardente febre dare jubet potiones frequentes & paullatim quam frigidissimas GALENUS *meth. medend. lib. 9. cap.* 5. præter venæsectionem, potionem frigidam impense laudat, adjecta ratione, quia extinguit febrem & naturam robustam reddit, ut dein per alvum & sudorem expellat, quæ noxia sunt. CELSUS *lib.* 3. *cap* 12. perhibet: *Si in summo incremento est morbus ardens, utique non ante diem quartum, & magna siti accedente, frigida aqua copiose præbenda est & ad satietatem danda; qua pro medicamento utuntur.* Idem sentit ALPINUS *de medic. method. lib.* 2. *in continentibus*, scribens, *febribus, vehementer æstuosis, medici omnes largum potum algidæ aquæ exhibere suescunt, quia calorem nativum concentrat, ut statim inde suis & calor cesset; roboratur inde totum corpus, & aqua epota digeritur morbus, & plerumque largissimos sudores frigidæ aquæ potus suscitat, nonnunquam vomitus bilioſi fiunt, & aliquando per alvum copioſi profluunt & urinam copiosam excitat. Mirabile est*, concludit, *quomodo tale præsidium has febres expugnet. Nam excretionibus, quas aqua suscitat, hæ febres finiuntur.* Neque minus apprime hanc in rem idem auctor *de medic. Ægypt. lib.* 4. *c.* 15. prodidit: *aliqui*, ait, *pro secreto habent synochas & ardentes febres, multam aquam angariæ*, (quæ cucumeris species) *ægrotis propinantes sanare; si modo febricitantes ea multis diebus in cibo ac potu sola utantur. Alii, tempore vehementioris æstus, largius frigidam potandam concedunt, qua epota, ægros multis pannis contingentes, sudorem procurant, quo non paucos audio sanatos fuisse.*

§. XIII.

Ipsius Auctoris experientia.

Nosmet ipsi de saluberrimo hoc potus frigidi effectu, in febribus sic dictis bilioſis ardentibus, in synocha bilioſa, necnon catarrhali illa synocha, quæ elapso anno hic & alibi grassata, item in tertiana continua & duplici, ex longa & attenta nostra experientia, confirmatius testamur. Novimus enim, quod urgentibus in hisce vigiliis assiduis, impenso succos & corpus consumente ardore, siti inexhausta, cum cute arida & exsucca, decoctum cornu cervi, & scorzoneræ, cum syrupo acidi citri, & nitro conditum, frigidum, crebro, sed minutis hausti bus, ad duas vel tres mensuras quotidie potum, emolumentum attulerit summum, somnum, & largum sudorem induxerit, anxietatem autem viriumque languorem strenue discusserit. Et mirum utique videtur, eas frigida aqua, aut frigidus alius diluens potus, sudorem moveat valide. Sed ubi æstu interno uruntur in corpore cuncta, & intestinus partium sulphurearum motus est vehementissimus, frigidus intus susceptus potus eundem non modo attemperat, sed & calore interius tepefactus, fibras & canales subcutaneos laxat, ut sudor erumpat largissimus. Tanto magis vero, & certius hic respondet effectus, si sufficienti aquæ quantitati indantur simul refrigerantia, acida & nitrosa. De quorum virtute sudorifera notabilis est RIVERII observatio, quam inseruit *Cent. 1. obs.* 19. sic habentem: *observandum, a spiritu sulphuris, vel ejus loco spiritu vitrioli, cum aqua exhibito, sudores copiosos fuisse provocatos, quod multis nobis experimentis innotuit, qui plures tertianas curatas vidimus eodem remedio, in summo accessionis æstu & urgente siti exhibito; unde copioſi sudores provocabantur, a quibus non solum paroxysmus, sed etiam totus morbus integre solvebatur.*

§. XIV.

In febribili æstu an potio frigida denegan da?

Quo magis semper improbavimus, & improbandum censemus, illum perversum, tum medicorum quorundam, tum adstantium morem, qui urgente mordaci æstu, in febribus, exanthematicis etiam, varioloſa, morbilloſa, purpuracea, nec non syn-

synocha, ægris frigidum potum penitus denegant, ac nisi calidum infusi thee, aut decocti caffee, concedunt, eosque præterea tricliniis & lectis calidis includunt atque obruunt. His enim nihil aliud efficiunt, quam ut anxietates augeant, vires exsolvant, inquietudinem accersant, quin sæpe expulsionem materiæ ad summam cutim magis impediant, quam juvent. Frigidus potius potus, modo si dextre & perite ministretur, vires mox reficit facilioremque reddit ipsius morbi decursum. Sanguinis enim & humorum texturam, quam calor dissolvere nititur, firmat ac servat, fibrasque ab impetuoso motu & æstu labefactatas, roborat & adducit, quo id quod in vitio est eo promtius excutiant.

§. XV.

Usus ejusdem in morbis a crudi-tatibus bilio-sis oriundis.

Præterea spectatæ quoque medicæ virtutis frigidus est potus iis in morbis, quorum sedes & fomes primis in viis, ex cruditatibus acido-nidorosis viscidis stomachi ac duodeni, ex bile corrosiva nerveas tunicas arrodente, necnon ex atonia & motus defectu indeque oriundis flatibus molestis. Inter hos autem præcipuus fere ille morbus sic dictus cholericus, crebris alvi dejectionibus, vomitionibus, nausea, præcordiorum anxietate, ardente circa præcordia dolore, virium prostratione, corporis jactatione, & frigido sudore stipatus. Qui, quia natales trahit ex decubitu & congestione sordium acrium biliosarum, partim ex sanguinis & humorum massa ad intestina delatarum, partim ex male ingestis & egestis heic collectarum; optime utique fert frigidas, aquæ in primis puræ, potiones, vel solas, vel etiam idoneis aliis remediis nuptas. Hæ enim humorum acredinem diluunt, orgasticam commotionem minuunt, fibras simul firmant tunicasque roborant, eoque faciunt, ut, quæ præsens est excrementitia materia, promte & minori cum dolore expurgetur, novus autem affluxus impediatur, ac potius ad corporis habitum aliaque congrua emunctoria divertatur.

§. XVI.

Experientiæ Auctoris confirmatur.

Confirmatum id habemus memoratu digno fœminæ generosæ exemplo. Erat hæc constitutionis sanguineo-cholericæ & biennio abhinc ex ira & eduliis variis incongruis passione corripiebatur cholerica. Intra diem enim & noctem plus quam trigesies per superius & inferius os dejiciebat viridia, assumta quævis vomitu reddebat, præcordia angebantur cum sudore frigido, vires languebant insigniter, vigilia urgebat assidua & aderat præterea febris, alternis semper diebus ingravescens, sub cujus accessione ipsa mens emovebatur. Accitus ego, illico ptisanam, ex rasura cornu cervi, scorzoneræ & hordeo excorticato, confi-cere, ac hujus quatuor cochlearia, cum decem liquoris anodyni mineralis guttis, singulis binis horis frigide sumere jussi. Pedes dein qui admodum erant frigidi, calidæ immittere, ventremque balsamo vitæ inungere, præcepi. Tum sedato quodammodo vomitu ac dolore, suasi liberaliorem ptisanæ potum frigidum & usum pulveris, ex glacie Mariæ præparata, cornu cervi philosophice præparato, conchis, cancrorum lapidibus & aliquot olei macis guttis. Quibus intra quatriduum substiterunt vomitus & dejectiones, febris facta mitior, sequutus somnus & sudor validus, ac morbus solutus. Quam in rem conferri etiam potest observatio, quam in *tom. 4. medic. system Sect. 2. cap. 5.* de mirabili potus aquæ frigidæ in cholera successu & cura attulimus.

§. XVII.

Aliorū etiam testimoniis.

Nec alienum erit, in uberiorem confirmationem, adducere nonnulla auctorum testimonia luculenta. Optimam & huic nostræ omnino conformem choleram sanandi methodum tradit ARETÆUS, *lib. 2. de curat. acut. passion.* Præcipit enim: ne in prin-

cipio supprimatur, sed potius promoveatur humorũ vitiosorũ exitus, sorbẽdo aquam tepidam assidue, sed paucam: Dein si torquentur intestina, & pedes frigescunt, alvum irritandam esse calido unguento monet. Si autem biliosi humores per inferiora dejecti, biliosus tamen vomitus adhuc adsit, cum fastidio, anxietate, virium lapsu, vult, ut frigidæ aquæ ciathi duo, aut tres propinentur, ad ventris adstrictionem, quo retrogradus humorum cursus prohibeatur, & stomachus ardens refrigeretur. Si vero arteriarum motus ad parvitatem lapsi fuerint, sudor circa frontem & alias partes stillatim decidat, & alvi profluvium & vomitus sistatur, præsente animi deliquio, tum parum odorati & adstrigentis aquæ frigidæ esse infundendum. CÆLIUS AURELIANUS, Methodicorum facile princeps, in cholerico morbo frigidam aquam per intervalla sorbere suadet, & catapotia ex ononide composita cum duobus cyathis aquæ frigidæ assumere. ALEXANDER TRALLIANUS recte quidem externum frigidorum usum prohibet in cholera, *lib. 7. pag. 376. sed pota*, scribit, *aqua frigida maxime omnium convenit, quæ paullatim bibatur; si virium summa imbecillitas, parum vini addendum*. Perite tamen *l. c. pag. 475.* monet, tum utilem esse frigidam: *si biliosa per alvum & vomitum egeruntur; si æger vehementer sitit & linguam scabram habet; si æstas fuerit, æger juvenis & calidiori victu primum usus.*

§. XVIII.

Aquæ frigidæ usus in dysenteria.

Ex quibus jam recte per analogiam concludendum: in illo cholerico admodum affini intestinorum affectu, quo cum intolerandis fere torminibus ac tenesmo, biliosa, & cruenta dejiciuntur creberrime, non minus proficuum esse frigidum aquosum potum, easdem ob causas. De quo salubberrimo effectu frigidi potus in dysenteria, uberius præterea testatur experientia. Sic. DIEMERBROECK *Observ. 29.* meminit dysenteriæ desperatæ, potu frigido sanatæ. In M. N. C. *Dec. 2. an. 9. Observ. 53.* memoratur: cruentas dejectiones, cum febre continua, acerbis torminibus, siti inexplebili, aquæ Nucerianæ frigidæ ad plures cyathos potu, fuisse percuratas. Nos ipsi testamur experti, diluentes potus, ut lactis serum, lac lymphatum, ebutyratum, aquam simplicem, aut mineralem leniorem, Selteranam scilicet, aut Swalbacensem, in dysenterio morbo profuisse eximie. Vidimus id maxime in illa dysenteria, quæ ante aliquot annos, ex calida diuturna insolita aeris æstate constitutione infestavit epidemice, nec paucos sustulit e medio. Qui enim domesticis his remediis ac diæteticis usi, melius habuerunt & sæpius convaluerunt iis, qui pharmaceuticis, quantumvis pretiosis antidysentericis, a morborum artificibus sunt tractati.

§. XIX.

In vomitu biliosо diuturno.

Accedit vomitus biliosus & diuturnus, in quo compescendo pariter præstans est frigidus aqueus potus. In hoc certe vidimus multoties salubberrimum effectum, non modo a potu acidularum Antonianarum frigido, sed & ptisanæ, necnon aquæ frigidæ simplicis, cui aliquot spiritus vitrioli, aut liquoris anodyni mineralis guttæ instillatæ. Licet etiam potis liberalius acidulis, primum crebriores per os & anum sequutæ dejectiones biliosæ, remisit tamen brevi vomitus, nec postea infestavit amplius. Digna est quæ hanc in rem notetur observatio in *M. N. C. Dec. 3. An pag. 166.* de sacerdote temperamenti cholerici, qui per multos annos in more habuit, ut, quoties. cunque se, tempore præsertim æstivo, bile repletum sentiret, frigidam jejuno stomacho copiose hauriret, eoque ingentem bilis copiam per superiora & inferiora egereret. Hæc autem evacuatio, haud immerito partim humiditati & copiæ aquæ, quæ quasi sordium præbet vehiculum, partim

etiam

etiam ipsi frigori, quod delassatam motricem in fibris stomachi & intestinorum vim revocat & intendit, videtur tribuenda.

§. XX.

In ejectione viscidarum cruditatum.

Non dispar ratio est, illius materiæ viscidæ vomitus, aut minimum conatus vomendi, qui a collectis crudis & male coctis in stomacho succis, matutino tempore, nonnullis, præsertim senibus, cum pectoris angore & magno egerendi nisu, accidit. Nam licet ad hunc præscindendum quidam ex usu esse putent, haustum aquæ cujusdam destillatæ spirituosæ, aut, ut vocant vitæ, vesperi assumtum, tantum tamen abest, ut speratus respondeat effectus, ut potius alvus obliviscatur officii eoque malum ingravescat. Nos potius secura, & explicita ratione suppetias tulimus multis consilio: ut abstinerent e spirituosis, ac circa somni tempus quartam mensuræ partem aquæ frigidæ biberent, mane vero infusum thee, vel melissæ, aut veronicæ, corticibus citri conditum, calide in lecto sorbillarent, ac postea lenem madorem exspectarent.

§. XXI.

In passione iliaca, colica, Hæmorrhoidibus suppressis.

Quæ porro intestina detinent tormina, tam colica, quam iliaca, sive a bilioſis mordentibus succis, sive etiam a sanguine in vasis tunicarum intestinalium hærente oriantur, optime & certo levantur liquido, maximeque aquoso, frigide & copiose sumto. Oritur enim dolor hic a causa, ut Veteres loqui solent, calida, eaque propter ipsi optime occurritur contrario, frigido potu. Scilicet incidit sæpius, in primis post iram suppressam, ut in corporibus juvenilibus, necnon virilibus, exquisitioris sensus & cholericę constitutionis, acres bilioſi humores in cavo & flexuris intestinorum hærentes, ipsaque mora acriores redditi, non modo acredine sua nervosas intestinorum tunicas mordeant, sed & in vapores resoluti, easdem distendant nimium, eoque doloris sensum inferant acerbissimum. Neque etiam insolens est, in iis maxime, quibus suetus hæmorrhoidum fluxus suppressus, quod sanguis redundans, lentius per portę venam & hepatis viscus means, in connexis tunicarum intestinalium vasis subsistat, illa distendat, has premat & ad spasticam stricturam exstimulet, qua flatibus prohibetur transitus & passim proritatur distensio, ac propter pressionem æque ac distensionem, tormina suscitantur fere intoleranda. Potus autem aquoſi frigidi diluens, temperans & roborans est facultas. Hinc mordentes bilioſos succos, diluendo ipsorumque intestinum motum compescendo, ita obtundit atque cicurat, ut vellicatione non amplius doloris sensum inferant. Sanguinem quoque crassum obhærescentem fluxilem reddendo, liberum facit ipsius per intestina commeatum, quo sublata a distentis vasis pressione, tollitur & dolor. Fibris præterea obnimiam expansionem a robore dejectis, robur reddit, ut iterum sese contrahant, flatusque ad ani ostium protrudant, quo pariter doloris conciliatur levamentum.

§. XXII.

Probatur exemplis.

Qui salutaris aquæ frigidæ in doloribus intestinorum effectus, sicuti firma omnino nititur ratione; ita non minus per experientiam certus est atque probatus. Exstant enim de eo passim in medicorum commentariis luculenta & testimonia & exempla. E quibus instar omnium id, quod consignavit LUDOVICUS SEPTALIUS, *animadv. lib. 7. pag. 248.* dignum quod inseratur toto. *Contigit*, scribit, *aliquando, ut colici dolores adeo vehementes sint, ut omnem medicamentorum operam eludant, ac quocunque auxilio adhibito, potius augeantur. In quo casu erit ad contraria transeundum.*

Quam enim colici dolores majori ex parte a materia fiant, aut a flatibus distendentibus; fit aliquando, ut aut ratione dolorum, vigiliarum, aut mœroris ob contumaciam, aut invalescant nimium, aut intestina, accedentibus etiam calidis & foris appositis remediis aut phlogosi quadam tententur, aut etiam vera inflammatione incipiant affici, aut multa præexistens bilis ibidem transfundatur. Unde ad contraria erit transeundum & insigniter refrigerandum. Quod mihi præterito anno contigit, in nobili quodam Hispano, qui cum colicis doloribus per aliquot dies acerrime fuisset conflictatus, & jam jam mors esset præ foribus, nulli persentirentur arteriarum pulsus, sudores essent resolutorii, nulla denique supereresset spes salutis, ne quidem apud Medicos etiam præstantissimos; accersitus & ego, cum sitim inextinguibilem, linguæ scabritiem, nigrorem atque duritiem, pertactis autem hypochondriis & ventre inferiori, calorem in partibus illis æstuantem adesse observassem, Hispano aquam multam, nive etiam refrigeratam, bibendam exhibui, cum natura abstemius esset. Et multæ aquæ potator in somnum prolapsus est, & quatuor horarum spatio cum dormiisset, dolore quodam inferioris ventris, a primo maxime, ut ipse referebat, diverso, excitatus a somno, miram bilis flavæ copiam evacuavit & a doloribus liber evasit. Unde collegi, medicos, qui illius curationem susceperant, in causa morbi illius longe deceptos fuisse, cum calidis remediis curationem instituissent, a frigida materia morbum factum judicantes. Ut brevitati studentes mittamus illam AMATI LUSITANI historiam, quam *Cent.* 1. *curat.* 2. de muliere colica ex causa calida laborante, quæ ex potu aquæ frigidæ subito incantamenti instar dolore levata est, nunquam redeunte, habet, nec non illam, quæ *in M. N. C. Dec.* 2. *ann.* 10. *obs.* 139. reperiunda. Nos quod in confirmationem adducamus, habemus potissimum exemplum Sereniss. mi Principis, qui colicæ biliosæ sæpissime patitur insultus, contra quam præsentissimum ipsi remedium Schlangebadensis aqua, qua ad duas vel tres mensuras subfrigide hausta, illico dolor levatur ac cessat.

§. XXIII.

Pari ratione in spasmis & anxietatibus præcordiorum, in sic dicto dolore cardialgico, stomachi ardore & soda, præstans est potus frigidi facultas. Oriuntur enim ut plurimum hę passiones a colluvie acrium biliosorum, vel etiam acidorum humorum in primis viis, maximeque ventriculo, hospitantium, & mutua quasi confermentatione majori acrimonia imbutorum. Quibus dum nervosum os stomachi superius male afficitur, oritur inde strictura spastica, dolor, ardor & anxietas. His autem certo & cito succurrere aptus est frigidus potus, succos mordentes diluens motumque in ipsis supprimens, quo minus vellicent. Hinc recte MARTIANUS in ardore stomachi cardialgico hoc remedium plurimum commendat. Et CELSUS *lib.* 1. *c.* 8. ex vero scribit: *qui tarde concoquunt & quorum illico præcordia inflantur, quique propter ardorem, cum noctu sitire consueverunt, antequam conquiescant, duos vel tres cyathos aquæ frigidæ, per tenuem fistulam potent.* Idem nosmetipsi experti testamur, qui sæpius observavimus, aquam frigidam, vel solam, vel liquore anodyno mixtam, opem tulisse præsentissimam. *In stomachi vitiis, spasmo, ardore &c.*

§. XXIV.

Inter morbos, quorum sedes in prima corporis regione, est adhuc pervicax illud hypochondriacum malum. Sane qui hujus ortum & causas habet perspectas; is ultro fatebitur, aquæ potum frigidum ad versus illud esse apprime utilem. Fundamentum enim hujus passionis atonia est stomachi & in- *In malo hypochondriaco.*

intestinorum. Hanc excipiunt sanguinis in vasis, & succi chimosi, nec non excrementorum, in cavo intestinorum stagnationes. Hæ porro occasionem dant flatibus & spasmis, e quibus demum symptomata reliqua cuncta. Sed frigida aqua fibras remissas firmat & motum peristalticum æquabilem reddendo, flatus dissipat, atque id, quod in substantia æque ac cavo intestinorum moram nectit, in motum ciet; unde morbus totus abigitur. Quæ salutaris aquæ frigidæ virtus, CELSO jam cognita fuisse videtur; qui *lib. 1. cap. 8.* frigidas potiones commendat, si stomachus infirmus est, quem pallor, macies, præcordiorum dolor, nausea, vomitus, in jejuno dolor capitis, indicant, suadens porro, ut omnes potiones aqua frigida includantur; & ubi cibus acescit, ante bibendam aquam gelidam, & hac ratione, & vomitum, & frequentem dejectionem, promoveri, si alvus subsistat. In primis autem habeo, quod dilaudem, aquæ frigidæ usum in malo hypochondriaco. Plures enim novi vegetæ & sanguineæ constitutionis, qui huic morbo, partim ex retenta purpura chronica, partim etiam ex neglecta consueta sanguinis missione, vitæ genere ex laborioso simul in sedentarium mutato, cum vehementi melancholia impliciti; adhibitis incassum pharmaceuticis remediis cunctis, potu acidularum frigido, per mensem & longius continuato, habuisse optime, erumpente etiam ipsa purpura. Si etiam postea nonnulla symptomata spastico-flatulenta recruduerunt, dedi consilium, ut quotidie ante lecti introitum, quarta pars mensuræ aquæ frigidæ, cum quindecim, vel viginti guttis liquoris anodyni mineralis, assumeretur & quandoque pulveris nitrosi & pilularum balsamicorum usus interponeretur. Et sic sæpissime hoc medicorum scandalum sustulit feliciter.

§. XXV.

Pariter in affectu hysterico.

Quod in viris hypochondriaca, id in fœminis hysterica pathemata; unde in promtu est colligere: in his non minus, quam illis, accommodatum esse frigidum potum. Quam atrocia sint in hysterica passione symptomata, præcordiorum angores, ventris tormina, dorsi dolores, artuum convulsivæ tractiones, tendinum subinde subsultus, animi deliquia, pulsuum debiles & inæquales ictus, faucium præfocationes, conatus ad vomendum, cordis tremores & spiritus intercluſus, per ipsam experientiam uberius constat. Quam difficulter malum hoc penitus exstirpetur; ita, ut sæpe omnium efficacissimorum alias pharmaceuticorum remediorum virtutem eludat, parirer est notum. Multiplici tamen experientia confirmatum habeo, a nullo tam præsentaneum, & certum adversus illud auxilium esse exspectandum, quam ab aqua frigida, qua ad uncias sex, vel sola, vel cum tertia parte aquæ ceraſorum nigrorum remixta, instillatis simul quindecim liquoris anodyni mineralis guttis, pota, pathemata discutiuntur cuncta. Vidi id nuperius admodum in fœmina venusta, quæ per tres integros menses ante connubium laboravit hoc malo graviter, & tertio post nuptias mense in illud recidit, solo autem hoc remedio, cum mariti & propinquorum gaudio, facili & explicata ratione ad sanitatem reducta.

§. XXVI.

In pleuritide articularibus.

Neque tantum in prima corporis regione frigidum humidum efficaciam suam exserit; sed eandem etiam longius in alias remotas corporis partes diffundit. In tussi enim quæ ferina, sive convulsiva audit, eximie quoque prodest. Tussis hujus causa non humor copiosus lentescens ejiciendus screatu, sed acris quædam subtilis materia. Neque sedes ipsius in ipsa vesiculosa pulmo-

monum substantia, sed in pneumonicis nervis, qui ab inhærente vellicante materia, cum totius pectoris musculis, ad vehementem molestissimum motum succussatorium exstimulantur. Quare frustra penitus in hoc tussis genere dătur sic dicta expectorantia, laxantia & pituitam incidentia. Sed quæ causæ in primis accommodæ sunt ea, quę placide diaphoresin sine æstu interno excitant. Inter quæ haud immerito locum tenet diluens potus, propter frigus simul roborans & ulteriorem affluxum & decubitum impediens. Unde saluberrimum esse potum ejusmodi frigidum innotescit. Quem etiam nosmetipsi utiliorem deprehendimus, quam calidum, in adultis, æque ac infantibus sic tussientibus.

§. XXVII.

In morbis articularibus.

Quod vero magis videtur mirabile, in externarum quoque partium vitiis frigidus potus opitulatur eximie; quorum in numero sunt dolores, qui tam articulos affligunt, quam etiam membranis musculorum insident. Ad præservationem enim articularium morborum perutilem esse aquosum potum testis est BRUYERINUS *de re cibar. lib. 16. c. 3. ex hydropotis*, inquiens *nemo facile est, qui hunc in morbum* (arthritidem scilicet) *prolabitur*. Quam salutaris vero sit ad curationem passionum in articulis, fidem facit LANZONI, in *M. N. C. Dec. 3. Ann. 3. obs. 25.* memorans: sacerdotem quendam, doloribus articulorum continuis misere afflictū, abstinentia a vino, & solo potu aquæ simplicis, sic feliciter convaluisse ut arthriticus esse plane desierit. Eundem felicem potus aquæ successum POTERIUS *Cent. 3. cap. 39.* prodidit; sic perhibens: *Dn. CÆSAR LEVANTE in juventute pessima arthritide vexabatur, cujus causa quinque vel sex menses in lecto decumbebat. Primi dolorum insultus adeo efferati erant, ut ad duos menses nullo pacto quiescerent. Primis diebus ad eum vocatus, pilulas catholicas alternis ipsi diebus præscripsi, ubi contumax erat dolor, laudinas ipsi miscui. Ad totalem autem curationem ipsi indicavimus, ut bis in mense de dictis assumeret & loco vini in potu biberet aquam perpetuo. Quod præstitit per decennium, quo tempore perfectam adeptus est sanitatem. Scipiones & cruces, quibus in ambulando utebatur, primo abjecit, tandem baculum & modo rectus, sine auxilio incedit, modo agit sexagesimum annum, optimo robore donatus & optima valetudine fruens.*

§. XXVIII.

In doloribus arthriticis, podagra &c.

Salutarem hunc aquæ potus effectum etiam multiplici experientia habemus confirmatum. Quam præstabile enim sit adversus podagricos dolores remedium, fuse docui in dissertatione *de remedio doloris podagrici genuino & simplicissimo*. Arthriticos vero quoque dolores cum orta inde contractura, aquis in Germania passim obviis medicatis quidem dictis, sed indole tantum levibus ac puris & nonnihil de martiali elemento habentibus liberaliter, ad unam, vel duas mensuras, quotidie aliquandiu potis, penitus abactos esse sæpius novi. Memini potissimum viri, qui per novem & quod excurrit annos manuum pedumque contractura, ex dolore post tertianam male curatam affectus fuerat. Is enim posteaquam salubrem nostratem aquam, quę ante suburbium Glauchense, in via qua itur Bœlbergam salit, ac præter tenuia nonnulla martis ramenta, a fontana pura & levi non differt, per aliquot hebdomades, quotidie ad sex vel octo mensuras potasset, urinam excrevit copiosissimam, manus & pedes successive redierunt ad officium & cum maxima omnium, qui ipsum ante noverant admiratione, perfectam omnino recuperavit sanitatem. Ut silentio prætereamus plura alia exempla: doloris rheumatici, ischiadici, per frigidum Egranarum aliarumque mineralium aquarum potum, & balneum ex aqua martiata Lauchstadiensi, feliciter expugnati.

§. XXIX.

§. XXIX.

Cephalalgia. Nec minus in capitis dolore, tam idiopathico, quam symptomatico, spectatæ virtutis est frigidus aquæ potus. Symptomatica enim cephalalgia sæpius oritur ex ventriculi vitio, a biliosis, acribus, acidis & male coctis succis, in hypochondriacis maxime & hystericis, juncta cum lento circa vesperam increbescente calore. Et in hac utique saluberrimum sæpius deprehendimus simplex nostrum remedium ita, ut pota ad quartam, vel dimidiam mensuræ partem aqua fontana, cum tertia parte aquæ cerasorum nigrorum, aut florum tiliæ, circa lecti introitum, dolor extemplo sit dissipatus: uti noviter admodum compertum habemus exemplo fœminæ honestæ Islebiensis. In idiopatico vero etiam capitis dolore, cujus causa & sedes in ipsius capitis & cerebri membranis, aquam frigidam potam prodesse, hæc testatum facit historia. Vir erat Hebræus, circiter quadragenarius, strictioris corporis habitus, qui ab iracundia & superingesto cibo, contraxerat dolorem in vertice capitis fixum, spatium occupans magnitudine imperialis. Sensus hujus doloris quidem non adeo erat acutus, vibratorius, lancinatorius, aut pulsatorius, uti alias in cephalalgia esse solet, sed magis pressorius & gravativus sub cranio; neque erat perpetuus, sed subinde, maxime circa vesperam & noctu, ingravescebat. Nihilominus tamen adeo graviter inde luebat universum corpus, ut appetitus concideret, somnus abesset, vires mirifice deficerent, pulsus inordinatus, modo celer, modo rarus & languidus micaret, ipse quoque animus abjectus esset & sub paroxysmo quãdoque plane turbaretur. Pugnatum fuerat adversus hunc dolorem ab aliis strenue & efficacissimis alias remediis. Sed licet quandoque inde remittere per aliquot dies videretur, levi tamen accedente occasione, ex ira, aut aliis externis injuriis, iterum vehementia recrudescebat priori. Exactis inter hæc duobus circiter mensibus, in consilium simul vocatus est medicus certus. Is purgato prius per aquam Sedlicensem corpore, dedit consilium, ut æger mane & post meridiem biberet dimidiam mensuram aquæ fontanæ frigidæ in lecto. Inde primum quidem factum refrigerium & symptomata visa exacerbata, sed elapsa hora, pulsuum magnitudo increvit, & sudor erupit largissimus, cum doloris levamine. Hinc per septem dies potum continuare præcepit, tam felici successu, ut successive dolor evanesceret omnis. Ac licet elapsis aliquot hebdomadibus, post iram dolor hic repeteret, eodem tamen remedio per triduum feliciter est discussus, & æger sanus jam est ac vegetus.

§. XXX.

In convulsione. Revocat hæc historia in animum aliam de singulari effectu potus aquæ frigidæ in affectu atroci spasmodico convulsivo, quam heic inferere non erit alienum. Puer hebræus duodecim annorum, a terrore & frigore, incidit in ingentes præcordiorum anxietates, cum tussi, virium lapsu, extremorum tremore, intercurrente horripilatione & interno æstu. Tertia die post manus & pedes convulsivis motibus & subsultibus agitati, per horæ dimidium insistentibus. Inde magis magisque increverunt convulsivi hi motus, ut dorsum & collum aspectu horrendis incorvationibus, & contractionibus quassarentur, idque aliquoties quotidie. Sub paroxysmo pedes frigebant, thorax elevabatur, respiratio erat crebra, pulsus celer & durus, sensus tamen constabant. Post paroxysmum languebat corpus universum, appetitus vero cum somno erat integer. Adhibiti in consilium medici multi, exterorum etiam consilia conquisita. Plurimi verminosam progeniem subesse causam rati, aliqui per terrorem invectum esse malum putarunt. Sed data, tam ex il-

lorum sciētia anthelmintica, quam ex horum præscripto antepileptica, adhibitis simul balneis, fuerunt prorsus frustranea. Malum potius perstitit idem, quin subinde factum acerbius. Tandē miser aquam fontanam frigidam, ad unam, vel dimidiam mensuram, quotidie per vices bibere jussus est. Quo intra quatuordecim dies motus isti convulsivi paullatim compositi, nec in hoc usque tempus iterum infestarunt.

§. XXXI.

Ratio horum effectuū. Singulares certe & mirabiles sunt hi aquę frigidę effectus: quin inter fortuitos casus eosdem referendos esse, nonnullis forsan videbitur, quia ratio eorum non adeo obvia. Nos autem cēsemus, causam reddi posse haud adeo difficulter. Arbitramur quippe: frigidæ potum interdum artificialem quasi febrem & motum febrilem auctum officere, cujus in resolvendis minimorum obstructionibus, & discutienda alicubi hærente vitiosa materia, magna vis est. Nulla enim febris fit sine rigore partiū externarum; hoc sanguis introrsum ad vasa majora cōgeritur; inde horum fit major diastole; quæ in corporibus adhuc valentibus ęqualem proritat systolem intensiorem; hinc universus sanguinis circulus fit auctior & celerior, atque per motus sic intēsos causa morbum ingignens concutitur simul & discutitur. Quare prisci medicinæ parentes, HIPPOCRATES & CELSUS, febrem jam habuerunt medicinam, quo magni etiam morbi curantur, paralyses, epilepsiæ, convulsivi motus & affectus spasmodici hypochondriaci. Quin consultum duxerūt, suppressa citius febre, novam accendere. Qua de re pluribus videnda dissertatio *de salubritate febrium*. Atque ex his etiam in promtu ratio: cur balnea frigida, in persanandis chronicis morbis, hydrophobia, paralysi aliisq; mirabilem sæpe ferant opem; quod vero argumentum peculiari forsan dissertatione uberius excutietur.

Cautelæ circa usū aquæ frigidæ.

§. XXXII.

Atque hi sunt illi morbi, in quibus aquæ frigidę potum conducere certum est. Longe plures etiam enumerantur in libro, de *virtutibus medicinalibus aquæ cōmunis*, anglice, auctore SMITH conscripto, & gallice Parisiis edito, in quo potissimum ceu febrifugum magnum & antipestilentiale dilaudatur, & vix morbus est, in quo non prodesse asseritur. Sed nobis sufficit, attulisse illos effectus, quos ipsi spectavimus & propria experientia certos esse novimus. Id vero necessariū erit, ut ultimo loco subjungamus monita quædam, ad obtinendum salutarem effectum servanda. Igitur quando ex vehemēti corporis commotione, interiora ęstuant & corpus sudore perfunditur, frigidus potus, præsertim largus, utique nocentissimus, & nunquam præbendus est. Idē tenendum, quum per vehementem iracundiæ affectum animalis ęconomia & motuum vitalium successus exagitatur ac turbatur. Ubi interiores partes, in primis stomachus cum intestinis, ipso in paroxysmo atrocibus spasmis & doloribus torquentur, cum extremorū frigore, pulsu duro & inæquali, potum actu frigidum propinare est inconsultum. Majori adhuc cautione opus est, si internæ cujusdam inflammationis signa adsūt, quæ frigore omni, quod stasin obfirmat, non potest nō exacerbari & ad sphacelum disponi. Neque etiam frigidum humidum sine noxa dari potest senibus & ubi longa valetudine vires admodum languent; neque ubi crudis vitiosis humoribus prima regio obsessa, & in fęminis, præsertim ex criticarum sanguinis evacuationum defectu, metus est cachexię. Spectanda potius in omni hujus remedii, simplicis quidem, sed effectu heroici, usu, ætas, structura solidorum, tēperies humorum, morbus, ipsius causa & tēpus. Quod si enim corpus juvenile, biliosū: si morbus ex acrimonia & copia biliosorū humorū enatus; si vires adhuc cōstant; si morbi nō est impetus & paroxysmus; corpus totū æqualiter calet, neq; sanguinis, vel humorū propter spasmos præsto sunt cōgestiones: frigidus aquę potus utiq; non reformidandus est, sed commendādus.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Ultimo loco quædam adhuc de perniciali hujus remedii abusu ad §. VI. illustrandum merentur adduci. Posteaquam ante aliquot annos compluribus locis varia de excellenti aquæ frigidæ usu medico, & Gallico & Anglico idiomate scripta, prodierunt, & quidam medicorum non levem in praxi inde experti erant fructum, mox ut fieri ab imperitis solet, ceu universali ad omnis generis morbos tum arcendos tum sanandos remedio empirice sine ullo habito discrimine morbi ejusque causæ, individui & naturæ corporis aquæ frigidæ potu uti cœperunt, & sæpius non sine exitiali damno. Ex compluribus exemplis saltim quædam attingam: Juvenis isque medicus ad feminium purpuræ scorbuticæ, cui sæpius obnoxius fuit, delitescens penitus delendum loco cerevisiæ quotidie tres vel quatuor aquæ frigidæ mensuras hausit. Sed exacto aliquot septimanarum spatio magna increvit sitis, quæ, quo majori aquosi potus copia ad eam sedandam utebatur, eo minus extinguibilis reddita fuit, ut nec decem mensuræ illi compescendæ sufficerint: defuit illi omnium ciborum appetentia, secuta est macies cum æstu universi corporis, virium consumtio, & tandem mors; promte aquæ copia per urinam & alvum seccedebat, sed ne quicquam madoris in cute, quæ rigida dura & stricta erat, apparuit. Novi etiam aliquot exempla hypochondriacorum, qui præscripto frigidæ ad tres vel quatuor mensuras singulis diebus potu misere gravibus symptomatibus cruciati fuerunt, sufflaminata identidem perspiratione, partes nervosæ tum internæ tum externæ doloribus spasmis & convulsionibus agitabantur, tam atrociter, ut vix ulla remedia locum invenirent commodum; & quod notabile erat, ab enormi hoc frigidæ potu partes musculosæ nervosæ & fibrosæ aspectu & tactu rigidiores duriores & crassiores redditæ fuerunt. Pulsus quoque arteriarum longe durior erat naturali. Longiori vero ex meo consilio balneorum temperatorum & remediorum diluentium & demulcentium usu in meliorem quodammodo valetudinis statum pervenerunt.

FINIS.

INDEX

INDEX RERUM LOCUPLETISSIMUS.

A.

Abortus non sine convulsione succedit. 42. ex uteri atonia. 31. post abortum & puerperium. 121. præcavetur venæ sectione in brachio. 297

Abscessus differt ab ulcere. 78. interni signa. 75. in abdominis integumentis quandoque subsistit. *ibid.* in thorace. *ibid.* post variolas. 76. in mesenterio. *ibid.* musculorum dorsi. *ibid.* uteri. *ibid.* renum. 77. in parotidibus. *ibid.* sinubus frontis. *ibid.* pulmonum facile recidivat. 130. interni rupti mortis causæ. 194

Absorbentia veteribus ignota. 245. eorum apparatus. 244. differentiæ. 245. amplissimæ utilitatis. *ibid.* correctioni materiæ dicata. 244. cum acido in tertium cedunt. *ibid.* præmittenda purgantibus. 245. naturæ opus juvant. 217. quædam adstringunt. 260. cur alvum ducant. 166.

Acetum specificum in peste. 284

Acicula deglutita atrocia ciet pathemata. 52.

Acida temperant. 245. pulsum mutant. 156. sanguinem coagulant. 148. optima alexiteria. 284. infensa humorum progressui. 245. nitrosis postponenda. 246. clysteribus non indenda. 317

Acuta febris in quo consistat. 207. plerumque inflammatione stipatur. *ibid.* cur recidivet. 130. a natura sanatur. 256. quomodo per artem. 207. venæ sectionem poscit. 295. *seqq.* symptomaticæ malæ. 214

Acuti morbi quomodo differant a chronicis. 212. *seq.* caute tractandi. 199. funesti signa. 179. *seqq.* causa mortis in iis sphacelus ventriculi & intestinorum. 197. *seq.*

Adstrigentia quæ sint. 277. *seq.* quomodo agant. 278. qua methodo exhibenda *ibid.* insecura. *ibid.* debilibus noxia. 109. hydropem gignunt. 123. *seq.* nocent in alvi fluxibus. *ibid.* hæmopthysi. 121. intermittentibus. 124. hæmorrhagiis. 109. gonorrhea. 125. clysteribus non indenda. 317. calculum præscindunt. 278.

Æquinoctium venæ sectioni cur opportunum? 292

Aer mutat corporis functiones. 15. pulsum. 138. *seq.* excretiones. 159. morborum epidemiorum causa. 15. 92. purus & temperatus salubris. 6. crassior impurus insalubris. *ibid.* perspirationem mutat. 9. 92. frigidi effectus. *ibid.* humidi. *ibid.* calidi. *ibid.* frigido humidus perspirationi obest. *ibid.*

Æstus quos gignat morbos. 92. qualis in eo pulsus. 138

Ætas in historiis morborum necessaria. 4. *seq.* ad morbos facit. 45. *seq.* 117. pulsum mutat. 138

Alcalina sanguinem fluidiorem reddunt. 148. *terrea* absorbent. 245. non soluta stomachum gravant. *ibid.* non penitus ab acido solvuntur. *ibid.*

Salia celerrime solvuntur. 244. *seq.* soluta in tertium degenerant. 245

Alexipharmaca in malignis minus proficua. 260

Alimenta nocent in morbis spasmodicis. 67. valentis materiæ debilibus noxia. 231. superato morbo parce danda. *ibid.*

Aloe hæmorrhoides movet. 107

Aloetica quibus & quando conveniunt. 255

Alterantia materiæ correctioni dicata. 242 quadruplicis generis. 244. pro materia corrigenda variant. *ibid.*

Alteratio a natura non perficitur. 217

Alvina excretio in morbis consideranda. 7. 11. 166. multum ad sanitatem facit. 7. 165. motus intestinorum index. 168. *seq.* quæ evehat. 147. sub doloribus & spasmis supprimitur. 66. nec non in capitis & nervorum morbis. 169. sine noxa aliquandiu supprimitur. 165. in morbis prudenter movenda. 169. tarda ex bilis defectu. 166. mala. 168. suppressa morbos inducit. 7. involuntaria unde, 43. nimia & inordinata quid indicet. 168. nimia quomodo compescenda. 170. 171. v. *Purgatio*.

Alvi obstructio a spasmo intestinorum.

37. succos inquinat. 48. varia pathemata inducit. 37. in febribus noxia. 129. cur aliquandiu indemnis. 165
Amygdalarum oleum in doloribus & spasmis utile. 63
Analeptica quæ sint. 183. quomodo agant. 273. limitatæ virtutis. *ibid.* pulsum mutant. 139. motum refocillant. 68. optima nutrientia. 330
Anasarca ex asthmate gignitur. 123. balneis vaporosis discutitur. 311. purgantibus curatur. 316
Angina ejus species. 21. *seq.* quomodo gignatur. 35. spasmis debetur. 34. suffocatione perimit. 236. venæ sectione sub lingua levatur. 299
Anima non est Medicinæ principium. 32. perperam dicitur natura. 213. *seq.*
Animi pathemata proxime afficiunt nervos parteſque nervosas. 48. effectus mere corporeos præstant. *ibid.* eorum effectus. 6. functiones corporis turbant. 49. morbos pariunt. 6. mutant pulsum. 139. vires debilitant. 117. humores corrumpunt. 65. ventriculum afficiunt. *ibid.* excretiones criticas sistunt. 8. ad colicam faciunt. 27. curationi obsunt. 6. nocent in morbis exanthematicis. 58. nec non inter & post pastum. 65. post eos motus insalubris. 215
Animus in morbis considerandus. 3. conspirat cum corpore. *ibid.* ejus inclinationes a corporis structura. *ibid.* & progressu humorum per caput. 39. nimis fatigatus ventriculum debilitat. 54. stupidus ex apoplexia unde? 117. ejus morbi hæmorrhoidibus solvuntur, 107
Anodyna quæ sint. 281. quomodo agant. *ibid.* quomodo utiliter adhibenda. 223. diaphoreticis in doloribus miscenda. 262
Anodynus liquor celeriter operatur. 62. optimum sedans. 282. in doloribus maxime. 200. specificum in epilepsia symptomatica. 286
Anorexia unde. 43
Anthelmintica quæ optima. 287
Antidotus optima oleosa. 53. & pinguia. 248
Antimonium crudum specificum in passionibus rheumaticis. 285
—*sulphur* in acribus salsis defluxionibus utile. 63. specificum contumacium intermittentium. 389. & guttæ serenæ. 282
—*regulus medicinalis* acres & salsas defluxiones arcet. 63. specificum in contumacia intermittentium. 283
Antispasmodica quæ sint. 281. quomodo agant. *ibid. seq.* hæmorrhagias sistunt. 224. non sola curant malum hypochondriacum. 62
Anus prolapsus balneis reprimitur. 281. resolutus involuntariam facit excretionem. 43
Aphonia a spasmo nervorum lingualium. 40. & paralysi. 48. in verminantibus obvia. 40
Aphthæ differunt ab angina. 12
Apophlegmatizantia quæ sint & quando adhibenda. 270
Apoplexia vera vel spuria. 28. 34. hæreditarius morbus. 117. facile recidivat. 130. in paralysin transit. 29. a spasmo duræ matris. 40. differt a catalepsi. 29. syncope. 34. stuporem animi gignit. 119. ex scabie repulsa. 96. podagra emanente. 101. suppressione mensium. 104. lochiorum. 105. hæmorroidum. 11. narium hæmorrhagiæ. 114. qualis in ea pulsus. 142. lethale in ea signum thoracis convulsio. 41. spasmis stipatur. 34. causa mortis in ea. 187. clysteribus sanatur. 313
—*veræ* causa extravasatio. 30
—*spuriæ* causa stagnatio. 30. vitam non adimit. *ibid.* hystericis familiaris. *ibid.* venæ sectione discutitur. 294
Appetitus quibus revocandus. 275
Aquæ simplex optima medicina. 306. ad balnea quæ optima. 346. quomodo emendanda. *ibid.*
Aquæ minerales infarctus & obstructiones tollunt. 69. excretiones promovent. 64. succos depurant. 69. specificum in hypochondriaca & hysterica passione. 284. continuato usu juvant. 235. potissimam facultatem aquæ debent. 307. balneis socianda, 308. ingredientia ab auctore detecta. 240
—*martiatæ* interius & exterius proficuæ. 310
Arcana non semper effectus præstant. 11
Ardens febris qualis in ea pulsus. 142. sanguis. 165. *seq.*
Aridura quibus tractanda. 249
Arnica specificum ad sanguinem congrumatum. 289
Arsenicum externe applicatum nocet. 49

Arteriæ ſyſtaltico motu gaudent. 11. venis continuæ. *ibid.*
Arteria aſpera ſpaſmum patitur. 59. cauſſa oppreſſionis pectoris. *ibid.*
Arthriticæ febres unde. 209. methodus ſanandi eas. 210
Arthritis differt arheumatiſmo. 27. hæreditarius morbus. 118. ejus ſigna cauſſa & ſedes. 27. quomodo gignatur. 35. facile recidivat. 130. ſpaſmis ſtipatur. 35. topicis exacerbatur. 28. curatu cur difficilis. 27. hieme magis affligit. 94. tranſit in calculum. 100. hæmorrhoidibus præſervatur & ſolvitur. 108. retrocedens necat. 185. balneis martialis levatur. 311
—*vagæ* ſpecificum lumbrici. 305
Articulorum morbi quomodo gignantur. 35. a ſpaſmis ligamentorum. 36. topicis perperam tractantur. 99. diureticis arcentur. 265. ſcarificatione levantur. 217
Artus imbecilles balneis firmantur. 311. eorum dolor ſingularis epidemice graſſans. 28. ab arthritide diſtinctus. *ibid.*
Aſa fœtida duplici nomine in hyſtericis ſalutaris. 282. ſpecificum anthelminticum. 288. clyſteribus utiliter commiſcetur. 316
Aſcarides craſſa incolunt. 87. eorum indicia. *ibid.*
Aſthma ejus variæ ſpecies. 28. cauſſa mortis in eo. 190. ex retropulſa ſcabie. 96. arthritide & podagra. 99. ſuppreſſis menſibus. 104. hæmorrhoidibus. 106. a tumore & ſcirrheſcentia tunicæ bronchiorum. 36. ſpecifica ejus. 286
—*flatulentum* quid & unde. 28. hypochondriacis familiare. *ibid.*
—*convulſivum* differt a ſanguineo & humorali. 28. a catarrho ſuffocativo. *ibid.* a polypo. *ibid.* hydrope thoracis. *ibid.* ex repulſis favis & achoribus. 95. variis cauſis. 183. hydropem gignit. 61. qualis in eo pulſus. 142. funeſta in eo ſigna. 183. ſuffocationem perimit. *ibid.*
—*pituitoſum* a pulmonum atonia. 43
—*ſpaſmodicum* a ſpaſmo diaphragmatis. 39. quomodo hydropem & ædemata pariat. *ibid.*
Aſthmatici balneis læduntur. 312
Atonia quid ſit. 42. ſequitur paroxyſmos. 10. ſpaſmo deterior. 44. ſpaſmum ingignit. *ibid.* multorum morborum cauſſa. 42. humores corrumpit. 66. nonvorum paroxyſmorum cauſſa. 68. balneis emendatur. 311
Atrophia ex ſcirrho hepatis. 82. indurationepancreatis. 81. nimiis hæmorrhagiis. 118. male curati alvi fluxibus. 123. balneis curatur. 310
Attenuantia quæ ſint. 246. quomodo agant. *ibid.* variæ virtutis ſunt. 247. cautiones in eorum uſu. 244
Auditus difficilis clyſteribus revocatur. 314
Aurum fulminans intutum laxans 288
Autumnus quos gignat morbos? 90. qualis in eo pulſus? 138

B

Balnea pulſum mutant. 140. poſt iram noxia. 226. cautiones in eorum uſu. 311
—*Aquæ dulcis* quomodo paranda. 310. ſpaſmoslaxant. 308. humores derivant. *ibid.* perſpirationem ſecundant. *ibid.* inſaniam percurant. 307. partum facilitant. 310. heroicorum operationem ſecundant. 308. in rhachitide proſunt. 310
—*nativo roborantia martialia* quæ & ubi proſunt. *ibid.*
—*artificialia roborantia* eorumque uſus. 311
—*vaporoſa* quæ & quando utilia. 311. *ſeq.*
Balſamica quæ ſint. 275. quomodo agant. 276. varii uſus. *ibid.*
Balſamum vitæ præcipuum ex balſamicis. 275. vires egregie refocillat. 62. ſpecificum in affectibus ex debilitate cerebri nervorumque. 285
Bezoardica utilia in exauthematicis. 208. præferenda ſudoriferis. 227
Biliarii ductus motu gaudent periſtaltico. 38. ſpaſmo affecti morbos gignunt. *ibid.* conſentiunt cum ventriculo. 66. convulſi diarrhææ & choleræ cauſſa. 41
Bilis æſtate copioſe generatur. 166. ab acidis nigreſcit. *ibid.* coloris & fœtoris excrementorum cauſſa. *ibid. ſeqq.*
Boli abſorbens. 244. adſtringunt ſimul. *ibid.*
Bubones ex calidioribus tractata gonorrhea. 102. repulſi gravia inferunt mala. 101. peſtilentiales retrocedentes necant. 185

C

Cachexia ex atonia hepatis & lienis. 43. 67. ſuppreſſis menſibus. 104. nimiis hæmorrhagiis. 114. puerperio. 119. aſthma-

asthmate 123. alvi fluxibus male tractatis 124. qualis in ea sanguis 156. pulsus 143. funesta signa 184. ejus lethalis caussa. 194
—*cochymia* cur hypochondriaco & hysterico malo accedat 66. quomodo inducarur a plethora. 67
Cælum quod salubre 6. ejus constitutio facit ad morbos. 17
Calculus hæreditarius morbus 118. ex arthritica materia 11. hæmorrhoidum & mensium suppressione 112. uretheribus impactus facit dolores. 41. urgente dolore non expellendus. 224. diureticis præcavetur 265. curatur 264. specifica in eo 287. caussa mortis in eo plerumque renum corruptio 195. nonnunquam ventriculi & intestinorum sphacelus. *ibid.*
Calculus renum ex atonia eorum 45. ejus signa 86. ex rene pulsus dolorem facit *ibid.* quomodo vomitum colica icterum & vesicæ calculum gignat. 124
—*vesicæ* ex ipsius atonia 44. ejus signa 86. ex renali quomodo fiat. 125
—*vesicæ felleæ* signa 87. quæ pariat symptomata 56. per ductus biliarios transeuntis signa. 87
Calculi dolor differt a colica 25. 86. cum colica cur sæpe complicetur 26. 86. nec non vomitu 57. a spasmo uretherum 37. in consensum rapit ventriculum. 57. a refrigeratione abdominis irritatur. 58. accedunt demum inflammationes lethales. 183. specificum ejus liquor anodynus 284. funesta ejus signa. 183
Calculi per alvum excreti. 87
Calculosi cur frequenter fiant icterici. 125. colicæ & flatibus cur pateant. *ibid.*
Camphora quandoque antispasmodicum 282. cum nitro specificum in inflammatione 284. in malignis. *ibid.*
Cancer exulceratus quando funestus. 184.
Cancrorum chelæ & lapides absorbens 244. diuretin simul movent 24. cum acido sanguinem resolvunt. *ibid.*
Cantharides specificum in hydrope. 286
Capillamentum incaute demum capitis morbos gignit. 184
Caput consentit cum ventriculo 54. debile morborum infantilium 43. & impuritatis succorum caussa. 68
Carbunculi pestilentiales retrocedentes necant. 183
Cardialgia quid 25. distinguenda ab inflammatione & inflatione ventriculi *ibid.* 21. ejus variæ caussæ 24. a spasmo ventriculi 36. ex præpostero topicorum usu in morbis articulorum 168. mensium emansione 103. feminis familiaris 25. quibus levanda 25. specificum ejus liquor anodynus 284. in ea hæmorrhoides salutares. 11
Carminativa quando clysteribus addendi. 35
Caro plus fluidi quam solidi habet. 14
Carolinæ utilissimæ ad hæmorrhagias promovendas 267. in calculo obsunt. 159. cur in balneo gignant febres. 94
Catalepsis ejus signa 29. ab apoplexia differt. *ibid.*
Catarracta incipiens ex ventriculo. 55
Catarrhalis febris distinguenda a maligna 19. ejus origo 18. ex subita mutatione aeris 94. crises servat 173. qualem habeat pulsum 142. methodus naturæ & artis sananda ipsa. 210
Catarrhi ex subita mutatione aeris & perspiratione suppressa 94. venæ sectione quandoque gignuntur 302. & arcentur *ibid.* balnea non ferunt 312. sæpe salutares 210. suppressi nocent. 191
Catarrhus suffocativus distinguendus ab asthemate 28. ejus signa & symptomata *ibid.* quibus familiaris *ibid.* a paralysi nervorum pneumonicorum 43. a polypis vasorum pulmonalium 84. post morbillos variolas 128. suffocatione perimit 183. funes ejus signa 215. caussa mortis in eo. 191
Caussæ morborum quæ sint 215. simplices & manifestæ 237. rebus externis maxime continentur 14. plerumque ignorantur 70. in nervosas maxime partes agunt 45. sectione patescunt 11 71. plures concurrunt ad proximam 14. quorundam ineptæ 70. non confundendæ cum caussa mortis 11. Medico noscendæ 187. in prognosi distinguendæ *ibid.* certa auxiliorum genera indicant 70. difficiliter cognoscuntur *ibid.* cognitæ non sufficiunt ad curandum 71. faciunt ad famam Medici *ibid.* removentur motu solidorum & fluidorum 204. in earum remotione methodus medendi posita *ibid.* ex præcipuis imbecillitas. 116

Cauſſæ mortis Medico noſcendæ. 187. ſectione pateſcunt. 188. non confundendæ cum cauſſa morbi. 198. quæ ſint in genere. 187. in variis morbis. *ibid.*
Caſus ejus ſigna. 18. differe a tertiana continua. 18. in ea criſis fit. 145
Cauſtica in nervoſis partibus atrocia cient pathemata. 49
Cautelæ in therapia neceſſariæ. 3
Cephalalgia ſpaſmis pericranii debetur. 36. ejus variæ cauſſæ. 24. ex abſceſſu in ſinibus frontalibus. 77. vino in ventriculo. 55. polypo ſinuum cerebri. 84. coryza per frigus ſuppreſſa. 102. menſium ſuppreſſione. 104. narium hæmorrhagia. 113. ventriculum per conſenſum afficit. 55. narium ſtillicidio miteſcit. 113
Cephalica ſpirituoſa in affectibus capitis ex reſolutione pedibus applicanda. 64
Cerebrum conſentit cum ventriculo & inteſtinis. 6. cum corde. 10. ejus diſpoſitio in morbis & quomodo cognoſcenda. *ibid.* extravaſatio in eo cur lethalis. 180
Cereviſiæ inſalubris. 6
Chamomillæ flores peculiaris virtutis. 233. ſiſtunt febriles motus. 62
China chinæ pulſum mutat. 139. febriles motus ſiſtit. 62. cur aliis antifebrilibus præferenda. 233. quando proſit in febribus. 159. continuato uſu tollit febres. 236. ſpecificum intermittentium. 283. quas inducat mutationes. 69. balneis ſecundatur. 310
Chirarga a ſpaſmis ligamentorum. 37
Choledochus ductus ſpaſmo corripitur. 38. unde icterus. *ibid.*
Cholera quid. 42. ex bile cauſtica. 59. convulſiva affectione ductuum biliariorum & inteſtinorum. 42. genus nervoſum in conſenſum trahit. 59. funeſtæ ſigna. 182
Chronici morbi cauſſæ eorum frequentiſſimæ obſtructiones. 212. quæ ad generationem ipſorum faciant. 199. quomodo arcendi. *ibid.* a ſola natura non curantur. 212. optima eos ſanandi methodus. *ibid.* continuato medicamentorum uſu tolluntur. 235
Chymica quando periculum in mora proſunt. 234
Cibi multum faciunt ad ſanitatem. 6. ingeſti mutant pulſum. 146. viſcoſi inflationem ventriculi. 25. flatulenti colicam. *ibid.* avidius ingeſti recidivas pariunt. 9
Cinnabaris arcanum antepilepticum. 236
Cinnabarinæ quomodo antiſpaſmodica. 28
Circulus ſanguinis totius Medicinæ fundamentum. 144. quoties hora ſuccedat. 137. creber cur neceſſarius. *ibid.*
Clavus periculoſe exſcinditur. 50
—*hyſtericus* a ſpaſmo pericranii. 36
Clyſteres quotuplices. 313. affines balneis. *ibid.* varii quomodo parandi. 314. tenuia potiſſimum afficiunt. 316. late vim diffundunt. 316. quidam fere nequeunt. 317. poſt paſtum minus proficua. *ibid.* varii in morbis uſus. 316. in febribus utiles. 128. nervis inimica non capiant. 317. acres non ſtatim applicandi. 316. antifebriles. 313. ex urina. 313
Cæcitas ex repulſa tinea capitis. 96. ſcabie, *ibid.* conſolidatis antiquis ulceribus. 97. ex epilepſia. 119
Cogitationes limitatam habent vim in actiones mechanicas. 203
Colica differt a dolore calculi, & hypochondriorum. 25. a ſpaſmo inteſtinorum. 36. ex arthritide præpoſtere tractata. 100. ſuppreſſis menſibus. 112. hæmorrhoidibus. *ibid.* calculoſis cur familiaris. 125. nonnunquam nephritica. 25. parit icterum. 57. facile recidivat. 130. pareſin relinquit. 128. Iphacelo necat. 200. venæ ſectione ſæpe tollitur. 110. quibus levanda. 276. anodynis primum excipienda. 224. ejus ſpecificum liquor anodynus. 284
—*flatulenta* quæ & unde. 25. 88. venæ ſectione exacerbatur. 303
—*hæmorrhoidalis*. 26
—*biliоſa* 36. a ſpaſmo ilei. 37
—*hyſterica*. 29
—*convulſiva*. 26. conſenſus inteſtinorum teſtis. 59. venæ ſectione curatur. 303
—*ſpaſmodica* metallurgis ſolennis. 59. vehementiſſima. 26. ejus ſigna & cauſſæ. *ibid.* levatur clyſteribus oleoſis. 316. in ea coaleſcunt quandoque inteſtina. 198
Colon flatibus ſæpe diſtenditur. 89
Compoſita veterum incondita. 234. non omnia ſpernenda. 235. virtus ſimplicium ex-

ex iis non patescit. 240
Conchæ absorbent. 175. subadstringunt. 245
Confortantia spirituosa debilibus non proficua. 231
Consensus partium magni momenti. 47. non fabula. 64. ex partium nexu. 46. a nervorum distributione. 47. inter quas partes maxime vigeat. *ibidem*. symptomatum suggerit rationes. 46. ex medicamentorum operatione patet. 62. *seqq.* ex principii vitalis concursu non petendus. 52. nullus inter nervosas partes & sanguinea viscera. 60
Consuetudo in morbis exploranda. 7
Continua febris ex repulsa crusta lactea. 95. scabie. 96. restagnante sanguine lochiali. 105. malus in ea pulsus. 142. in ea prosunt clysteres. 316. corruptionis viscerum comes. 75. *seqq.*
Contractura balneis martialis tollitur. 310. specificum ejus. 289
Convulsiones differunt ab epilepsia. 29. sedes in spinali medulla. *ibid.* earum signa. *ibid.* minus salutares naturæ motus. 214. varias partes quatiunt. 41. a spasmo membranarum spinalis medullæ. 39. mire ex vermibus. 87. prodeunte mensium fluxu cessant. 210. accedente febre solvuntur quandoque. 212. scarificationem melius quam venæ sectionem ferunt. 304. clysteribus placantur. 316. certæ infantibus propriæ ex ventriculo. 56
Convulsivi motus in quo consistant. 41. in quibus morbis obvii. *ibid.* eorum origo & sedes. *ibid.*
Cor perpetuum mobile. 131. ipsius systole quomodo contingat. 134. pulsus causa. *ibid.* imbecillis hypothymiam. 42. ad tempus intercepta syncopen parit: *ibid.* ipsius motus unde. 135. *seq.* pulsui respondet. *ibid.*
Corallia absorbent. 244. sub adstringunt 245
Corporeæ res magnam vim in corpus habunt. 140
Corpus humanum machina artificiosissima. 46. hydraulicæ & vasculosæ structuræ. *ibid.* vivum & physicum gratis distinguitur. 239. ex quo consistat vere sensit Hippocrates. 30. in morbis considerandum. 9. in prognosi. 187. & medicamentorum oblatione distinguendum. 231. partes ipsius conspirant. 46. ad conservationem vitæ constructum. 216. impurum periculosius a febribus prehenditur. 65
Corruptio viscerum quomodo arcenda. 199 ex mortis causis, 187
Coryza salutaris sæpe excretio. 8. 21[illegible] spasmis stipatur. 35. solvit quosdam morbos. 211. venæ sectione arcetur. 210. quandoque adducitur. 202. suppressa a frigore nocet. 116. purgantibus exacerbatur. *ibid.*
Crisis ad prognosin spectat. 170. ipsius signa. 33. spasmo remittente sequitur. *ibid.* fit per excretiones. 271. quid sit veteribus. 170. septenario & semiseptenario numero computanda. *ibid.* extra septenos etiam dies contingit. 174. quibus solennis. *ibid.* unde repetenda. 176. quomodo rationaliter explicanda. 177. non turbanda. *ibidem*. melius succedit ordinatis temporibus. 174. auctorum variæ de ea sententiæ. 171. *seq.* quæ sit in acutis. 173. & chronicis morbis. 176. in purpura non obvia. 175. per imprudentem medicationem turbatur. 174. pro circumstantiarum ratione distinguenda. *ibid.* non omnis larga evacuatio & symptomatum remissio crisis. 175
Crudi tates non sunt prima mali hypochondriaci causa. 67. viscidas quæ dissolvant. 247
Crustea lactea repulsa febrem facit continuam. 95
Cucurbitulæ vicariæ venæ sectionis. 304.
Cutis sulphurearum sordium excretorium. 161. elastica. 162. consentit cum ventriculo. 38 ad sudoris secessum facit. 192. spasmo affecta perspirationem cohibet. 37. mala gignit. *ibid.* pessimi ominis in acutis arida. 180. resoluta imbecillitatem prodit. 43. sudoris frigidi & colliquativi causa. *ibid.*
Cynanchæ anginæ species. 26. differt a spasmo faucium. 22. quid? 23. signa ejus. 21. funesta. 183. suffocatione perimit. *ibid.*
Cynicus spasmus post podagram. 58
Cyssici ductus spasmi affecti diarrhœas & vomitus biliosos movent. 38

D

Debiles qui ſint. 166. quomodo dignoſcendi. 116. *ſeq.* medicina egent. *ibid.* fortia medicamenta non ferunt. 231. nec valentia alimenta. *ibid.*
Decocta continuato uſu juvant. 236. lenientia proſunt in exanthematicis. 208. ſudorifera balneis nupta juvant. 309
Defædationis cutis cum ſalute ſæpe fiunt. 211. ſpecifica in iis. 389
Deglutitio difficilis unde? 43
Demulcentia materiæ correctioni dicata. 244. eorum ſupellex. 248. operandi ratio. 249. uſus in variis caſibus. *ibid.* externus & internus. *ibid.*
Dentitio ejus ſymptomata unde. 56
Deſiderium ventriculo nocet. 55
Diabetes ex atonia rerum. 44
Diæta ſanationi ſervit. 233. a priſcis optime commendata. *ibid.*
Diagnoſis ſcitu neceſſaria. 16. ex obſervationibus hauriendæ. 18. nititur ſignis. *ibid.* plerumque negligitur. 17. ad eam referendus pulſus. 130. *ſeq.* erronea Medicum ludibrio exponit. 17
Diaphoreſis movetur quandoque acidulis & nitroſis. 262
Diaphoretica polychreſta. 262. ſudoriferis præferenda. 261. ipſorum apparatus. *ibid. ſeq.* modus agendi. 262. uſus in morbis. *ibid.* in pulvere alvum ſæpe movent. *ibid.* in doloribus anodynis miſcenda. *ibid.* fixa ubi acidum deeſt parce danda. 263
Diaphragma ſpaſmis patet. 39. conſentit cum ventriculo. 57. convellitur quandoque. 41. in ſternutatione per conſenſum afficitur. *ibid.* titillatione commotum cachinnos movet. *ibid.* ſpaſtice affectum aſthma. *ibidem*, & hepatis obſtructionem cauſatur. *ibidem*, convulſivum aſthmatis & ſingultus cauſſa. *ibid.*
Diarrhœa quomodo ſuccedat. 168. per ſpaſmos. 35. ſæpe ſalutaris excretio. *ibidem*, in febribus etiam malignis. 169. critica quandoque. 171. ſolvit morbos. 222. inprimis capitis. 169. convulſiva affectione ductuum biliariorum inteſtinorum. *ibid.* pedum refrigeratione. 58. a viliosa obſtructa. 167. quandoque minus ſalutaris naturæ motus. 214. ſphacelo inteſtinorum necat; 197. inteſtina debilitat. 229. ſuppreſſa nocet. 8. inprimis per adſtringentia. 96. clyſteribus levatur. 316. poſt eam roborantibus mendum. 229. ſymptomatica noxia. 214. *ſeq.* quomodo compeſcenda in febribus. 170. biliosa diutyrna nocet. 166. ex purgantium uſu in catarrhis incompeſcibilis. 102
Diaſtole ſyſtolen ſequitur & proritat. 132
Diuretica evacuantium genus. 236. eorum apparatus. *ibid.* modus agendi. 263. *ſeq.* uſus pro ratione circumſtantiarum diſcrepans. *ibid.* in doloribus arthriticis & rheumaticis proficuæ. 264. quæ optimæ. *ibid.* in compluribus morbis proficua. *ibid.*
—*calidiora* proſunt humidioribus. 219. *ſeq.* & ubi viſcidæ ſordes in renibus. 264. nocent plethoricis. *ibid.* renibus debilitatis. 124. & ubi dolores adſunt. 265
Dolores variæ ſpecies. 22 *ſeqq.* ſpaſmo in nervoſa parte debentur. *ibid.* pro locorum differentia variant. *ibid* ſuccos inquinant. 65. excretiones cohibent. 66. partes tono privant. 126. critice quandoque ſolvuntur. 177. levantur liquore anodyno. 62. oleo amygdalarum dulcium. 62. balnei. 300. fotibus emollientibus. 214. ſpecifica in iis. 284. *inteſtinorum*, vide *colica-capitis*, vide *cephalalgia*, &c.
Duodenum, ventriculus ſuccenturiatus. 43. ſedes morborum multorum. *ibid.* atonia affectum quæ pariat mala. *ibid.* inflammati & ſphacelati ſigna. 73. eroſi indicia. 89. ſcirrhi in eo ſigna & effectus. 81
Duræ mater membranarum nervoſarum origo. 39. motu tonico gaudet. *ibid.* ſanguinis progreſſum per caput moderatur. *ibid.* ſpaſmo patitur. *ibid.* conſenſum alit cum omnibus membranis. 41. ab ejus ſpaſmo mentis & capitis morbi. 39. epilepſia. 31. ejus atonia gravium cerebri morborum cauſſa. 42
Dyſenteria minus ſalutaris naturæ motus. 214. rubra & alba. 24. diſtinguenda ab hæmorrhoidibus. *ib.* ex ſcabie retropulſa. 96. ſolvit quandoque morbos. 211. inflammatione & ſphacelo afficit inteſtina. 73. genus nervoſum afficit univerſum. 60. excrementa in ea. 166. qualis in ea pulſus. 143. ſphacelo nec at. 188. adſtrin-

stringentibus perperam curatur. 132. funestæ signa. 183. laudanum prodest in ea. 62. levatur fotibus. 311. clysteribus. 316. ejus specifica. 278. post eam intestina roboranda. 229

E

Elaterium quomodo aquas hydropicorum evehat. 59. Veteribus specificum ad hydropem. 286
Emeticæ duplicis generis. 251. eorum apparatus. *ibid.* modus agendi. *ibid.* icterum gignunt. 57. post itam noxia. 55. pulsum mutant. 139. ad morbos præscindendos in principio optima. 219. melius in forma liquida. 254. & parciori dosi propinantur. 134. quando noceant. 253. in hydropicis per inferiora agunt. *ibid.* balneis utiliter sociantur. 310. clysteribus in apoplexia & hydrope indenda. 514. tempore paroxysmi non danda. 226. in erysipelate data inflammationem ventriculi gignunt. 98. necantia quæ habeant signa. 182. *seq.* valentiora quando conducant. 221
Emmenagoga quæ sint. 260. quomodo perite adhibenda. *ibid.* nonnisi præparatis viis & humoribus offerenda. 220
Emollientia quæ sint. 248. quomodo agant. 249. usus internus & externus. *ibid.*
Empyria differt a rationali Medicina. 237. ei favet sententia de principio interno activo. 240
Emplastrum Strobelbergeri paroxysmos intermittentium sistit. 63
—*anodynum* capitis dolores & vomitus placat. *ibid.*
Empyema ex pleuritide quomodo. 121. facilius generatur ex pleuritide quam peripneumonia. *ibidem*. ex imprudenti venæ sectione in pleuritide. *ibid.*
Endemii morbi aeris vitio debentur. 93
Ephemeræ ejus signa. 18. in ea crisis succedit. 169
Epidemii morbi quibus caussis debeantur. 15. ab aeris subitaneis mutationibus oriuntur. 92. quomodo observationes de iis instituendæ. 15
Epilepsia universalis convulsio. 41. differt a convulsione. 29. ejus signa. *ibid.* minus salutaris naturæ motus. 214 spasmis stipatur. 35. sedes in cerebri membranis. 29. a spasmo potissimum duræ matris. 41. 206. ex repulsa crusta lactea. 113. scabie. 42. consolidatis ulceribus. 96. podagra præpostere tractata. 99. retentis mensibus. 104. suppressa narium hæmorrhagia. 113. *seq.* post atroces dolores cur oriatur. 126. hæreditarius morbus. 117. facile recidivat. 130. per crisin quandoque discedit. 177. febre nonnunquam solvitur. 211. mensium fluxu prodeunte sæpe cessat. 210. ex pollice pedis sæpe ortum sumit. 58. qualis in ea pulsus. 142. cur inducat oculorum vitia. 119. *seq.* scarificationem melius quam venæ sectionem fert. 304. clysteribus abigitur. 315. *seq.* specifica ipsius. 286. caussa in ea. 180
Epiphora ejus specificum. 289
Errhina quæ sint. 269. quomodo agant. *ibid.* usus & noxa. 270
Erysipelacea febris ex mensium emansione. 10
Erysipelas, quibus cognoscatur signis. 23. quomodo gignatur. 35. differt a phlegmone. 23. spasmis stipatur. 35. repulsum nocet. 96. retrocedens necat. 186
Evacuantia varii generis. 251. operantur ratione circumstantiarum. 238. præparata materia. 220. in principio & fine morbi offerenda. 219. *seq.*
Evacuatio per congrua loca. 221. brevissima via. 219. & præparata materia suscipienda. 220. non impetuose urgenda. 223
Exanthemata sudoriferis non expellenda. 226. venæ sectionem non semper interdicunt. 296. *seqq.* repelluntur per spasmos. 35. refrigerationem. 97. *seq.* purgantia & emetica. 222. sub situ erecto disparent. 97. *seq.* repulsa pernicioſa. *ibid.* faciunt oppressionem pectoris. 38. critice solvunt quandoque capitis & nervorum morbos. 177
Exanthematica febris naturæ & artis processus in sanandis iis. 208. clysteres ferunt. 224. nec non venæ sectionem. 291. sed justam. 301
Exanthematicæ materia repulsa veneni vim habet. 95. cur tam graviter noceat. 97. facit oppressionem pectoris. 39. restitans quæ pariat symptomata. 58
Excrementa alvi inspicienda in morbis. 165. signa ex iis. 166. unde viridia. 66. alba

alba ex bilis defectu. 166. fusca & bruna ex bilis copia. 155. nigra a sanguine. 168. *seq.* liquida copiosa ex obstructione villosæ. 167. unde mucida. *ibid.* dura nimis. *ibid.* sanguinolenta. 168

Excreta indicia præbent. 148. *seq.* respondere debent ingestis. 7. 90

Excretiones ad sanitatem necessariæ. 7. 89. *seq.* a Medico considerandæ. 15. 93. variæ. 90. *seq.* in morbis salutares. 206. perspiratio. 92. *seq.* evacuationibus turbantur. 115 *seq* natura deficiente promovendæ. *ibid.* suppressæ nocent. 104. *ibid.* & movendæ. 116

—*criticæ* salutares. 8. duplici modo. 228. septenario numero adstrictæ. *ibid.* non intercipiendæ. *ibid. seq.* etiamsi fuerint nimiæ. *ibid. seq.* suppressæ nocent. 8. 175. *seq.*

Expectorantia quæ sint. 267. *seq.* quomodo agant. 268. cum discrimine usurpanda. *ibid. seq.*

Experientia effectum remediorum docet. 240. non tamen una sufficit. *ibid. seq.*

Expectatio arcanum in Medicina. 219

Extravasatio lethalis in capite quomodo arcenda. 180. *seq.* sanguinis inter fibrarum interstitia commentum. 132. ex choroideo plexu apoplexiæ causa. 74. ovarii ex vasis. 79. ex liene disrupto. 80. seri. *ibidem.* sanguinis vel seri quomodo necet. 180

F

Facies color ipsius ad historiam morbi. 5. indicia ex florido. *ibid.* livido. *ibidem.* *Hippocratica* quæ & unde. 180

Fallacia caussæ ut caussæ frequens in Medicina. 238. *seqq.*

Fames canina a scirrho pancreatis. 81

Favi repulsi asthma gignunt. 95

Febriles motus sedem habent in spinali medulla. 41. quibus sistantur. 62

Febris quid sit? 141. denominatio multis communis. 18. ipsius species distinguendæ. *ibid.* formalis ratio spasmo continetur. 33. *seqq.* spasmus universalis. 205. duplici motu absolvitur. 34. 206. sæpe pernicioſa. 213. *seq.* per se non salutaris. 36. succos vitales corrumpit. 65. vires destruit. *ibid.* ad chronicas passiones disponit. *ibid.* in corpore impuro pejor. *ibid.* ex cohibito fluore albo. 102. ex vermibus. 87. ex refrigeratione post iram & calorem. 94 soluto spasmo remittit. 41. in Carolinis ex tempore gignatur quomodo. 94. convulsiones & epilepsiam solvit. 211. ejus signum pathognomonicum pulsus frequens. 123. *seq.* pulsum habet durum. 230. mala signa. 179. naturæ & artis methodus in sananda ipsa. 207. in principio optime fert laxantia vel emetica. 219. clysteribus sistitur. 315

Feminæ viris imbecilliores. 5. morbis magis obnoxiæ. 117. peculiaribus etiam 6. qualem habeant pulsum. 137. experiuntur quandoque hæmorrhoides. 106

Fistula ex variolarum reliquiis. 128

—*ani* consolidata apoplexiam gignit. 115

Flatus quomodo generentur. 88. a cibis viscosis. 25. intestina & abdomen distendunt. 88. *seq.* colon sæpissime obsident. *ibid.* causa atrocium parhematum. *ibid. seq.* inflationis ventriculi. *ibidem.* doloris in sinistro hypochondrio. *ibid.* pulsum quandoque suspendunt. *ibid.* cur calculosis familiares. 125

Fluida corporis humani solida quantite superant. 136. ex solidis vitium capiunt. 64. depravantur in febribus. 65. animi affectibus. *ibid.* doloribus. *ibid. seq.*

Fluor albus a suppressis mensibus. 105. ex puerperio. 119. post abortum & puerperium. 125. præpostere cohibitus nocet. 128

Fonticuli sæpe salutari serviunt excretioni. 115. occlusi obsunt. 97

Fotus prosunt in dysenteria. 310. ad eliciendas hæmorrhoides. *ibid.*

Frictio facit ad progressum sanguinis. 69. in syncopticis utilis. 63

Frigus post calorem noxium. 94. excretiones criticas sistit. 8. exanthemata repellit. 35 colicæ caussæ. 25. in febribus spasmo cutis. 33. *seq.*

Frontalis vena utiliter in capitis morbis secatur. 299. non tamen semper. 301

Functiones triplices in homine. 203. in morbis læduntur. 10. mechanicæ medicinæ objectum. 203. læsæ quomodo explorandæ. 10

G

Galenus nimis multas finxit pulsuum species. 131
Gangrena quid. 23. differt a phlegmone. *ibid.*
Genus nervosum in morbis omnibus affectum. 45. *seq.* a causticis & venenis ad anomalos motus abripitur. *ibid. seq.* universali spasmo affectum mali ominis. 180
Glandulæ spasmo afficiuntur. 38. *seq.*
—*mammarum* spasmo affectæ secretionem lactis impediunt. 39. tumores & ulcera gignunt. *ibid.*
—*faucium & palati* constrictæ sitis. *ibid.* iterato strictæ & laxatæ salivationis caussa. *ibid.*
Gonagra a spasmis ligamentorum. 36
Gonorrhæa adstringentibus perperam tractatur. 125. *seq.* cohibita & calidioribus excepta luem veneream gignit. 101. *seq.* ex male curata scirrhus prostratarum. 82. qualem habeat urinam 157. ipsius specifica. 288
—*benigna* ab atonia vesicularum seminalium. 44
—*virulenta* diuretica fert. 212
Gravidæ hæmorrhoides salutariter ferunt. 106
Graviditas a scirrho mesenterii quomodo distinguenda. 82
Graveolentia specificum in hysterica passione. 285
Guajacum specificum in lue venerea. 289
Guttur cum odore sympathiam alit. 40. a spasmo tunicæ pituitariæ impeditur *ibid.*
Gutta serena ex paralysi nervi optici. 42. *seq.* consolidatis antiquis ulceribus. 188. ex epilepsia quomodo. 119. *seq.* ejus specificum sulphur antimonii. 389

H

Habitus corporis qui morbosus, qui sanus? 5. facit ad pulsum. 137. in historiis morborum exponendus. 5
Hæmoptysis ejus differentiæ & signa. 23. *seq.* quomodo succedat. 33. hæreditarius morbus. 117. spasmis debetur. 34. a polypis vasorum pulmonalium. 84. mensium suppressione. 103. ingignit phthisin. 120. præcipue in feminis. 103. caussa mortis in ea. *seq.*
Hæmorrhagiæ earum differentiæ. 23. *seq.* salutares. 8. quomodo succedant. 33. debentur spasmis. *ibid.* considerandæ. 8. solvunt morbos. 210. si deficiunt, promovendæ. 209. qualis ante & post eas pulsus. 142. quibus præsidiis & quomodo movendæ. 265. antispasmodicis rectius sistuntur quam stipticis. 224. & adstringentibus. 279. earum specifica. 288 pilulis de cynogl. & martiale liquore compescuntur. 62. criticæ quandoque. 171. a spasmis supprimuntur. 35. suppressæ nocent. 8. non tamen omnium morborum caussæ. 92. nimiæ debilitant. 118. exitiosæ. *ibid.* funesta signa. 185. ex incongruis locis suppressis mensibus. 102. ex præputio rariores observatæ. 23. vid. *narium & uteri hæmorrhagiæ.*
Hæmorrhoidales venæ internæ lethalem rupturam passæ. 79. a sanguisugis non evacuantur. 306
Hæmorrhoides præternaturales quid. *ibid.* salutaris excretio. *ib.* earum signa. 24. distinguendæ a dysenteria. 23. quomodo erumpant. 33. spasmis debentur. *ibid.* inprimis hypochondriorum. 111. hæreditariæ. 107. quibus solennes. 106. feminis quandoque accidunt. *ibid.* gravidis quoque. *ibid.* mensibus suppressis sæpe manant. *ibid.* nonnunquam cum lochiis fluunt. *ibid.* curadeo familiares. 107. solvunt multos morbos. 210. mentis morbos solvunt & præservant. 107. nephritidem curant. *ibid.* præservant ab hæmoptysi. 108. arthritide. *ibid* pleuritide. 107. cutis defœdatione. *ibid.* hypochondriaco malo. *ibid.* scorbuto. *ibid.* scoromia. 108. in morbis earum suppressione aperiendæ. 109. certa ad revocandas ipsas non dantur remedia. 112. intempestive pulsæ nocent. 113. nonnisi præmissis præparantibus pellendæ. 220. quibus præsidiis & quomodo movendæ. 265. fotibus revocantur. 310. specifica in vitiis earum. 278. spasmis supprimuntur. 36. nunquam vi comprimendæ. 109. earum dolor a spasmo. 36
—*albæ* quid & unde. 105
—*suppressæ* 8. colicæ caussa. 26. in ipsis quomodo sanguis mittendus. 300
Hæreditaria dispositio multum facit ad morbos. 5. morbos difficiles gignit. *ibid.* in historiis morborum recensenda. *ibid.*
Hæreditarii morbi qui sint. 117. a solidorum vitio pendent. *ibid.* difficiles sanatu. 55

Hectica febris differt a lenta. 19. signa. *ibid.* nunquam salutaris. 235. a viscerum corruptione fovetur. 72. ex suppressione mensium. 104. lochiorum. 106. nimiis hæmorrhagiis. 118. sudor largus in ea unde. 164. causa mortis absessus ruptus. 194
Helleborus specificum Veteribus ad insaniam. 285
—*albus* Veterum emeticum. 251
Hemicrania quid. 37. a spasmo pericranii. *ibid.* ex mensium suppressione. 104. puerperio. 119. facile recidivat. 130
Hemiplexia quid & unde, 44. pulsus in ipsa. 161. causa mortis. 188
Hepar non alit consensum cum nervosis partibus. 61. ad atoniam cur pronum. 43. atonia laborans multorum morborum causa. 67. scirrho facile afficitur. 83. maxime affectum in scorbuto. 156. ejus constitutio in morbis considerandæ. 9. unde cognoscenda. 9. lethalis corruptionis signa. 184. labe affectum quibus curandum. 277
Hepati ductus spasmo correpti diarrhœas & vomitus biliosos causantur. 38
Hepatitis distinguenda ab inflammatione ventriculi. 21. ejus signa. 21. differentiæ. 22
Herpes sæpe annua & salutaris. 115
Hippocrates optima jecit artis fundamenta a posteris relicta. 21. potiora & præstantiora ipsius dogmata. 30. parum meminit signorum ex pulsibus. 130
Hirudines evacuationi sanguinis serviunt. 306. non plus quam scarificatio vel venæ sectio præstant. *ibid.*
Historiæ morborum therapiæ fundamentum. 2. perfectæ sint. 3. quomodo consignandæ. 4. ad hypotheses examinandas utiles. 13
Homo triplices in eo actus obvii. 203
Humores proportio elementorum. 6. quantitas. 131. non extravasantur inter fibrarum intestitia. *ibid.* cur tam varii ex sanguine. 161. ad crasin eorum facit potus. 6.
Hungarica febris a qualitate cœli derivanda. 93
Hydrocephalus quid sit. 80.
Hydrophobia ejus signa. 21. differt a phrenitide. *ibid.*
Hydrops a scirrho mesenterii distinguendus. 82. ex atonia hepatis & lienis. 43. suppressis mensibus. 104. hæmorrhoidibus. 108. uteri vitio. 195. quartana. 123. nimiis hæmorrhagiis. 118. obstructione hepatis, viscerum & glandularum. 194. pulsus in eo qualis. 143. funesta ipsius signa. 184. causa mortis. 193. facile recidivat. 130. ex asthmate quomodo dignatur. 39. intra duplicaturam peritonæi paracentheſin admittit. 78. diureticis optime arcetur. 265. ejus specifica. 287. uteri fluxu sponte sanatus. 212
—*subitaneus* ex ruptis tumoribus serosis in abdomine. 78
—*saccatus* lapsu curatus. 213
—*uteri* a polypis. 84. ex suppressione mensium. 104
—*pectoris* ejus signa. 80. quibus solennis. *ibid.* a polypis vasorum pulmonalium. 84. ex suppressis mensibus. 104. asthmate quomodo. 123. uteri fluxu sponte quandoque sanatur. 212
Hypochondriacum malum affectio generis nervosi. 62. imbecillis naturæ proles. 111. in quo consistat. 122. differt a colica. 25. signa. *ibid.* radix & sedes in ventriculo. 53 variæ causæ. 111. causa prima non cruditates. 62. nec unica stagnatio sanguinis in vasis venæ portæ. 110. ex animi pathemate. 54. potu frigido post iram. 55. sanguinis stagnatione in visceribus abdominis. 62. ex hæmorrhoidibus suppressis. 106. male curata intermittente. 122. alvi fluxu. 123. hæreditarius morbus. 117. fluentibus hæmorrhoidibus affligit. 111. hæmorrhoidalia molimina gignit. *ibid.* hæmorrhoidibus levatur. 108. efflorescente purpura quandoque discedit. 213. clysteribus levatur. 314. cura fundamentalis. 62. specifica in eo præsidia. 285
Hypotheses multæ in Medicina. 13. quomodo examinandæ. *ibid.*
Hysterica cur suave olentia ferre nequeant 40. apoplexia leviori corripiuntur. 28
Hysterica passio hæreditarius morbus. 118. sedes non in utero, sed ventriculo & intestinis. 60. non a nervis sed sanguine restagnante derivanda. *ibid.* ex puerperio. 119. atonia uteri. 44. mensium defectu. 60. cohibito fluore albo. 102. restagnante sanguine lochiali. 106. levatur laudano. 62. clysteribus. 316. quæ prosint. 61. specifica in ea. 285

I

Jalappæ resina cur atrocia ciet pathemata. 39

Icterus flavus & niger unde? 156. a spasmo orificii choledochii. 38. ex atonia hepatis 48. spasma ventriculi. 56. purgantibus. *ib.* venenis. *ibid.* vomitoriis. *ibid.* retento meconio. *ibid.* colica. *ib.* ita. *ibid.* febre intermittente. *ibid.* retentis mensibus. 104. calculosis cur familiaris. 103. & colicis. 126. qualis in eo urina. 156. specifica in eo. 197

Ileon intestinorum tenuissimum & maxime sensibile. 38. lumbricorum nidus. 90. spasmo affectum caussa doloris circa umbilicum. 36. & colicæ bilio. 38

Iliaca passio ab inversu peristaltico motu. 37. funestæ signa. 183. sphacelo intestinorum necat. 197.

Imbecillitas ex præcipuis morborum caussis. 116. *seq.* quibus inducatur. 118. quibus cognoscatur signis. 116. *seq.* 232. ipsius specificæ. 205

Impetigo annua & sæpe salutaris. 115

Inappetentia cur malum in cachecticis & hydropicis signum. 74

Incidentia materiæ correctioni dicata. 245. quæ sint. 246. quomodo agant. *ibid.* usurpanda. 247. *seq.* aperiunt. 248. sanguinem depurant. *ibid.*

Indusia in morbis exanthematicis non mutanda. 58. a sudore tinguntur. 161. ponderе increscunt. 160

Infantes cur difficulter sudent. 162

Infantum morbi quæ signa eorum. 186. quæ caussa mortis. 198

Inflammationes quomodo gignantur. 34. aliis superveniunt lethales. 180. in sphacelum demum concedunt. 182. periculosioresque quoque si mitiora adsunt symptomata. 181. in principio quomodo discutiendæ. 193. venæ sectione discutiuntur. 207. *seq.* nimia exacerbantur. *ibid.* earum specifica. 284

Inflammatoriæ febres earum species & differentiæ. 21. *seq.* ex suppressis mensibus. 106. recidivant quandoque. 130. medicatio earum. 207. qualis in iis pulsus. 142. nimia venæ sectione exacerbantur. 207. *seq.* justa levantur. 301

Infusa vinosa laxantia præferenda purgantibus. 223. diapnoica præferenda sudoriferis. *ibid.* theiformia potissimam facultem aquæ debent. 307

Insaniæ hereditarium malum. 112. perperā promiscue ab hæmorrhoid. repetitur. *ib.* ex suppressa narium hæmorrhagia. 114. facile recidivat. 130 hæmorrhoid. solvitur & præservatur. 106. *seq.* balneis levatur. 287. *seq.* scarificationem melius quam venæ sectionem fert. 304. specifica ipsius. 283

Intermittens febris minera prima in regione. 54. unde symptomata eorum. *ibid.* quandoque salutares. 209. quandoque exitiosa. 212. *seq* etiam habet crisin. 176. recta eam sanandi ratio. 209. & sinistra. *ibid.* optime præscinditur emetico vel laxante. 219. specifica ad curandam ipsam. 283. male curata gignit hypochondriacum malum. 122. *seq.* contumacis fomes. 209. & specifica. 183

Intestina in morbis maxime debilitant. 118. consensum alunt cum ventriculo. 56. *seq.* cum membranis universi corporis. 59. flatibus obsidentur & distenduntur. 88. *seq.* coalescunt quandoque in colica convulsiva. 197. *seq.* quid patiantur a spasmo. 57. inflammatione & sphacelo corripiuntur in dysenteria. 74. eorum atonia quæ parat mala. 43. quibus submoveatur. 277. ab eorum convulsiva affectione diarrhœa & cholera. 104. erosionis eorum quæ signa. 89. labem patiuntur male tractatis alvi fluxibus. 123. spasmus eorum quibus tollendus. 250. inflatio quibus curanda. 275. languentia clysteribus firmantur. 313. erosa clysteribus consolidantur. 316

—*crassa* ascaridum habitaculum. 8

—*tenuium* inflammationis & sphaceli signa. 78

—*rectum* a dolore ex hæmorrhoidibus sphacelum patitur. *ibidem.*

Ipecacuanha specificum in dysenteria. 287. ejus virtus & prærogativa. 252

Ira effectus ipsius in corpus. 6. facit ad colicam. 27. ad cardialgiam. 65. ad vomitū *ibid* ad icterum. 57. *seq.* ad febres biliosas cholericas. 65. atrocia ciet pathemata sit calculus in cystide fellea. 87. quæ post eam damnosa? quæ utilia? 221. *seq.*

Ischiadicum malum quomodo gignatur. 35. a spasmis oritur. 37. spasmis stipatur. 35. ex mensium emansione. 105. differt a nephritide. 22. ex hæmorrhoidum suppressione venæ sectione levatur. 110. repulsum nocet. 99. *seq.* quando in eo venæ sectio instituenda. 301

Jugularis vena in melancholia & phrenitide incidenda. 299

Juventus quid peculiare servet. 5. quibus morbis pateat. 45. qualis in ea pulsus. 138

L

Labor mutat pulsum. 138. Vid. *motus*.
Lac optima antidotus. 249. a spasmis secretio ipsius intercipitur. 38. quando inflatus explicetur. 25. concretum venenum æmulatur. 53. inflationem ventriculi caussatur. 25. vide *serum lactis asininum* specificum in podag. 285. in phthisi. 286. ad longævitatem. 289
Lactiferi ductus spasmos patiuntur. 38. spasmo affecti interceptæ lactis secretionis & tumorum caussæ. *ibid. seq.*
Læsiones externæ lethales quæ sint. 200. earum ratio intercepta humorum circulo. *ibidem*.
Larynx spasmo afficitur. 39. spasmo affecta constrictivi in gula sensus caussa. *ibid.* irritata facit tussim ferinam. 40
Laudanum liquidum prodest in dysenteria & hysterica passione. 62. in febre ardente mortiferum. 227
Laxantia veteribus minus cognita. 254. qualis sint. 253. quomodo agant. 254. præferenda purgantibus. 223. pro ratione circumstantiarum in usum vocanda. 254. prosunt in principio morborum. 221. ad præcavendum abortum utilia. 125. in tussi cur conducant. 59
Lentæ febris signa ipsius. 20. differt ab hectica. *ibid.* ex debilitate ventriculi. 68. nimis hæmorrhagiis. 118. alvi fluxibus male tractatis. 123. suppressis criticis evacuationibus. 175. quomodo statim præscindenda. 219. quæ in ea prosint. 249. caussa mortis in ea. 194
Letargus ex erysipelate repulso. 98. cephalalgia & scorbuto lethali supervenit eventu. 188. qualis in eo pulsus. 142. caussa mortis in eo. 188
Lien melancholiæ sedes. 79. non alit consensum cum nervosis partibus. 61. labem contrahit ex tristitia. 79. atonia laborans quos pariat morbos. 44. ei perperam dolores in latere sinistro tribuuntur. 62. post vomitum cruentum magnus & putridus reperitur. 105. scirrhi in eo signa. 83. labe affectus quibus tractandus. 276. ejus ruptura lethalis. 80
Lypothymia atonię debetur. 42. ex imbecilli cordis systole. *ibid.* ex præpostero topicorum usu in morbis articulorum. 99. restagnante sanguine lochiali. 105
Loca multum faciunt ad morbos endemios, & epidemios. 15. altiora salubria. 6. humilia insalubria. *ibid.*
Lochia nonnisi præmissis præparantibus pellenda. 220. a spasmis supptimuntur. 35. suppressio eorum curadeo noxia. *ibid.* quæ inducat pathemata. 105
Longævitas ejus præsidia. 289
Lumbrici in ileo hospitantur. 87. eorum indicia. *ibid.* pulsum reddunt inæqualem. 140. pleuritidem mentiuntur. 87
—*terrestres* specificum in doloribus artuum scorbuticis. 285
Luna ad venæ sectionem nihil facit. 292
Lycopodium specific. in plica Polonica. 289
Lympha spissa quibus dissolvatur. 249

M

Magnesia absorbens. 244. hypochondriacis utilis. 245. ab acido soluta fit laxans. *ibid.*
Malignæ febris differt ab aliis. 18. κατ' ἐξοχὴν quæ. *ibid.* qualis in ea pulsus. 142. qui malus. *ibid.* in ea sanguis quandoque roseus 147. sudor largus in ea malus. 164. caussa mortis sphacelus. 197
Malignitas viribus infensissima. 73. ejus signa. 10 non ex fictis terminis exponenda 73 ejus caussa putredo. 74. Medicis sæpe imponit. 92
Mammæ spasmum experiuntur. 38. tumores & abscessus earum unde. *ibid.*
Mandibula piscium, absorbens. 244
Mania hæreditarius morbus. 118. *seq.* a spasmo duræ matris. 39. ejus signa & differentiæ. 21. ex mensium. 104. & hæmorrhoidum suppressione. 108. cur sæpe melancholiam excipiat. 40
Manna triplici gaudet virtute. 234
Marasma senibus familiaris. 74. *seq.* ejus signa. *ib.* viscerum corruptione nititur *ib.*
Mars limatus absorbens. 244. adstringit simul. 245. ejus liquor compescit hæmorrhagias. 62. ejus crocus sistit febriles motus. *ibid.*
Martialia pulsum mutant. 121. balneorum usu secundantur. 309
Mastigatoria ad arcendum miasma prosunt. 270
Materia morbi indoles ipsius ex quo cognoscenda. 10. coctæ signa. 36
Mechanismus corporis ejus notitia fundamentum therapiæ. 2
Medendi leges. 218
—*methodus* a medico tenenda. 2. consistit in

in remotione causſarum. 204. naturę optima. 203. *seq.* quæ sit in variis morbis. 206. in specificorum usu servanda. 291
Medicamenta scienda. 241. quæ fortia. 234. quæ lenia. *ibid.* pauca & selecta usurpanda. 231. *seq.* aliquamdiu continuanda. 235 in eorum usu corpora distinguenda. 230 Veterum annalia. 233. in eorum usu corpora distinguenda. 230 vires eorum non una experientia cognoscuntur. *ib.* ægrius a priori perspiciuntur. 239. a Med co noscendæ. 236. plerumque tamen ignorantur. *ibid.* multitudo eorum causſæ ignorantiæ virium. 237. *seq.* arti noxia. *ibid.* Vid. *remedia*.
Meditatio in morbis tempestive instituenda. 219. imprudens morborum causſa. 10
Medicina ob circumstantiarum differentiā difficilis. 237. judicio opus habet. 144. naturam juvat. 216. naturæ errores emendat. 218. *seq.* hypotesibus & opinionibus referta. 13. ejus partes sunt connexæ. 1. ejus objectum actus in corpore mechanici. 203. ejus principium non est anima. 32 neque spiritus. *ibid.* sed natura corporis. *ibid.* recte ab Hippocrate definita. 30. ejus incrementa quæ retardarint. 31. rationalis quomodo differat ab empirica. 237
Medicus ejus officium. 207. naturam imitari debet. *ibid.* 215. naturas distinguat, 144 *ib.* judicio excellat. 2. in morborum principio & fine opem ferat. 127. in semioticis caute se gerat. 144. felix qui. 216. prognosi existimationem consequitur. 16
Meditationes nimiæ sanitatem labefactant. 7. corpus debilitant. 117. ad capitis morbos disponunt. 6
Medulla spinalis ejus membranæ sedes motuum febrilium. 14. convulsionum. *ibid.* resolutæ cum nervis suis hemiplexiæ & paresis causſa. 44
Melancholia hæreditarius morbus. 117. ejus differentiæ & signa. 21. a spasmo duræ matris quomodo. 40. ex suppressis mensibus. 104. hæmorrhoidibus. 107. ex puerperio. 218. cur in maniam transeat sæpe. 114
Membranæ spasmi parent. 33. nervosę spasmo affectæ dolorem faciunt. 36. capitis externæ cephalalgiæ sedes. *ibid.* cerebri spasmo affectę melancholię, maniæ, apoplexiæ & epilepsiæ sedes. 41. sensorii auditus susurrum & tinnitum gignunt. 40. spinalis medullæ sedes motuum febrilium. *ibid.* convulsionum. 41
Memoria abolita ob atoniam duræ matris 42. ex apoplexia quomodo. 119
Menses salutaris excretio. 8. spasmis debentur. 33. eorum mechanica ratio. 103. solvunt convulsiones. 210. quomodo movendi & quibus. 265. nonnisi præmissis præparantibus pellendi. 220. specifica in vitiis eorum. 287. a spasmis supprimuntur. 36. eorum loco fluunt sæpe hæmorrhoides. 106
—*suppressi* nocent. 9. & cur. 35. quę symptomata inducant. *ibid.* per incongrua loca exitum moliuntur. 103. causſantur vomitum & mictum cruentum. *ibid.* fotibus revocantur. 311. & clysteribus. 314. quomodo venæ sectionem ferant. 300
Menses nimium fluentes unde. 44. ex hepatis & lienis vitio. 65. venæ sectione in brachio sistuntur. 300
—*emanentes ob ætatis rationem*, quæ gignant mala. 105
Mentha cur optimum in vomitu. 249
Mercurialia quomodo salivationem moveant. 272. secundantur balneis. 309. in dentitionis difficultate noxia. 56. minus recte parata & data nocentissima. 53
Mercurius diaphoreticus singularis. 63
—*dulcis* tutissimum salivans. 289. sed minus tutum laxans. 288. specificum in contumacibus intermittentibus. 283. non cum salibus miscendus. 288
Mesenteria febris distinguenda a malignis. 19. ejus signa. *ibid.*
Mesenterium scirrhosis tumoribus afficitur 82. absscessus patitur. 76. scirrhus ejus differt a graviditate, mola, hydrope. 82. ex ejus induratione atrophia. *ibid.* absscessus in eo contenti signa. 76
Mictus cruentus ratione causſarum distinguendus. 23. spasmis debetur. 34. differt a stillicidio ex præputio. 23. quandoque ex vesicæ venis. 258. renum hæmorrhoides recte dicitur. 23. suibus familiaris. 108. ex hepatis & lienis vitio. 67. ex mensium suppressione. 104. emansione. 105 hæmorrhoidum suppressione. 107. maxime in senibus. 108. quandoque menstrualis. 104. & periodicus. 108. qualis in eo urina. 156. præsidia in eo. 251. perperam adstringentibus cohibentur. 279
Millefolium specificum in calculosa renum dispositione. 287. in hæmorrhoidum vitiis. *ibid.*
Mæconium retentum icterum facit. 57
Mæror ejus effectus in corpore. 6. lieni ma-

xime noxam affricat. 79. largum pedum sudorem facit. 163. *seq.*
Molæ unde. 44. earum indicia. 85. distinguendæ a scirrho mesenterii. 83. a polyposis concrementis differunt. 85. clysteribus ejiciuntur. 315
Morbi omnes generis nervosi affectibus. 46. eorum quatuor genera. 33. debetur spasmis. *ibid.* motibus convulsivis. 38. probe discernendis. 16. variant ratione subjecti. 4. ætatis. 5. sexus 5. habitus corporis. 5. climatis. *ibid.* vitæ generis. 6. tempestatū, constitutionis. 92. per hæreditatem propagantur. 5. vid. *hæreditarii morbi* recidivant: vide *recidivæ*, sæpe complicantur. 9. affinitatem alunt. 16. habent sensibiles remissiones. 10. per observationes dignoscuntur. 13. per se non sunt salutares. 36. *seq.* sæpe sine sanguinis vitio accidunt. 146. a læsione motuum in corpore pendent. 32. ex perversa medicatione. 8. ægri incuria. *ibid.* morborum reliquiis. 126. ex nimiis hæmorrhagiis frigidi. 118. a solidorum vitio maximeque imbecillitate. 116. eorum fundamento ex mente Hippocratis. 30. remittente spasmo solvuntur. 36. spontaneus ipsorum decursus observandus. 11. tempora morborum in prognosi distinguenda. 196. eorum effectus medicamentis sæpe tribuitur. 238. per morbos quandoque curantur. 211. iis tempestive occurrendum. 219. vide *causæ morborum*.
—*ætatum* eorum fundamentum. 70
—*anni temporum*. 92
—*contagiosi* optime emeticis præscinduntur. 219
—*maligni* Medicis sæpe imponunt. 181. quibus signis cognoscantur, *ibid.* funesta in iis signa. *ibid.* causa mortis in iis. 196. vid. *malignitas*.
—*periculosi & feralis* a putredine interna. 72. Vide *acuti, chronici morbi, morborum origo*.
Morbilli distinguendi ab aliis exanthematibus. 18. eorum signa. *ibid.* maligni & benigni. *ibid.* crises servant. 173. oborto spasmo recedunt. 35. qualis ante & post eruptionem pulsus. 142. in principio requirunt emetica vel laxantia. 219. reliquiæ eorum gignunt morbos. 127 hinc curate submovendæ. 229. inprimis alvi subductione. 127
Morborum origo non tam a fluidis quam solidis repetenda. 145. ex observationibus addiscenda. 14. cognita utilis ad præservationem. *ibid.* & curationem. 32
Morbus niger spasmis debetur. 34. quomodo succedat. *ibid.*
Mors quid sit. 187. consistit in plenaria motuum extinctione. 42. ejus signa ex motibus morbosis sumenda. 36. quæ sint. *ibid.* 179. ejus causæ adæquatæ sciendæ. 187. non cum morbi causa confundendæ. 198 quæ sint in genere 187. & variis morbis. *ibid.* anatome deteguntur. 188. quomodo præscindendæ. 198. ex veneno quomodo. 42. ex ventriculi abscessu. 79. ruptura tumoris seroso-lymphatici in pectore. 77. *seq.* vasorum sanguineorum in capite 79. hæmorrhoidalium internorum. 80. ruptura lienis. 81. vide *causæ mortis*.
Mors naturalis unde. 290. quomodo diu arcenda. *ibid.*
—*subita* ex suppressis hæmorrhoidib. 109
Motus ex partium structura. 46. sine sanguinis & liquidi nervei affluxu persistere nequeunt. 32. solidorum & fluidorum œconomia natura. 203. & Medicinæ principium. 32. ejus causæ remotæ non referendæ ad Medicinam. *ibid.* quæ proximæ. *ibid.* solidor. systalticus. 203. fluidor. a centro ad peripheriam salutaris. 33. a peripher. ad centrum morbosum. *ibid.* solidor. & fluidor. auctior facit, & solvit morbos. 205. ab iisdem pendet sanitas. 32 læsis morbis. 33. quadruplici modo læduntur. *ibid.* non valide sistendi. 227. sub eorum impetu non movendum. 224
—*mechanici* Medici & Medicinæ objectum. 203.
—*morbosi* in nervosis partibus sedem figunt. 45. eorum quatuor genera. 33. per se non salutares. 36. quo sensu salutares. 17. in solidis, & fluidis damnosi. 117. ad prognosin scitu necessarii. 2. quandoque sistendi. 224
Motus corporis ad progressivum sanguinis motum facit. 69. pulsum mutat. 137
Mucilagines ubi profint? 250
Mucus salutariter excernitur. 114. pellucidus per alvum secedens unde? 167
Muria purgat, & clysteribus admiscetur. 314
Musculi abdominis abscessum quandoque continent. 75. item dorsi. 76

N

Narcotica quæ sunt, & quomodo agant. pulsum mutant. 139. cur vires dejiciant.

ciant. 140
Narium hæmorrhagia ſpaſmis debetur. 34. quibus ſolennis. 113. ſalutaris excretio. *ibid.* ſuppreſſa nocet. *ibid.* ſolvit in juvenibus capitis morbos. 210
Natura quid ſit. 32. ſecundum Veteres quid. 202. non eſt anima. 203. verum Medicinæ principium. 42. quid ei tribuerit Hippocrates. 30. ſola ſæpe ſanat morbos. 11. quo ſenſu morborum medicatrix. 36. ſæpe minus ſalutares motus adornat. 213. optimam ſervat medendi rationem. 204. non omnibus morbis expugnandis ſufficit. 212. Medici opem non excludit. 216. obſtacula removere nequit. 217. ſuccos vitioſos alterare non poteſt. *ibid.* ſæpe non ſufficienter emovet. *ibid.* externis in ſanando impeditur. *ibid.* ejus pugna cum morbo quid. 36. ejus methodus in variis morbis. 192. effectus ipſius quandoque perperam medicamento tribuitur. 239. una ab altera diſtinguenda. 215 *ſeq.* quæ debilis, quæ robuſta? *ibid.*
Navigatio unde pathemata in inſuetis. 48
Nauſea quibus abigenda. 275
Nephritis differt a malo iſchiadico. 22. quomodo gignatur. 34. ſpaſmis ſtipatur. *ib.* ex menſium emanſione. 105. & ſuppreſſione. 110. maxime in ſenibus. 108. ex atonia renum quibus tractanda. 277. eam prohibent hæmorrhoides. 108
—*ſimplex* quid. 22. ejus ſigna & differentiæ, *ibid.*
—*calculoſa* quid. 22. ejus ſigna. *ibid.*
Nervi cauſſa motus partium. 47. conſenſus 48. nullam violentiam ferre poſſunt. *ibid.* ab animi pathemate proxime afficiuntur *ibid.* eorum diſtributio ſcitu neceſſaria. 46. conſtitutio in morbis conſideranda. 10. diſtenſio in acutis periculoſa. 180 læſi atrocia cient pathemata. 50. eorum principium commotum atrocium pathematum cauſſa. 44. præcordiales ſpaſmi affecti quæ pariant mala. 180. pneumoniaci ſpaſmo correpti reſpirationem faciunt difficilem. *ibid.*
Nervina clyſteribus quando indenda. 314
Nervoſæ partes conſenſum alunt. 64. nullam ferunt læſionem. 50. a minimæ molis materiis præter naturam motus efficiunt. 49. ab animi pathematibus proxime afficiuntur. 48. in morbis potiſſimum patiuntur. 45. in eas maxime agunt morborum cauſſæ, & medicamenta. *ibid.* earum conſtitutio ex urina pateſcit. 158. Vid. *genus nervoſum*.
Nitrum fixum abſorbens. 244. optimum temperans. 246. præferendum acidis. *ibid.* quos præſtet effectus. 62. calorem extinguit. 69. pulſum mutat. 139. ſanguinem fluidiorem & rubicundiorem reddit. 148. ſpecificum in nimiis hæmorrhagiis. 288. commode miſcetur abſorbentibus. 234. quomodo ſit antiſpaſmodicum. 281. cum camphora ſpecificum in inflammationibus. 284
Nonnaturales res morbos ingignunt. 232. ad morbos ſanandos egregii uſus. 233
Noſtalgia qualis morbus. 55
Nutrientia analeptica optima. 273

O

Obeſi cur difficulter ſudent. 162
Oblivio obſtinata a ſuppreſſis menſibus. 59. Vid. *memoria*.
Obſervationes eorum uſus ampliſſimus. 11. ad perſpiciendas remediorum vires proficua. *ibid.* de morborum ſpontaneo decurſu utiles. 13
Oculi defluxionem & morbos experiuntur a ſuppreſſa narium hæmorrhagia. 113. & muci excretione. 114
Odontalgia quid. 36. a ſpaſmo ligamentorum dentium. *ibid.* ejus ſpecificum. 285
Odor cur pereat. 43. a ſpaſmo unicæ pituitariæ impeditur. 40. errhinorum abuſu læditur. 296. cum guſtu alit ſympathiam. 40
—*ſuaveolentium* cur hyſtericis infeſtus. 40. unde pathemata ex eo. 49
Oedemata a ſpaſmo diaphragmatis quomodo? 30. ex ſcabie repulſa. 96. ſuppreſſis menſibus. 104. nimiis hæmorrhagiis. 120. aſthmate lento. 124. balneis martiatis abiguntur. 130. nec non vaporoſis. *ibid.* ſpaſmo exterioribus inducto diſparent. 36. repulſa graviter nocent. 121. ſuffocationis cauſſa. 36
Oeſophagus conſentit cum ventriculo. 74
Ophtalmia quomodo gignatur. 34. ſpaſmis debetur. *ibidem.*
Opiata ex hæroicorum numero. 227. tutius omittuntur. 282 debilibus exitioſa. 110. in calculo mortifera. 277. nec non febre ardente. *ibid.* non offerenda ubi motus languent. *ibidem* iis perperam ſiſtuntur

hæmorrhagiæ. 109. in colica gignunt paralyticos affectus. 130. clysteribus non indenda. 316. *Laudanum*.
Opium quibus utiliter societur. *ibid.*
Ossa dimidiam fluidi partem habent. 137
—*calcinata* absorbent. 244. diaphoresin simul movent. 245
Osteocolla absorbens. 244
Otaglia quid & unde. 36
Ovarium vasa in eo disrupta mortis causa. 79
Ovorum testa absorbens. 244

P

Palpitatio cordis minus salutaris naturæ motus. 214. convulsionis species. 41. ex suppressis mensibus. 104. causæ mortis in eo polypus. 191. qualis in ipsa pulsus. 142
Panaceæ recte usurpatæ admittendæ. 183
Pancreas scirrho obsidetur in hypochondriacis & diuturna quartana. 81
Paracentesis in hydrope saccato proficua. 78. in ascite noxia. 80
Paracynanche quid sit. 21. distinguenda ab aliis faucium inflammationibus. *ibid.*
Paralysis atoniæ gravior species. 42. vera vel spuria. 29. utriusque signa & sedes. *ib.* spasmis stipatur. 35. quomodo gignatur. *ib.* sæpe oritur a sanguinis restagnatione. 29. ex lochiorum suppressione. 105. ex apoplexia quomodo. 119. post dolores atroces. 125. post colicam. *ibid.* cephalalgiis & scorbuto lethali eventu supervenit. 180. facile recidivat. 130 levatur balneis roborantibus. 282. & vaporosis. *ibid.* nec non clysteribus. 314. causa mortis in ea. 188. *nervi optici* guttæ serenæ causa. 42. *nervorum pneumonicorum* catarrhi suffocativi causa. 43
—*nervorum cauſticorum* surditatis causa. 42
—*nervorum lingualium* aphoniæ causa. 43
Parasynanche quid. 21. distinguenda ab aliis faucium inflammationibus. *ibid.*
Paregorica quæ dicantur. 280. quomodo agant. *ibid.*
Paresis quid & unde. 44. post colicam frequens. 330
Paronychia a spasmo periostii. 37
Parotides quæ habeant signa. 77
Paroxysmus relinquit atoniam. 68. recrementa gignit. *ibid.* quid in & extra eum agendum. 10. extra eum evacuandum. 68 sub eo non movendum. 225. nec venæ sectio instituenda. 297. antea eum urina tenuis & post eum crassa. 157
—*febrilis* nonnisi sublata causa sistendus. 224
Partes corporis conspirant. 46. ex earum structura motus, & nexu consensus. *ibid.*
Partus non sine convulsione succedit. 42. sæpe post mortem matris fit. 185. balneis facilitatur. 218. funesta gravioris signa. 185
Pathologia ex motuum non humorum vitio petenda. 45. nexu gaudet cum reliquis Medicinæ partibus. 2. therapiæ fundamentum. 237. minus recte plerumque traditur. 32. ejus synopsis. *ibid. seq.* ignorata causa ignorantiæ virium in medicamentis. 236
Pectus convehitur quandoque. 41. ejus oppressio a spasmo tunicarum asperæ arteriæ. 39. abscessus ejus quæ habeat signa. 76. ex variolarum morbo factus. *ibid.* convulsio ejus lethale signum in apoplexia. 41. pus ibi effusum difficulter cognoscitur. 76
Pedes consentiunt cum ventriculo. 58. earum refrigeratio cutim stringit, tormina & diarrhœam movet. *ibid.* quando vena in iis incidenda. 300
Pediluvia quomodo paranda. 311. pulsum mutant. 140. amplissimi usus in variis morbis. 312. inprimis spasmis & capitis morbis. 64. late virtutem diffundunt 312. humores derivant & fluidificant. *ib.* excretiones promovent. *ibid.* nocent si mensium fluxus imminet. 313. a constringentibus abstinendum. *ibid.*
Pericardium sero repletum in iis, qui palpitatione cordis pereunt. 175
Pericranium ejus spasmis efficit cephalalgiam. 37
Peripneumonia ejus signa. 18. differt a pleuritide. *ibid.* quomodo gignatur. 34. spasmis debetur. *ibid.* sæpe post colicam accidit. 35. ex hæmorrhoidum suppressione. 106. crises servat. 173. venæ sectionem poscit. 300. tempestive discutienda. 194. non tam facile in empyema concedit ac pleuritis. 122. providum expectorantium usum desiderat. 269. funesta in ea signa. 183. causa mortis. 190
Periostium ab ejus spasmo dolores. 36
Peristaticus motus ad sanitatem necessarius. 168. quibus destruatur. 169 a spasmis

mis invertitur 37. clysteribus crebrioribus læditur 317. labefacturus quę pariat mala 43. inversus facit iliacam. 38
Perlarum mater absorbens 244. subadstringit. 245
Perspiratio omnium excretionum præcipua 92. minor quantitate urina 150. differt a sudore 160. sordes evehit maxime perniciales 91. & tenuissimas 160. corpus agile reddit *ib.* balneis movetur 308. in morbis exploranda 8 ex quo cognoscenda *ib.* ab aere mutatur 8. sub quo aeris statu optima 160. a frigido humido sufflaminatur 92. mutata epidemicorum morborum causa *ib.* sub doloribus & spasmis supprimitur. 66
—*suppressa* omnium maxime nociva 91. morbos gignit 8. recidivas parit 9. varia pathemata ciet 37. succos inquinat. 66
Pestilens febris in ea crisis succedit. 173
Pestilentia causa mortis in ea sphacelus. 194. specificum in ea. 284
Petechiæ distinguendæ ab aliis exanthematibus 19. crises servant 173. qualem habeant pulsum 142. qui malus *ibid.* per spasmum cum damno repelluntur 35
Phagadena ex hæmorrhoidibus suppressis 107.
Phantasia limitatam in actus mechanicos vim habet. 203
Pharynx spasmum patitur 39. spasmo affectus constrictivi in gula sensus 21. & laxatus nimis deglutitionis vitiatæ causa. 43
Philosophia experimentalis vires remediorum recludit. 239
Phrenitis ejus signa & differentiæ 21. quomodo gignatur 34. ex suppressa narium hæmorrhagia 114. jugularium sectione levatur 299. ea fit sphacelus 75. signa futuræ & præsentis in acutis. 181
Phthisis hæreditarius morbus 28. *seq.* a pulmonum atonia 43. obstructis & tumefactis pulmonum vasculis 192. ex cohibito fluore albo 102. mensium suppressione & inde orta hæmoptysi 103. variolarum reliquiis 128. hæmorrhoidum suppressione 106. restagnante sanguine lochiali 105. hæmopthysi quomodo 120. funesta signa 183. suffocatione perimit 183. causa mortis in ea. 192
Physiologia quid tractet 1. cum aliis medicinæ partibus connexionem alit. *ib.*
Pilulæ aloeticæ præferendæ purgantibus 223. hæmorrhoides movent 107. caute tamen usurpandæ 267. intempestivus earum usus noxius. 112
—*balsamicæ* non modo intestina, sed confines & partes afficiunt 62. post morbos adhibendæ 229. egregie effectus in uteri effectibus 62. puerperis 129. hypochondriaco malo 62
—*de cynoglossa* in hæmorrhagiis prosunt. *ibid.*
—*de styrace* tussi egregiæ. *ibid.*
—*Wildeganstii* in colica paresin gignunt. 126.
Pinguedines optima antidotus. 249
Pituitaria tunica vide *tunica*.
Plethora cordis, & vasorum tonum imminuit 67. nociva 210. non omnium morborum causa 200. senibus etiam familiaris 294. in acutis & continuis damnosa 295. ad vires ex atonia vasorum 43. per hæmorrhagias salutariter imminuitur 211. scarificatione absumitur. 305
Pleuritis vera a spuria distinguenda 20. utriusque signa *ib.* non confundenda cum pathematibus ex vermibus 87. debetur spasmis 34. in primis pleuræ nervosę 37 ex consolidatis antiquis ulceribus 96. hæmorrhoidum suppressione 106. crises servat 100. arcetur hæmorrhoidibus 107 gignit empyema 121. facilius concedit in empyema quam peripneumonia 112. quomodo tempestive discutienda 220. venæsectio caute in ea administranda 122 quæ in spuria quandoque in vera semper utilis 300. expectorantia caute adhibenda. 269
Plica Polonica abscissa multos morbos infert 389. specifica ipsius. 96
Podagra hæreditarium plerumque malum 112. quomodo gignatur 35. a spasmis *ib.* & maxime ligamentorum 37. hieme cur gravius affligat quam æstate 92. transit in calculum 100. non semper ab hæmorrhoidum suppressione repetenda. 112. facile recidivat 124. senibus salutatis sæpe 247. ob imbecillitatem cum damno retinetur 100. scarificationem poscit 304. venæsectione intempestiva cum damno reprimitur 101. specifica in ea. 285. prępostere topicis tractata varia infert mala 97. retrocedens quomodo necet. 185
Pollutio nocturna ab atonia vesicularum seminalium. 44
Polypus frequentissima morborum & mortis causa 79. plerumque in pectoris morbis *ibid.*

ibid. quibus familiaris 199. dextrum cur plerumque occupet cordis ventriculum 186. signa initiantis & consummati 84. index sanguis fibrosus 148. ex suppressis mensibus 104. quomodo arcendus. 199
Polypi uterini hæmorrhagias caussantur. 199. caussa hydropis uteri 84. distinguendi a molis. 85
Potus multum facit ad sanguinis crasin 5. in morbis considerandus *ib.* calidus mutat pulsum 137. frigus sanitati obest 7. mortem inducere potest 166. spirituosus largus nocet 7. item paucus. *ib.* fœculentus & frigidus colicæ caussa. 26
Practici parum plerumque caussas norunt. 70.
Præservatio nobilissima Medicinæ pars 14. ex origine morborum discenda *ib.*
Primæ viæ earum constitutio in morbis exploranda. 11
Prognosis ex difficillimis 178. multum facit ad famam medici 13. ad finem artis proprie non spectat 177. unde petenda. 178. maxime ex observationibus 13. veteribus maxime culta 131. licet empirice 178. in ea distinguenda pathemata, tempora & corpora 189 seq. ad eam referendus in primis pulsus 130. ex sanguinis inspectione fallax 153. utilis tamen. 140
Prolapsus ani & uteri balneis reprimitur. 310.
Prostratæ ulcere quandoque obsidentur 79 scirrhi in iis signa & effectus. 82
Prunellæ quid 21. distinguenda ab aliis faucium inflammationibus. *ibid.*
Pueritiæ quid ratione structuræ peculiare habeat 5 peculiaribus morbis obnoxia. 117. quibus morbis pateat 45. qualis in ea pulsus. 138
Puerperium ad morbos disponit & cur 119 in eo utiles purgationes 128. caussa sphacelus. 198
Pulmones eorum constitutio in morbis considerandæ & quomodo 9. lęduntur a tussi humida diuturna 122. a reliquiis variolarum & morbillorum labem patiuntur 128. cum pleura cur in phthisi concrescant 192. sphacelo correpti quę habeant signa 75. atonia affecti quæ gignant mala 43. labe affecti quibus sanandi 276. quandoque inflammantur. vid. *peripneumonia*.
Pulsus quid sit 131. caussa ejus motus cordis 134. mechanice examinandus 130. experientia addiscendus 143. aliquandiu in utroque carpo tangendus *ib.* horologii norma numerandus *ib.* quot in minuto. 136. *seq.* non semper unus in utroque brachio 134. ejus tantum quatuor species. 130. quid ex eo cognoscendum 10. facit ad diagnosin & prognosin 131. ejus usum verum Veteres ignorarunt. *ib.* Hippocrates parum exposuit *ib.* Galenus nimis multas ejus finxit species *ib.* immutatur a variis caussis 137. variat pro tempore febris 142. variat in capitis morbis. *ib.* in catarrhis vesperi ingravescit. *ib.* spasmo remittente mollescit. 143
Pulsus æqualis non pertinet ad essentiam pulsuum. 152
—*amplus* non differt a magno 133
—*celer* quid 132. respectu cordis 135
—*& frequens* separatim percipi nequit 133 *seq.* sine errore unus pro altero ponitur *ib.* febris jungitur. 141
—*ac durus* in morbis spasmodicis ac doloribus. 143
—*parvus ac durus* sanguis si exitum molitur. *ib.*
—*concisus* idem cum parvo. 132
—*contractus* & parvus idem. *ib.*
Pulsus convulsivus dicitur respectu arteriæ 152. & morientium est. *ib.*
—*debilis* quid 132. ratione cordis 133. in lue venerea, scorbuto, hydrope. 89.
—*dicrotus* inæqualis speciei. 132
—*durus & mollis* dicitur respectu arteriæ. 134
—*& frequens* in febribus 142. inflammationibus, & doloribus *ibid.* plerumque in apoplexia, & epilepsia. 143
—*formicans* inæqualis species 152
—*fortis* idem ac magnus. 132. *seq.*
—*frequens* non est de essentia pulsuum 132 febrium pathognomonicum signum 140. non tamen semper 141. *seq.* ante eruptionem exanthematum 142. & sub febre secundaria. *ib.*
—*parvus debilis & contractus* in malignis & petechialibus. 142
—*languidus & inæqualis* in pectoris morbis. 143
—*humilis* item cum parvo 132
—*impetuosus* & magnus unus 132. *seq.*
—*inæqualis* non de essentia pulsum *ib.* variæ ejus species 153. jungitur plerumque convulsivo. 134
Pulsus intermittens quando, & cur sit 235. jun-

jungitur plerumque convulsivo 135. sine exitio quandoque observatur 140. a lumbrico *ib.*
— *latens* idem ac parvus 132
— *magnus* quid *ib.* respectu cordis 135
— *& celer* in synocha 142
— *& creber* in hæmorrhagiis 143
— *manifestus* idem ac magnus 132
— *myurus* inæqualis species 133
— *obscurus* et parvus idem 132
— *parvus* quid 135. respectu cordis 132
— *& celer* in continuis malus 142
— *& frequens* in dysenteria 92
— *frequens & debilis* in continuis pessimus 142
— *durus frequens & inæqualis* in principio quartanæ 142
— *profundus* non differt a parvo 132
— *rarus* non de essentia pulsuum *ib.*
— *& mollis* in lethargo & sopore 143
— *robustus* idem ac magnus 132
— *serratus* inæqualis species 133
— *tardus* quid 150. respectu cordis . 135
— *tremulus* inæqualis species 133
— *vacuus* idem cum parvo 132
— *valens* & magnus unus 132
— *vehemens* quid 130. ratione cordis . 136
in statu tertianæ,& ardentis . 142
— *vermicularis* inæqualis species 133
Purgantia quæ sint 256. quomodo agant *ib.* intestinorum consensum testantur 39. pulsum mutant 139. ubi proficua . 258. robustioribus danda *ib.* in fluore albo & gonorrhea usurpanda 222. balneis utiliter sociantur 308. postponenda laxantibus 223. virulento elemento imbuta 256 veneni æmula facultate pollent ibidem, nocentissima . *ib.* nocent post iram 55. in dentitionis difficultate 56. 231. in morbis exanthematicis 58 in catarrhis 102. in febribus 219. senibus 231. sanguinis circulum per vasa abdominis turbant. 112. gignunt icterum 57. alvum cur postea adstringant 167. recidivas proritant 130. tempore paroxysmi intermittentium non danda 226. clysteribus non indenda. 317. quando necant quæ habeant signa . 182. Vide *excrementa alvi.*
Purgatio naturæ opus juvat 217. necessaria post morbos 127. puerperis prodest 128. necessaria in febribus 129. & ante balneorum usum 311. neglecta purpuræ causa in puerperis 129. necnon in acutis. *ib.*
Purpura distinguenda ab aliis exanthematibus 19. puerperis cur familiaris 129. excohibito fluore albo 102. suppressis lochiis 106. crises non servat 175. acutis ob purgationem neglectam accedit 123. lethali eventu 182. in principio admittit emetica vel laxantia 219. sudor largus in ea unde 164, per spasmum cum damno recedit. 36
— *scorbutica* efflorescens solvit hypochondriacum malum . 211
Pus post inflammationem ex sanguine quandoque generatur 75. effusi in thoracem signa *75. seq.*
Putredo gradu differt 72. viribus infensa *ib.* malignitatis causa . *ib.*
Pylorus scirrho quandoque afficitur 81.

Q

Quartana febris ejus differentiæ signa 20. ex scabie retropulsa 95. laxantia & emetica in principio fert 219. balnei levatur 308. specificum in ea 194. perperam tractatur adstringentibus 123. in diuturna pancreas induratum 81. in principio qualis pulsus 142. convulsiones & epilepsias quandoque solvit 211. quomodo gignat hydropem 138
Quies mutat pulsum *ib.*
Quotidiana intermittens ejus signa 19. differt a continua et tertiana duplici. *ib.*

R

Recidivæ eorum indicia 129. quomodo excludantur 9. per spasmos inducuntur 38. ex suppressis criticis evacuationibus 9. palliativa cura *ib.* ægri incuria *ib.* reliquiis morborum 127. intermittentium cur tam frequentes 130. quomodo arcendæ . *ib.*
Reliquiæ morborum novos pariant morbos 126. tempestive submovendæ . 127
Remedia in classes distinguenda 242. quatuor summa genera *ib.* circa materiam , vel motum occupantur *ib.* in fluida vel solida agunt *ib.* principia eorum paucis cognita 240. per chymiam recluduntur 239. eorum operandi ratio scitu necessaria 3. plures latet 240. vires eorum non absolutæ 11. eorum effectus a priori indagandus. 240. non tamen semper cognoscitur. *ib. seq.* quomodo cognoscendus 11. operatio eorum observanda 11. ex causis gro-

proximis & experientia petenda 243. actio in corpus physicum & vivum gratis distinguitur 239. in nervosas partes maxime & proxime agunt 243. non semper morbos sanant 11. sub initium & finem morbi propinanda 219. *seq.* eorum multitudo singularum cognitioni obest 232. Vid. *medicamenta*.

— *diaretica* præferenda pharmaceut. *ib. seq.*

fortia debilibus exitiosa 109. in vigore morbi non offerenda 219. a liberaliori eorum usu cavendum. 224

Renes consentiunt cum ventriculo 124. *seq.* abscessibus patent 77. atonia affecti quæ pariant mala 35. debilitati gignunt calculum 124. inflammationes, ulcerationes *ib.* signa puris in iis 77. labefactati quibus firmandi 276. ulcerati quomodo tractandi. 247

Respiratio difficilis ex restagnante sanguine lochiali 105. anxia a spasmo nervorũ pneumonicorum 180. in acutis mala *ib.*

Rhabarbarum cur tutissimum laxans in dysenteria. 234

Rachitis in ea prosunt balnea. 310

Rheumaticæ febres unde 209. naturæ & artis methodus medendi in ea. 216

Rheumatici dolores balneis martiatis levantur. 309. *seq.*

Rheumatismus hæreditarius morbus 116. ejus causa 27. quomodo gignatur 35. a spasmis nervosarum membranarum 37. ejus signa 27. differt ab arthritide *ib.* venæsectione gignitur quandoque. 302. quandoque arcetur *ib.* scarificatione curatur 304. ejus specificum lumbrici terrestres. 285

Roborantia varia eorum genera 183. sublata morbi causa 224. & finito morbo usurpanda. 228

Robur unde pendeat 274. ex vigore motus cognoscitur 116. *seq.* solidorum sanitatem sulcit 117. analepticis minus restauratur 273. Vide *vires*.

Robusti qui sint 116. *seq.*

Rubefacientia morbos capitis levant. 62 narium hæmorrhagias compescunt. 64

Ructus hypochondriacis familiares 42. per convulsivum motum eliduntur. *ib.*

S

Sagapenum cur hysterici utile 282. specificum anthelminticum 287. clysteribus commiscendum. 316

Salia optima laxantia 254. *seq.* clysteribus utiliter commiscentur 313. *seq.* tempore paroxismi intermittentium non danda. 226

— *fixa & neutra* optima diuretica 264

— *per incinerationem parata* absorbent. 244.

Saliva ex glandulis 39. per spasmos nimium elicitur *ib.* sub salivatione cur fœteat. 182. *seq.*

Salivantia potentissima chymica. 270. *seq.* quæ sint *ib.* quomodo agant. 271. *seq.*

Salivatio quomodo succedat 271. mediantibus spasmis fit 36. mercurialibus. 39. ab acri humore *ib.* non impetuose movenda 223. non semper ad curam luis venereæ necessaria. 272

Sambuci cortex medius specificum in ictero. 287

Sanguis præcipuus corporis humor 144. gravior aqua 148. proportio solidi, & fluidi in eo 136. ab acidis coagulatur. 148 ab alcalinis & nitro funditur magis & rubescit *ib.* quomodo examinandus *ib. seq.* qui bonus nondum evictum 144. differt ratione temperamentorum 137. qualis plethoricorum 67. cholericorum 137. hystericarum... scorbuticorum 148. malus aspectu sæpe in sanis 145. & bonus in ægris *ib.* non solum qualitate, sed etiam quantitate peccat 102. Vide *plethora* cur ex eo tot separentur humores 161. quoties una hora circumvolvatur. 137. inter interstitia fibrarum non extravasatur. 132. in febribus corrumpitur 65. dyscrasia ipsius ex urina patescit 158. ejus intestina commotio sudoris causa 162. idem venæsectione & scarificatione elicitur 148. ex eo prognosis sumenda 41 quę tamen fallax 144. de *Circulus sanguinis*

Sanguis congrumatus quibus dissolvendus. 289.

— *plane non concrescens* unde. 148

— *crassus & niger* vitiosus ad stagnationes & inflammationes pronus 146.

— *extravasatus* nocet 145. mortis causa. 87 *seq.* in cerebro quando necet. 180

Sanguis fibrosus malus 148

— *floridus* nimis malus, & unde? 147. in febre maligna, et spasmodicis morbis 148. non largiter extrahendus *ib.*

— *serosus* nimis cur vitiosus. 147

— *spissus & impurus* quibus corrigatur. 248

Sanguinis dejectio per alvum funesta ex ruptura

ptura hæmorrhoidalium 80. *seq.*
motus Hippocrat. de eo sententia 30. in plerisque morbis læsus est 33. a peripher. ad centrum morbosus *ib.* a centro ad peripher. vitalis *ib.*
progressus motu corporis promovetur 68 quadruplici modo intercipitur 32. interceptus quæ pariat mala 44. per caput a duræ matris tono pendet 39. *seq.* impeditus in capite quos gignat morbos *ib. seq.* quid per venam portæ interceptus. 61. *seq.*
Sanitas a solidorum et fluidorum motibus pendet 33. in quo ejus fundamentum 32 ex mente Hippocr. 30
Saphæna incisa nocet et prodest 360. *seq.*
Sapo Venetus clysteribus commiscetur 314
Scabies a suppressis mensibus 105. per spasmos topicis inductos repellitur 35. repul. sa nocet 36. præpostere siccata quos gignat morbos 95. *seq.*
Scarificatio vicaria venæsectionis 304. eundem quam venæsectio evehit sanguinem 305. plethoram etiam minuit 240. evacuatoria et derivatoria *ib.* quibus in morbis utilis. 304. *seq.*
Scirrhi viscera, et glandulas occupant. 81. pancreas *ib.* pylorum et duodenum *ibid.* lienem 83. hepar *ib.* ex hæmorrhoidum suppressione 107. mesenterium 82. prostratas *ib.* uterum 83. ex mensium suppressione 105. vesicam. 81. *seq.*
Scorbutus in borealibus cur endemius 93. ex male affecto hepate 156. ejusq; & lienis atonia 43. qualis in eo pulsus 143. urina 156. sanguis sero livido scatens et limosus 148. hæmorrhoidibus arcetur. 108. quæ in eo prosint 248. ejus specifica, 288
Scrobiculi cordis percussio cur lethalis 52
Sectio cadaverum utilis 12. ad observationes necessaria 11. causas morborum & mortis detegit *ib.* cum judicio instituenda. 12
Sedativa quæ dicantur 279. quotuplicia *ib. seq.* eorum apparatus 280. *seq.* optimum auctoris liquor anodynus 281. magnæ efficaciæ *ib.* caute usurpanda *ib.* virium ratione in primis habita 227. dolores palliative abigunt. *ib.* præpostere data graviter nocent. *ib. seq.*
Selteranæ aciduæ ad emendandum fibrosum sanguinem utiles 148
Seminales vesiculæ earum atonia pollutionis et gonorrheæ benignæ causa 44
Semiotica fundamentum ejus circulus sanguinis 144. caute colenda a Medico. *ib.*
Senectus quid peculiare habeat ratione structuræ 5. qualis in ea pulsus 138. quibus morbis pateat 46
Senes venæsectionem utiliter ferunt 294. sanguineas excretiones salubres experiuntur *ib.* cur difficulter sudent 166. morbi eorum unde 294. cur morbis ex impuritate obnoxii. 95
Sensus a spasmis sensoriorum leduntur 40 ab atonia duræ matris abolentur 42
Sepiæ os absorbens 244. specificum in gonorrhea 246
Septica tendinosis et nervosis partibus inimica 48
Sermo mutat pulsum 137. intensior quomodo circulum sanguinis promoveat 64
Serum impuritatem contrahit 68. redundat sæpe 114. sæpe extravasatur 80. superfluum salutariter excernitur 114. extravasatum in cerebro quomodo nocet. 89. flavum vel lividum sanguini innatans quid indicet 147. limosum copiosum in lue venerea *ib.* paucum in ardentibus 148 salsum tartareum diureticis expurgatur 264
Serum lactis dulce egregium. 235. continuato usu juvat. *ib.*
Sexus facit ad morbos 117. mutat pulsum 137. in historiis morborū recensendus. 5.
Simplicia pure talia non dantur 236. præferenda compositis 232. Veteribus maximi usus 236. Medicis perperam spernuntur *ib.* quæ ex iis præferenda *ib.* usurpanda quando vires indagandæ. 241
Singultus a convulsione diaphragmatis 41. refrigeratione stomachi 57. præpostero topicorum usu in morbis articulorum. 100. inflammationi ventriculi accedens malus 214
Sinus frontales quandoque abscessum fovent 77
Situs erectus in morbis acutis cur tam noxius 97
Solida agunt in fluida eademque corrumpunt. 64
Somnolentia ex tono duræ matris deperdito 42. ex apoplexia quomodo gignatur. 119
Soporosi affectus vide *lethargus*.
Spasmodici morbi multæ eorum species 28. qualis in iis pulsus 145
Spasmo morbosus motus 206. quadruplex. 205. quomodo cognoscendus 179. effectus

ctus in corpore 206. rarius a denso & crasso sanguine suscitatur 146. multorum morborum caussa 33. sanguinis cursum intercipit 40. perspirationem sufflamminat 37. hæmorrhagias supprimit 35. alvum adstringit 37. motum peristalticum invertit *ib.* secretionem actis intercipit 39. gignit stranguriam 37. atrophiam 39. sitim. *ib.* pulsum convulsivum 180. salivationem 39. asthma *ibid.* faciem Hippocraticam 180. nervorum tensionē *ibid.* oppressionem pectoris 39. constrictivum in gula sensum *ibid.* mentis capitisque morbos *ib.* respirationem anxiam. 180. anxietatem *ib.* vomitus *ib.* dolores varios 36. febrium accessiones 41. sensus lædit 40. succos inquinat 76. *seq.* excretiones turbat 66. tenues reddit urinas. 255. in cute quæ pariat mala *ib.* febrium formalem rationem absolvit 33. adest in hæmorrhagiis *ib.* inflammationibus 34. capitis morbis *ib.* catarrhis, diarrhœis, recidivis 35. retrocessione exanthematum *ib.* in acutis mali ominis 179. relinquit atoniam 45. non tam noxius quam atonia 44. morbos facit & solvit 225. remittens morbos solvit 35. utilem quandoque effectum præstat 47. salutaris quomodo dignoscendus 206. levatur liquore anodyno 61. oleo amygdalarum dulcium 62. balneis 308

Specificæ dantur 249. quo sensu intelligenda *ib.* quæ sint in variis morbis 282. operantur per consensum 62. non sola juvant 290. certa methodo usurpanda *ib.* maxime locum habent ubi genus nervosum a virulenta caussa p.n. commotum. 50.

Sphacelus ex inflammatione fit 182. mortis plerumque in morbis caussa 11. signa facti 182. in ventriculo ex veneno 74. duodeno *ibid.* tenuibus *ib.* recto & visceribus abdominis 74. utero *ib.* marasmo *ib.* membranis cerebri *ib.*

Sphincter ani resolutus feces involuntarie dimittit. 43

-- *vesicæ urinariæ* spasmo affectus urinam retinet & stranguriam facit 35. resolutus urinam involuntarie fundit 132. exulceratur male tractata gonorrh. 35. *seq.*

Spirituosa fluida coagulant & solida stringunt 279

Spiritus non sunt Medicinæ principium 32

Sputum cruentum ejus signa 38. differt ab hæmoptysi *ib.*

Sthalius laudatus 110

Sterilitas unde 42. ex puerperio. 119

Sternutatio quomodo contingat 41. a convulsione fibrarum nervosarum in naribus. *ib.*

Sternutatoria quæ sint et quomodo agant. 269.

Stomachica quæ sint 275. eorum usus in variis casibus. 276

Strabismus ex epilepsia quomodo 120

Stranguria quid 37 ex spasmo sphincteris vesicæ *ib.* et urethræ 38. qualis in ea urina. 158

Structura corporis quæ sana, quæ morbida 117. in senibus et infantibus peculiaris. vide *corpus*.

Studia debilitant ventriculum 53. corpus malum hypochondr. cient 6. disponunt ad capitis morbos 5. Vide *medicationes*.

Suaveolentiæ cur ferre nequeant hystericæ 40. cur tam atrocia pathemata cient. 47

Subjectum ejus cognitio ad historiam morbi necessaria. 4

Sublingualis vena in cephalalgia et ophtalmia utiliter inciditur 299. in angina cum periculo pertunditur. *ib.*

Sudor differt a perspiratione 160. unde *ib.* ejus caussæ 162 subtiliores sanguine fordes 160 & sulphurea recrementa evehit 160. odore et colore præditus 161. cur pro differentia locorum varius *ib.* sub quo aere prodeat 160. sæpe salutaris 210 in paroxysmis nullus 164. post eos multus sæpe nimius *ib.* quandoque ctiticus. 171. corpus debilitat 160. pedum largus a mœrore 127. quibus moveatur 163. vid. *sudorifera*, præsagia ex eo 164. nimius quomodo compescendus *ibid.* suppressus nocet. 8

Sudor acris scorbutum præscindens 210

--*axillarum & pedum* non siccandus 101

--*frigidus & colliquativus* unde 43

--*nocturnus* salutaris 114. cohibitus morbos gignit multos *ibid.*

Sudorifera quæ sint 162. evacuantium genus 179. eorum supellex & modus agēdi *ibid.* rarius locum inveniunt 259. quibus in morbis proficua 266. cum sufficienti vehiculo propinanda 261 in contagiosis vitanda 260. in exanthematicis ad pellendum non danda 260. post iram & alvo clausa noxia *ibid.*

Sulphur specificum in phthisi 286

Suppuratio quibus promovenda. 241

Surditas unde oriatur 42. in febre acuta quan.

quandoque critica 120
Suffurrus aurium a spasmo membranarum sensorii auditus 40
Synanche anginæ species 20. *seq.* quomodo distinguenda ab aliis inflammationibus *ibid.*
Syncope ab apoplexia distinguenda 28. *seq.* atoniæ debetur 42. caussa systole cordis intercepta *ib.* ex suppressione mensium 104. qualis in dispositione ad eam pulsus 142. lethalis in parturientibus signa 185. caussa mortis in ea 190
Synocha a veteribus continens dicta 17. ejus signa *ib.* qualis in ea pulsus 142. crises servat 172
Systole suscitat diastolen & a diastole suscitatur 131. viget in arteriis 130. cordis pulsuum caussa. 134

T

Tabachus insuetus cur fumo infestus 47. cur alvum stimulet 56
Tartari sal absorbens 244
—*tinctura* absorbens *ibid.*
Tartarus in urina unde 157. vide *urina*.
Temperamentum facit ad mutationem pulsus 137
Temperantia eorum virtus & apparatus 245. triplici agunt ratione 246. cautelæ in eorum usu *ib.*
Tempestatum vicissitudines morborum epidemiorum caussæ 92
Tendo læsus atrocia parit pathemata 50
Terebinthinæ oleum exterius in suppressione urinæ utile 63
Terra sigillata absorbens 244. adstringit simul 245
Terror ejus effectus in corpore 6. facit ad colicam 26
Tertiana febris ejus species, differentiæ & signa 19. convulsiones & epilepsias quandoque solvit 211. in statu ejus qualis pulsus 142. laxantia & emetica in principio admittit 219
Therapia quid sit 2. consistit maxime in judicio *ib.* ejus cardo in quo vertatur 16. nititur morborum cognitione 116. ejus fundamenta 2. præcipuum pathologia vera 237. nexu gaudet cum physiologia & pathologia 2
Timor ejus effectus in corpore 6
Tinea capitis repulsa epilepsiam & capitis morbos, cæcitatem & ophthalmiam gignit 25
Tinnitus aurium membranarum sensorii auditus spasmo 40. & nimia humiditate. 43
Tonicus motus viget etiam in arteriis 131
Topicæ in morbis articulorum præpostere adhibita graviter nocent 98. cutis efflorescentias repellunt 20. in arthritide cur noxia 27
Traumatica quæ sint 277. quomodo agant 278. qua ratione iis utendum 279. optimum spiritus vini *ib.*
Tumores in mesenterio, dorso, duplicatura peritonæi utero & ovario gignuntur 78. rupti subitanei hydropis caussa *ibid.*
—*seroso-lymphatici* intra membranarum duplicaturas colliguntur 77. difficulter a priori cognoscuntur 78
Tunica pituitaria spasmo affecta muci excretionem impedit 40. & odorem cum gustu lædit *ibid.*
Tussis ejus variæ species probe discernendæ 28. quandoque salutaris 8. spasmis stipatur 35. ex variolarum & morbillorum reliquiis 128. quandoque a venæsectione gignitur 202. pectoralibus caute excipienda 114. in ea utilis massa pilularum de styrace 62. vide *expectorantia*.
Tussis convulsiva ab irritatione laryngis & tunicæ bronchiorum 41. ex ventriculi cruditatibus 57. infantibus cur familiaris 28. cur ei complicetur vomitus 57
—*ferina phthisica* minus salutaris naturæ motus 214.
—*humida* a pulmonum aronia 43. difficilis curatu 122. dulcia non fert *ibid.*
—*pulmonalis* quæ 28
—*phthisicæ* signa *ibid.*
—*stomachalis* sicca vel humida 278. ejus materia latet quandoque in duodeno *ib.*
Tympanitis quid? 88. a flatibus intestina distendentibus *ib.*

V

Variolæ distinguendæ ab aliis exanthematibus 19. quotuplices *ib.* crises servant 101. qualis in iis sanguis 96. ante & post eruptionem pulsus 142. per spasmum cum dispendio recedunt 35. naturæ methodum & ordinem quam maxime sistunt 219. in principio postulant emetica vel laxantia 220. earum reliquiæ multos gignunt morbos 127. hinc solicite everten-

rendæ 117. funesta in iis signa 182
Vasa brevia facile rumpuntur 79. rupta vomitum cruentum faciunt *ib.* sæpe lethalem 104
Vasa sanguifera eorum atonia caussa morborum 43. rumpuntur quandoque & mortem gignunt 79
Venæ arteriis continuæ 130
Venæ portæ peculiaris structuræ, & officii 106. atonia affecta morborum caussa 43. fluxus hæmorrhoidalis caussa 106. impedito per eam progressu sanguinis morbos creat 62
Venæsectio cur vere utiliter instituatur 202. non semper ad æquinoctium differenda *ib.* ter in anno quibusdam celebranda *ib. seq.* pulsum mutat 139. systolen cordis & vasorum auget 68. eundem quam scarificatio elicit sanguinem 148. naturæ opus in morbis juvat 217. hæmorrhagias sæpe promovet 288. urinam elicit *ib.* cur alvũ quandoque moveat *ib.* ad longævitatem confert 294. multa plethoricis præstat emolumenta 68. utilis est hystericis 61. hypochondriacis 62. senibus 289. in morbis ex suppressione hæmorrhoidum 110. in renum vitiis 124. ad præcavendos morbos 291. & ad præcavendum abortũ 125. in inflammationibus 208. in febribus continuis & acutis 265. in exanthematicis 297. *seq.* in morbis capitis a congestione 298. in pleuritide & peripneumonia 302. in colica convulsiva 303. sit sufficiens 301. quando in pede vel brachio instituenda 300. in sensibilibus quomodo perpetranda 301. in exanthematicis cum distinctione administranda 296. podagrã quandoque cum damno reprimit 101. perperam superato vix morbo adornatur 293. in pleuritide quãdoque empyema ciet 122. paroxysmis morborum noxia 297. catarrho quandoque advocat 302. in colica flatulenta nocet 303. quibus indicetur & interdicatur 293 sub lingua in cephalalgia & ophthalmia utilis 299. sed in angina periculosa *ib.* in fronte jugulo & pone aures non sola semper sufficit *ib.*
Venæsectio evacuatoria, revulsoria & derivatoria quæ 300
—*nimia* in inflammationibus 207. & si sanguis tenuis & floribus noxia 148
Venena celerrime totum nervosum systema afficiunt 61. pulsum mutant 140. per spasmum necant 42. sphacelum ingignunt 73. non proxime inflammationem inducunt 52. signa funesta 182. caussa mortis ex iis sphacelus ventriculi & intestinorum 196. eorum antidota oleosa 53
Venerea lues ex gonorrhæa male curata oriri potest 102. dolores quibus stipatur distinguendi ab arthritide 27. pulsus in ea languidus 143. serumque sanguinis limosum 44. non semper salivatione eget 272. balneis vaporosis levatur, ejus specifica 288
Venus nimia corpus debilitat 117. & intempestiva facit ad colicam & cardialgiam 27
Ventriculus in omnibus fere morbis ejus actio læditur 52. a nimiis studiis 56. & morbis maxime debilitatur 118. ab animi pathematibus afficitur 55. a vermibus obsidetur 86. *seq.* consensum alit cum omnibus nervosis partibus 52. cum capite 55. œsophago 57. diaphragmate & pulmonibus 58. *seq.* intestinis *ib.* renibus *ib.* pedibus 59. cute *ib.*
Ventriculi atonia quæ pariat mala 43. quibus fulcienda, v. *stomachica*.
Ventriculi erosio differt ab ejus inflammatione 21. quæ habeat signa 89
Ventriculi inflammatio differt ab ejus erosione, cardialgia & aliis inflammationibus 21. ex mensium suppressione 104. erysipelate male tractato 98. præpostero topicorum usu in morbis articulorum 100 potu frigido mitior 21. feralis in cutis signa 180
Ventriculi inflatio differt a cardialgia 24. ejus signa *ib.* 88. ab atonia ipsius oritur 43. ex suppressione mensium 104. infantibus et hypochondriacis solennis 25. 88
Ventriculi spasmus parit cardialgiam 36. inflationem necnon vomitum 38
Ventriculi sphacelus quæ signa habeat 73. ex veneno 296
Ventriculi ulcus observatum 78. quę signa ipsius *ib.*
Ver quos gignat morbos 92. qualis in eo pulsus 138
Vermes eorum varia genera 87. *seq.* in ileo lubenter hospitantur 88. ob consensum intestinorum atrocia ciet pathemata 55 quæsi in ventriculo 88. ileo *ib.* vel crassis *ib.* suscitant convulsiones, insolita pathemata et febres *ib.* præsidia adversus eos 197. quo demum necent *ib.* Vide *ascarides*, *lumbrici*.
Vertigo caussa proxima quæ 41. *seq.* quando-

doque ex ventriculo 54. ex crusta lactea repulsa 95. lochiorum suppressione 105. scarificationem melius fert quam venæ sectionem 304
Vesica scirrho afficitur sæpe 81. et ulcus contrahit 78. atonia affecta calculum concipit 32. vesicæ spincter. Vide *spincter* 63
Vesicatoriæ lippitudinem discutiunt 63. in apoplexia & capitis morbis utilia *ib.* asthma ex repulsis achoribus tollunt 95. intermittentium paroxysmos sistunt 63. V. *cantharides*. 51
Vespæ punctura atrocia ciet pathemata *ib.*
Victus qui insalubris 6. facit ad morbos epidemios 15. in historiis morborum enumerandus 6. durior facit ad scorbutum. *ibid.*
Vigilia mutat pulsum 138
Villosa tunica vasculosa & cellulosa 39. obstructa diarrhœæ causa *ib.*
Vinum clystere injectum roborat 314
Vini spiritus optimum traumaticum 279. clystere injectum inebriat 317
Viperæ decoctæ specificum in cutis defedationibus 290. eorum pinguedo specificum in pellicula oculi *ib.*
Vires corpori insunt motrices 72. unde dependeant *ib.* eorum causæ manifestæ *ib.* ex quo cognoscendæ 230. multum faciūt ad sanitatem & morbos 5. in morbis considerandæ *ib.* cum remediorum efficacia comparandæ 230. a copia sanguinis quandoque depressæ 293. prostratæ malignitatem indicant 10. analepticis minus reficiuntur 273. in malignis quibus refocillandæ 284. clysteribus refocillantur 315. Vide *robur*
Virilis ætas quibus morbis pateat 45. qualis in ea pulsus 138
Viscera eorum constitutio in morbis considerandæ 9. ex urina patescit 158. eorum corruptio in hectica præsto est 72. quibus cognoscatur lethalis 183. quomodo arcenda 199. sphacelo correpta quæ habeant signa, 74
Visceralia quæ sint 276. quomodo agant. 277. varii sunt usus *ibid.*
Visus a spasmo nervi optici læditur 40. a vermibus perit *ib.* clysteribus illustratur 314
Vitæ genus quodlibet peculiares alit morbos
Vitriolum album specificum in epiphora 289
Ulcus in quo differat ab abscessu 78. serum sæpe utiliter evacuat 115. ex hæmorrhoidum suppressione 107. variolarum & morbillorum reliquiis 128. quæ signa si in ventriculo 78. *seq.* vesica *ib.* prostratis. 79. antiquum præpostere consolidatum varios gignit morbos 99. excitatem 115. v. *abscessus*.
Unicornu animale et fossile absorbens 244
Volatilia pulsum mutant 139
Vomica quid sit 76. quibus signis cognoscenda *ib.*
Vomitus convulsionibus accensendus 41. a spasmo ventriculi 38. quomodo succedat 41. salutaris sæpe excretio 211. lactentibus proficuus *ib.* ex calculo quomodo. 124. a bile acri biliosus 38. ex calculo quandoq; lethalis 124. inflammato ventriculo superveniens minus salutaris naturæ motus 214. quibus movendus v. *emetica* quibus compescendus 275
Vomitus cruentus differt ab hæmoptysi 22. signa ejus *ib.* 80. quomodo succedat 35. fit ex vasis brevibus 80. ratione causarum differt 23. ex hepatis & lienis vitio 67. mensium suppressione 103. & emansione 105. ex induratione lienis post paralysin funestus 83. perperam adstringentibus cohibetur 287
Uretheres spasmis patent 38. motu peristaltico gaudent *ib.* a spasmo urinam supprimunt *ib.* ab urina cum dolore distenduntur *ib.*
Urethra spasmum patiens facit stranguriam 38
Urina excretorium præcipuum 149. perspirationem quantitate superat *ib.* ejus examen 151. *seq.* elementa 152. proportio solidi 151. color unde 152. quantitas unius diei 151. ex liquidis potissimum generatur 149. ex potu non recipit solidum 151. ex sanguine suscipit particulas sulphureas 153. necnon crassiores sordes 160 largiter fluens sæpe salutaris 211. supprimitur sæpe 264 spasmis urinariorum ductuum 38. uretheres distendit quandoque *ib.* involuntarie cur fluat 43. difficulter in scirrho vesicæ redditur 82. in morbis inspicienda 11. vide *uromantia* qualis in calculo 86. scorbuto 157. ictero *ib.* senibus 158
—*alba* in hypochondriacis unde 58
—*aquea* quibus in morbis 153. unde 154. *seq.* in febribus quid portendat 154. quæ postcat medicamenta 159

erasa

—*crassa* morbis declinantibus 156. post febrium paroxysmum 155. nimis diu fluens mala 156
—*crystallis referta* ubi? 158
—*furfuracea* in vesica erosa *ib.*
—*jumentorum* differt ab humana 153
—*oleosa* unde & quid indicet 158
—*parca* in stranguria 159
—*purulenta* in exulceratione renum & vesicæ 158
— *rubra* sine sedimento quando et unde 155 in inflammationibus mala 156. quæ poscat medicamenta 159
—*sabulosa* in nephritide 157. quæ requirat media 159
—*sanguinolenta* ubi et unde? 158. Vide *mictus cruentus;*
— *spissa & glutinosa* ubi 157
— *tartaro referta* in dispositione ad calculum 178. quibus tractanda 159
— *tenuis* in omnibus spasmodicis morbis 76. in paroxysmis febrium 155
— *turbida & crassa* in gonorrhæa 137
— *vaccina* interne utiliter bibitur 153
Urinæ sedimentum quid indicet 155. nullum in febribus post paroxysmos malum. *ib.*
Urinæ tartarus unde 157
Urinarii ductus motu peristaltico gaudent 38. spasmo corripiuntur 138. atonia affecti ex urina crassa dignoscuntur 158
Uromantia utilis ad cognoscendos et curandos morbos 158. abusui obnoxia 149
Uteri hæmorrhagiæ probe distinguendæ 23. quæ periculosæ et abortus nunciæ 24. quæ salutares *ib.* post abortum et partum ex uteri labe 125
Uterina balneorum usui socianda 306
Uterus partibus nervosis non annumerandus 60. atonia afficitur quid inde 44. sphacelo corripitur 74. apostemate afficitur 76. scirrhum contrahit 83. sub partu quandoque rumpitur 81. puerperio facile labem contrahit 119. a suppressis mensibus varia patitur mala 150. non est sedes mali hysterici 60. ejus structura caussa fluxus mensium 103. ejus hydrops a polypis 84. ex ejus debilitate varii morbi 125. ejus inflammatio lethalis in puerperis quibus firmandus 277. ejus morbi curantur balneis 278. nec non clysteribus 282
Vulnera vide *læsiones*
Vulneraria quæ sint 277. quomodo agant 278. in longis quibusdam morbis utilis 279. optimum spiritus vini *ib. seq.*

FINIS.









ESTANTE 8.°
Tabla 8.ª
N.° 6.

HOFFMA
MEDICI
RATIONA
SYSTEM